R-1801

BECANO, Martin (S.I.) (1563-1624)

[Theologiae Scholasticae: Tomus Secundae] / [Martini Becani].—

[S.l]: [s.n], 1620

Nota: Ejemplar falto de portada
Datos sacados de la Aprobación

R-1801

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,

D. IOANNI SVICARDO, SACRAE Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, S. Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, Domino suo Clementissimo,

MARTINVS BECANVS.

NON casu aut fortuito, Reuerendiss. & Illustriss. Princeps Elector, sed suaui Dei prouidentia factum esse interpretor, quod narrabo. Volebam ante sexennium, prioris Tomi dedicatione, Tuæ Celsit. ex animo gratulari: Et ecce, subito ac inopi-

nato, coactus sum etiã valedicere. Mittebant me, postulante inuictissimo Imperatore Matthia, Superiores mei in Austriam, vt Viẽnæ, vbi Sacræ Cæsareæ Maiestatis erat domicilium, id operis ac laboris susciperem, quo Moguntiæ in Archiepiscopali Tuæ Cels. Academia, multos tunc annos perfungebar. Negare id Cæsari, aut profectionem differre, nó licebat. Ergo mox itineri accinctus, Reuerendissimæ & Illustriss. C. Vestræ, gratulandi simul ac valedicendi studio, quâ par fuit obseruantiâ, me stiti, ac clementissimè ab ea dimissus sum. Idem nunc diuina, vt dixi, prouidentia, euenire video. Volebam posterioris quoq; Tomi dedicatione, Tuæ C. identidem gratulari: Et ecce, cogor identidem valedicere. Ab iisdem Superioribus, volente Augustissimo Imperatore FERDINANDO, remittor in Austriam: parendum est: resgiuersari non licet. Ergo iterum sisto me Tuæ C. gratulan-

di simul ac valedicendi voluntate. Et gratulandi quidem non dissimiles offerunt se causæ. Ante sexennium gratulabar de decennali susceptæ administrationis curriculo fœliciter exacto; de senili prudentia, vegeto corpore, integra valetudine, Dei beneficio conseruata; de laboribus pro Ecclesiæ & Romani Imperij dignitate propaganda exantlatis; de insigni complurium subditorum ad fidem Catholicam conuersione; de constantia in Comitiis Pragensibus & Ratisbonensibus; de electione, inauguratione, consecratione Serenissimi Imperatoris Matthiæ à Te peracta; itemque de nonnullis alijs, quæ tunc commemorata sunt. Eædem causæ nunc manent: nouæ accesserunt. Illa potissimum, quod anno superiori, cum circa noui Cæsaris electionem, infinitæ prope, ac periculosæ difficultates obiicerentur; heroico plane spiritu, & magna animi constantia, superaã iij

ueris vniuerſas. Erat dies Comitiorum indicendus, vocandi Principes Electores, vota exquirenda, conſulendum Imperio, Eccleſiæ proſpiciendum, piorum hominum deſiderio & expectationi ſatisfaciendum. Vbique erant impedimenta. Multi optabant Comitia differri; alij vota diuidi ac diſſipari; alij aliud, prout quiſque affectus erat, moliebantur. Nihil territus es. Quæ tui erant officij, conſtanter vrgebas: Euentu ſanè fœliciſſimo. Electus, coronatus, inauguratus eſt Sereniſſimus Ferdinandus: Domo ac familia, Auſtriacus; Religione, Catholicus; vita, integerrimus; cognatione & affinitate Potentiſſimis Hiſpaniæ ac Poloniæ Regibus arctiſſimè coniunctus. Vno verbo; Ille ipſe electus eſt, quem omnes boni tacita cogitatione eligendum cenſebant, & piis ſuffragiis deſiderabant. Et quamquam non Tui ſolius, ſed aliorum quoque Principum Electorum conſenſu id

factum sit; Tua tamen industria in eo maximè enituit, quod non obstantibus impedimentis, quæ occurrebant, certum Comitiorum diem indixeris; singulos Electores, missa honorifica legatione, conuocaris; præsens omnia moderatus sis; atque adeo ipsum Cæsarem iam designatum vnxeris, coronaueris, inauguraueris. Quo nomine, si Christiani orbis Lumina, Pontifex, Rex Catholicus, Sereniſſimus Albertus, aliique Potentiſſimi Principes, benè Tibi precati sunt; nihil culpæ est, si Ego quoque, tametsi longo interuallo iis inferior, pro mea in Tuam C. propensione; ad simile officij genus putem fuisse me obligatum. Scio Illustrissimam Tuam C. bono animo, qualecunque hoc meum obsequium accepturam. Quod reliquum est, obnixè Deum precor, vt Te clementissima sua protectione, diu seruet incolumem, & optimis Tuæ C. conatibus largissimam

benedictionem impertiatur. Vale ac viue, Illustrissime Princeps, & clienti Tuo in Austriam redeunti benè apprecare. Scripsi Moguntiæ, obtuli Aschaffenburgi, Anno Christo 1620. Mense Ianuario.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ
C. V. Seruus in Christo,

MARTINVS BECANVS,
Societatis IESV.

APPROBATIO R. P. PRO-uincialis in Prouincia Rhenana.

HVnc posteriorem Tomum Secundæ Partis Theologiæ Scholasticæ P. Martini Becani, à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum, Ego quoque Ioannes Copperus, Societatis IESV apud Rhenum Prouincialis approbo, & concessa mihi potestate ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco, Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto. Paderbornæ, Anno 1620.

IOANNES COPPERVS.

INDEX QVÆSTIONVM.

De Fide & obiecto eius formali.

1 QVID sit prima veritas reuelans? pag. 5.
2 An Deus quatenus est prima veritas reuelans, sit formale obiectum fidei? 10
3 An reuelatio primæ veritatis, vt sit formale obiectum fidei, debeat esse obscura? 14
4 An reuelatio primæ veritatis, vt sit formale obiectum Fidei, debeat esse publica, an priuata? 21

De materiali obiecto Fidei, seu de Articulis Fidei.

1 An articuli fidei sint certi & infallibiles? 24
2 An articuli fidei sint clari & euidentes? 28
3 An sint duo principales Articuli, in quibus reliqui omnes implicitè continentur? 31
4 An sint plures Articuli Fidei in nouo Testamento, quàm fuerint in veteri? 34
5 An Articuli Fidei perfectius cognoscantur à nobis, quàm cogniti fuerint ab Apostolis? 36

De Scriptura, in qua continentur Articuli Fidei.

1 Qui libri Scripturæ sint Canonici? 41
2 Quæ sit legitima versio Scripturæ? 43
3 Quis sit sensus Scripturæ literalis, & quis mysticus? 45
4 An quilibet Scripturæ locus admittat sensum literalem? 47
5 An aliquando vnus idémque locus Scripturæ admittat plures sensus literales? 50
6 An quando libri veteris Testamenti citantur in nouo, citentur tantùm in sensu literali? 53
7 An sensus literalis sit obscurus? 55

8 *Quæ sit causa obscuritatis Scripturæ?* 61
9 *An Lutherani, & Caluinistæ habeant veram Scripturam?* 78

De Traditione, ex qua etiam habetur Articuli Fidei.

De Ecclesia, quæ infallibiliter proponit nobis Articulos Fidei.

1 *Ecclesia Christi in terris visibilis & conspicua est.* 107
2 *Hæc visibilis Ecclesia est Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, Columna & firmamentum veritatis.* 112
3 *Extra hanc visibilem Ecclesiã nemo potest saluari.* 115
4 *Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere vel errare in fide.* 117
5 *Visibilis Christi Ecclesia, de qua hactenus dictum est, non est alia quàm Romana, seu Pontificia, toto orbe diffusa.* 132

De motiuis, quæ inducunt hominem ad credendum.

De Iudice controuersiarum circa Articulos Fidei.

1 *Solam Scripturam non esse Iudicem, primum argumentum ex officio Iudicis.* 144
2 *Secúndum argumentum ex parte Scripturæ.* 145
3 *Tertium argumentum ex parte controuersiarum.* 155
4 *Quartum argumentum ex vsu & praxi veteris Testamenti, vbi non Scriptura, sed Pontifex pro Iudice agnoscebatur.* 160
5 *Quintum argumentum ex vsu & praxi noui Testamenti.* 168
6 *Sextum argumentum ex Analogia Iudicis controuersiarum ciuilium.* 175

De interno actu Fidei, qui est credere seu assentiri.

1 *An actus Fidei consistat in assensu?* 186
2 *An assensus Fidei sit realiter compositus?* 190
3 *An assensus Fidei generetur per discursum?* 191
4 *An assensus Fidei sit supernaturalis in sua substan-*

tia & essentia? 199
5 *An assensus fidei requirat præuium actum voluntatis supernaturalem?* 202
6 *An aliquod iudicium intellectus supernaturale præcedere debeat voluntatem credendi?* 207
7 *An actus fidei ita sit honestus, vt ex nulla mala circunstantia vitiari possit?* 218
8 *Quomodo resoluatur actus fidei?* 214

De externo actu fidei.

1 *An confessio sit actus fidei?* 217
2 *An confessio fidei sit necessaria ad salutem?* 220
3 *An aliquando liceat negare fidem, præsertim ad vitandam mortem?* *ibid.*
4 *An aliquando liceat tacere fidem, vel dissimulare?* 222
5 *An aliquando liceat vsurpare ritus aut vestimenta infidelium?* 226

De habitu fidei. 244

De subiecto fidei, seu de habentibus fidem.

1 *An fides maneat in beatis?* 249
2 *An fides maneat in damnatis?* 251
3 *An fides maneat in hæreticis?* 253
4 *An fides sit maior in vno Catholico, quàm in alio?* 256
5 *An aliquis certo possit cognoscere se habere fidem?* 258

De necessitate fidei ad salutem. 266

1 *An fides supernaturalis sit medium ad salutem necessarium?* 272
2 *An fides Incarnationis sit necessarium medium ad salutem?* 278
3 *An fides Trinitatis sit necessariũ mediũ ad salutẽ?* 283
4 *An fides alicuius alterius mysterij sit medium necessarium ad salutem?* 285

De vitiis fidei oppositis, ac primum de infidelitate in communi. 286

1 *An omnis infidelitas sit peccatum?* 287

2 *Quot sint species peccati infidelitatis?* 291
3 *An liceat communicare cum infidelibus?* 294
4 *An liceat infideles ad fidem compellere?* 295
5 *An liceat infidelium ritus tolerare?* 301
6 *An liceat terras infidelium vi occupare?* 303
7 *An infidelibus permitti possit dominium in Christianos?* 308

De hæresi & apostasia.

1 *Quid propriè sit hæresis?* 312
2 *Qui propriè dicendi sunt hæretici?* 313
3 *Quid sit apostasia?* 320
4 *Quid sit blasphemia?* 321

De pœnis hæreticorum.

1 *An Ecclesia possit hæreticos punire?* 323
2 *An Ecclesia possit hæreticos excommunicare?* 326
3 *An hæretici, propter hæresim, priuentur omni potestate spirituali?* 328
4 *An hæretici priuentur dominio & iurisdictione temporali?* 330
5 *An hæretici priuentur bonis temporalibus?* 332
6 *An hæretici possint puniri pœna capitis propter hæresim?* 333
7 *An liceat disputare cum hæreticis de fide?* 342
8 *An liceat libros hæreticorum legere?* 346
9 *An hæretici resipiscentes sint ab Ecclesia recipiẽdi?* 352

De fide hæreticis seruanda. 354

1 *An in promissione valida & obligandi vim habente, seruãda sit fides hæreticis, non obstante hæresi?* 355
2 *An fides hæreticis seruanda sit, non obstante excommunicatione?* 362
3 *An in contractu Matrimonij seruãda sit fides hæreticis?* 368
4 *An in negotio libertatis Religionis seruanda sit hæreticis fides?* 71

5 *An in bello seruanda sit hæreticis Fides?* 378
6 *An in saluo conductu seruãda sit hæreticis Fides?* 380
De Spe, & vitiis illi oppositis. 388
1 *Quod sit primarium obiectum Spei?* 389
2 *Quod sit secundarium obiectum Spei?* 394
3 *An aliquis possit Sperare in homine?* 397
4 *Qui sint actus virtutis Spei?* 398
5 *Qualis sit habitus Spei?* 401
6 *In quibus hominibus sit Spes?* 404
7 *An Spes sit necessaria ad salutem?* 405
8 *Quid sit Desperatio?* 406
9 *Quam graue peccatum sit Desperatio.* 407
10 *An desperatio semper & in omni casu sit peccatum?* 409
11 *An per actum desperationis corrumpatur habitus Spei?* 411
12 *Quid sit præsumptio?* 412
De Charitate.
1 *An Charitas sit excellentissima inter omnes virtutes?* 413
2 *An Charitas sit forma omnium virtutum?* 416
3 *An Charitas sit vera amicitia hominis erga Deum?* 417
De obiecto & ordine Charitatis. 421
1 *An homo teneatur magis diligere Deum, quam quemuis alium.* 422
2 *An homo teneatur seipsum magis diligere, quàm proximum?* 425
3 *An homo teneatur vnum proximum magis dilegere, quàm alterum?* 433
De internis actibus Charitatis. 435
De externis actibus Charitatis. 437
De habitu Charitatis eiusque augmento & corruptione. 451

1 *An detur habitus Charitatis à Deo infusus?* 452
2 *An habitus Charitatis realiter augeri possit, & quomodo?* 453
3 *An Charitas augeatur per solos actus intẽsiores?* 455
4 *An Charitas possit augeri in infinitum?* 457
5 *An Charitas viæ possit esse tam perfecta, quàm Charitas patriæ.* 459
6 *An Charitas viæ possit minui, aut corrumpi per peccatum?* 464
De præceptis Charitatis. 465
De vitiis Charitati oppositis. 467
De Bello. 471
1 *An bellum ex natura rei sit licitum, & quæ conditiones requirantur vt sit licitum?* 472
2 *An Bellum fuerit licitum in veteri Testamento?* 476
3 *An Bellum Christianis sit licitum?* 478
4 *An Christiani possint bellũ gerere cõtra Turcas?* 484
5 *An liceat bellum gerere contra hæreticos, propter solam hæresim?* 485
6 *An Christiani, in bello contra Christianos, possint in auxilium vocare Turcas aut alios infideles?* 486
7 *An bellum ex vtraque parte possit esse iustum?* 489
8 *Quid faciendum quando causa belli est dubia?* 492
9 *Quando & quomodo bellum inchoandum sit?* 496
10 *An in bello iusto, postquam inchoatum est, liceat omnes hostes occidere, & eorum bona diripere?* 499
11 *An in bello iusto liceat innocentes interficere?* 501
12 *An in bello liceat innocentum bona diripere?* 505
13 *An liceat innocentes iusto bello captos in seruitutem redigere?* 506
14 *An milites, durante bello, possint prædari, seu spolia ab hostibus accipere?* 507
15 *Quænam soleant esse peccata militum & Ducum?* 509

16 *An in bello liceat vti insidiis?* 510
17 *An liceat bellare in die festo?* 511
18 *An Clericis licitum sit bellare?* 514
De Duello. 518
1 *An duellum quod suscipitur ad ostentationem virium, aut voluptatem spectaculi, licitum sit?* 519
2 *An duellum, quod suscipitur ad vindicandam iniuriam, sit licitum?* 521
3 *An duellum, quod suscipitur ad indagandam veritatem, & iustitiam alterius partis, sit licitum? ibid.*
4 *An duellum, quod suscipitur ad dirimendum bellum, sit licitum?* 524
5 *An duellum, quod suscipitur ad defensionem propriæ honoris, sit licitum?* 525
6 *An duellum, quod suscipitur ad defensionem bonorum temporalium, sit licitum?* 527
7 *An duellum, quod suscipitur ad defensionem propriæ vitæ, sit licitum?* 529
8 *Quæ sint pœnæ constitutæ in eos, qui suscipiunt illicitum duellum?* 530
De Scandalo. 531
1 *Quid sit scandalum actiuum, & passiuum?* 532
2 *An vtrumque scandalum sit peccatum speciale?* 534
3 *An scandalum cadat etiam in viros perfectos?* 537
4 *An sit scandalum actiuum, suadere alicui minus malum, vt omittat maius?* 538
5 *An ad vitandum aliorum scandalum passiuum, debeamus omittere opera præcepti?* 541
6 *An ad vitãdum aliorum scandalum passiuum, debeamus omittere opera, quæ non sunt in præcepto?* 545

MARTINI BECANI SECVNDÆ PARTIS THEOLOGIÆ SCOLASTICÆ TOMVS POSTERIOR.

1 *IN priori Tomo actum est de his punctis. 1. De beatitudine, & actibus humanis, quibus eam consequimur: itémque de libero arbitrio, à quo actus humani proficiscuntur. 2. De peccatis, tam actualibus, quam originali, quæ beatitudinem impediunt. 3. De Legibus, quæ nos dirigunt ad beatitudinem. 4. De Gratia, quæ nos iuuat: itemque de Iustificatione & Merito, qui sunt effectus Gratiæ.*

2 *In hoc posteriori de his agendum est. 1. De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate. 2. De Iustitia, quæ est vna ex quatuor Virtutibus cardinalibus. Ac simul de Religione, quæ Iustitiæ annexa est. Erunt igitur duo Tractatus.*

TRACTATVS I.

De virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate.

TRæ tres virtutes, Fides, Spes, & Charitas, dicuntur Theologicæ, quia immediatè versantur circa Deum. Et quidem Fides, quæ est in intellectu, versatur circa Deum, quatenus est verax in dicendo seu reuelando. Spes & Charitas, quæ sunt in voluntate, versantur circa Deum, quatenus est bonus. Hoc interest, quod Spes versetur circa Deum, quatenus est bonus respectu nostri, id est, quatenus est suprema nostra fœlicitas, seu beatitudo obiectiua. Charitas circa eundem Deum, quatenus est bonus in se & absolutè. De his agam hoc ordine.

---

1. *De Fide, & formali eius obiecto, quod est Deus, quatenus est prima veritas reuelans.*
2. *De materiali obiecto, quæ sunt res à Deo reuelatæ, seu articuli fidei.*
3. *De Scriptura, in qua continentur articuli fidei.*
4. *De Traditione, ex qua etiam habentur articuli fidei.*
5. *De Ecclesia, quæ infallibiliter proponit nobis articulos fidei.*
6. *De motiuis, quæ inducunt hominem, vt velit amplecti articulos fidei ab Ecclesia propositos.*
7. *De Iudice controuersiarum circa articulos fidei.*
8. *De interno actu fidei, qui est credere, seu assentiri articulis fidei.*
9. *De externo actu, qui est palam profiteri fidem.*
10. *De habitu fidei, qui à Deo infunditur.*
11. *De subiecto fidei, seu de habentibus fidem.*
12. *De necessitate fidei ad salutem.*

13. *De vitijs fidei oppositis, ac primum de infidelitate in communi.*
14. *De Hæresi & Apostasia.*
15. *De pœnis Hæreticorum.*
16. *De fide Hæreticis seruanda.*
17. *De Spe, desperatione & præsumptione.*
18. *De Charitate.*
19. *De obiecto & ordine charitatis.*
20. *De internis actibus, & præcipuè de amore seu dilectione.*
21. *De externis actibus, qui sunt Beneficentia, Eleemosyna, Correctio fraterna.*
22. *De habitu charitatis, & de illius augmento ac corruptione.*
23. *De præceptis charitatis.*
24. *De vitijs charitati oppositis, ac primum de odio, accidia, inuidia, discordia, contentione, schismate, rixa, seditione.*
25. *De Bello.*
26. *De Duello.*
27. *De Scandalo.*

CAPVT. I.

De Fide, & obiecto eius formali.

1. NOmen fidei sumitur 4. potissimum modis. Primo, pro fide, seu credulitate diuina, qua credimus vera esse, quæ à Deo dicta, seu reuelata sunt. Hebr. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundo pro fide seu credulitate humana, qua credimus vera esse, quæ ab homine dicuntur. Terent. in Andria: *Propemodum habeo tibi iam fidem.* Tertio, pro conscientia. Rom. 14. 15. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quidquid facit homo contra dictamen propriæ conscientiæ, in eo peccat. Et hoc sensu dicunt Iureconsulti: *Possessor bonæ fidei præscribit.* Quarto, pro fidelitate in seruandis pro-

missis. 1. Machab. 10. 27. *Perseuerate adhuc conseruare ad nos fidem.* De qua Cicero lib. 1. Offic. *Fides est dictorum conuentorúmque constantia & veritas.* Et eius Etymologiam explicat Augustinus epist. 19. ad Hieronymum: *Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur.*

2 Nos hic agimus de Fide primo modo sumpta, id est, de fide diuina, qua credimus vera esse, quæ à Deo reuelata sunt. Eius obiectũ duplex est, materiale, & formale. Materiale, sunt res à Deo reuelatæ, quas credimus. Formale, est Deus, non præcisè, qua Deus, sed qua verax est. (D. Thom. q. 1. art. 1.) Sicut enim solemus credere homini narranti, nõ ideò præcisè, quia homo, aut diues, aut nobilis, aut doctus, sed quia verax est: sic etiam credimus Deo dicẽti, seu reuelãti, non ideo præcisè, quia Deus, aut æternus, aut omnipotens, sed quia verax est. Item, sicut magis, aut minus credimus homini, quia maiorẽ aut minorem opinionem habemus de illius veracitate: sic firmissimè & perfectissimè credimus Deo, quia habemus opinionem de illo, quod sit summè & infinitè verax.

3 De hoc formali obiecto hic disputamus. Solet autem promiscuè à Theologis appellari his ferè nominibus. 1. Reuelatio diuina. 2. Authoritas Dei reuelantis. 3. Prima veritas reuelans. 4. Deus, quatenus est verax in dicendo. 5. Deus, quatenus est prima veritas reuelans. De hoc vltimo nomine, quod optimè rem exprimit, quæritur 1. Quid sit prima veritas reuelans. 2. An prima veritas reuelans sit formale obiectum fidei. 3. An reuelatio hæc debeat esse obscura. 4. An debeat esse publica, & non priuata. Aliqui addunt, An debeat esse infallibilis. Sed hoc constabit ex prima quæstione, quæ iam sequitur.

I. QVÆSTIO.

Quid sit prima veritas reuelans.

1 TRia explicanda sunt. 1. Quid hoc loco sit veritas. 2. Quid sit prima veritas. 3. Quid reuelatio. Nam hæc tria intrinsecè includuntur in formali obiecto Fidei.

2 Prima Conclusio. Veritas, hoc loco, non sumitur pro veritate transcendentali, quæ omnibus rebus communis est; & à qua vnaquæque res, tàm creata, quàm increata, dicitur esse vera, seu habere veram entitatem: sed sumitur pro veracitate, qua quis verax est in dicendo, & non mentitur: Hæc veracitas includit duas perfectiones, Sapientiam, & Bonitatem. Sapientia est in intellectu, qua quis cognoscit rem, de qua loquitur. Bonitas in voluntate, qua vult loqui de re, sicut illam cognoscit, & non fallere seu decipere auditorem, cui loquitur.

3 Hæ duæ perfectiones simul sumptæ, intelliguntur nomine veritatis, seu veracitatis, quatenus opponitur mendacio & falsitati. Vnde sequitur, quo quis maiori vel minori Sapientia, & Bonitate præditus est, eò magis vel minus veracem esse; ac proinde magis vel minus illi credi oportere. Nam si parum sapiens est, facile potest falli & errare: Si parum bonus, facilè alios fallere & decipere.

4 Non tamen necesse est, has duas perfectiones esse in æquali gradu. Nam sæpè fit, vt aliquis habeat magnam Sapientiam, qua rem bene cognoscit: & tamen habeat parum bonitatis, & velit aliter loqui, quam sentit. Tunc, licet ipse non erret aut fallatur, tamen alios fallit, & in errorem ducit. Sic facit Diabolus. Contra, fit etiam, vt aliquis habeat parum Sapientiæ, & multum bonitatis: ita vt ipse quidem facilè erret, non tamen velit alios decipere, aut in errorem ducere. Hoc contingit hominibus idiotis ac simplicioribus qui boni sunt.

5 Secunda Conclusio. Veritas prima, nihil est aliud, quam veritas diuina & infinita. Nam sicut Deus, respectu creaturarum, dicitur primum & infinitum Ens, quia includit infinitam perfectionem in genere entis: Sic etiam dicitur prima & infinita veritas, quia includit infinitam perfectionem in genere veracitatis, nempe infinitam sapientiam & bonitatem. Vnde sequitur, nec posse eum falli aut errare, quia infinitè sapiens est; nec velle alios fallere aut in errorem ducere, quia infinitè bonus est. Omnia igitur, quæ ab eo dicuntur aut reuelantur, infallibiliter credi posse ac debere. In vtroque differt ab homine, qui & falli potest, quia deficit in sapientia; & alios fallere, quia deficit in bonitate.

6 Tertia Conclusio. Reuelatio, quæ includitur in prima veritate reuelante, significat liberam Dei actionem, qua nobis rem aliquam manifestat. Itaque idem est reuelare, quod dicere, narrare, patefacere. Deus autem duobus modis solet hoc præstare. Primo, per internam & spiritualem locutionem, quæ fit per conceptum mentalem. Sic loquitur Angelis, & Angeli sibi inuicem. Sic etiam aliquando locutus est Prophetis, & Apostolis, præsertim quando per internam suggestionem & assistentiam dictauit illis quædam mysteria; quæ postea ab ipsis conscripta sunt. Secundo, per externam & corporalem locutionem, quæ per externa & sensibilia signa fieri solet. Sic certum est, multa eum reuelasse in veteri testamento, quando cum Mose facie ad faciem: & in nouo, quando cum Apostolis in carne assumpta locutus est.

7 Ex dictis colligitur, quis sit proximus & immediatus effectus primæ veritatis reuelantis, respectu nostri. Nam sicut proximus & immediatus effectus omnipotentiæ diuinæ est, creare; iustitiæ, punire: misericordiæ condonare: ita primæ veritatis reuelantis, facere rem illam, quæ reuelatur, infallibiliter credibilem. Nam

eo ipso, quod aliquod mysterium à prima veritate nobis reuelatur, non solum fit credibile, sed etiam infallibiliter credibile: ita vt nullo modo errare possimus, si credamus verum esse, quod prima veritas, verum esse reuelauit.

8 Vbi notandum est, rem aliquam tripliciter nobis narrari aut reuelari posse. Primo, à Deo, qui infinitè verax est. Et tunc est infallibiliter credibilis, vt dixi. Secundo, à Diabolo qui mendax est: aut etiam ab homine, qui habetur pro mendace. Et tunc nullo modo est credibilis. Nempe, quatenus præcisè à tali reuelatur. Tertio ab homine, qui moraliter habetur verax, quia moraliter sapiens & bonus est. Et tunc quidem credibilis est, non tamen infallibiliter credibilis: quia homo, quantumuis moraliter verax, potest tamen ex se falli & errare. Hoc sensu intelligitur illud Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax*, id est, Deus ex se ita verax est, vt nec falli possit, nec fallere. At homo ex se, & falli potest, & fallere.

9 Dices: Ex Scriptura constat, Deum aliquando fefellisse homines, & mendaciter locutum esse: Non quod ipse prior fuerit falsus aut deceptus, quia certum est, illum non posse falli aut decipi, cùm sit infinitè sapiens, vt dixi: Sed quod sciens & volens alios deceperit, quod non videtur repugnare infinitæ ipsius bonitati. Hoc colligitur primo ex ijs Scripturæ locis, vbi Deus dicitur decepisse Prophetas, & dedisse Spiritum erroris ac mendacij, vt 3. Reg. 22. 23. *Dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt.* Et Ezech. 14. 9. *Ego Dominus decipi Prophetam illum.* Et 2. Thess. 2. 10. *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Secundo ex ijs, vbi aliquid à Deo per Prophetas prædicitur, quod tamen non impletur, vt Isaiæ 38. 1. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Isaias Propheta, & dixit ei: Hæc*

dicit Dominus : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et tamen eo tempore mortuus non est, sed adhuc quindecim annis superuixit. Item, Ionæ 3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Quod etiam factum non est.

10 Respondeo. Duo errores hic cauendi sunt. Vnus Priscillianistarum, qui dicebant, Deum non solum posse mentiri, sed reipsa etiam mentitum esse, vt refert Augustinus lib. contra mendacium ad Consentium cap. 2. & lib. 2. retract. cap. 60, & lib. de Hæresibus ca. 70. Alter quorundam Theologorum, qui quidem non asserunt, Deum reipsa mentitum esse, sed tamen absolutè loquendo, non repugnare illi mendacium, vt videre est apud Gregorium Ariminensem in 1. dist. 42. q. 2. Et ratio est, quia nihil repugnat infinitæ Dei bonitati, nisi quod ex natura sua malum est: At mentiri, seu decipere alios, non est malum ex natura sua: Ergo non repugnat infinitæ Dei bonitati. Potest igitur Deus mentiri aut decipere, non obstante infinita ipsius bonitate.

11 Nos dicimus, Deum nullo modo mentiri posse. Primo, quia mendacium ex natura sua repugnat veritati; Ergo vbi est infinita veritas, ibi nullo modo potest esse mendaciũ. Quo spectat illud 1. Ioan. 2. 21. *Omne mendaciũ ex veritate non est.* Secundo, mendacium nihil aliud est, quã quædã deceptio: At deceptio ex natura sua pugnat cum charitate, quæ postulat, vt quod tibi non velis fieri, alteri ne feceris. Quod autem pugnat cum charitate, per se malum est: Et quod per se malum est, Deo conuenire non potest. Tertio, Si Deus posset mentiri, non esset infallibilis veritas: & sic periret certitudo nostræ fidei. Nam si potest mentiri, vnde constabit nobis, quod hactenus mentitus non sit in ijs, quæ per Prophætas & Apostolos nobis reuelauit?

12 Testimonia Scripturæ in contrarium allata, nihil efficiunt. Nam priora intelligenda sunt vt permissiuè, vt

explicatum est Tomo priori, tract. 2. cap. 6. q. 1. Posteriora, vel de prædictione comminatoria, hoc sensu: Niniue subuertetur, nisi agat pœnitentiam: Vel de prædictione ex causis naturalibus, hoc sensu: Ezechias morietur, spectando cursum causarum naturalium. Vide D. Thomam. 1.p.q.9.ar.7.& 2.2.q.171.ar.6.

II. QVÆSTIO.

An Deus, quatenus est prima veritas reuelans, sit formale obiectum fidei?

1 HOc quidem hactenus supposui ex D. Thoma, sed iam explicandum est, & contrariæ obiectiones diluendæ. Potest autem dupliciter explicari. Primo sic: Illud est formale obiectum fidei, propter quod immediatè credimus articulos fidei: At illos immediatè credimus propter primam veritatem reuelãtem, quæ nec falli potest, nec fallere: Ergo prima veritas reuelans, est formale obiectum fidei. Secundo sic: Illud est formale obiectum fidei, in quod vltimo resoluitur assensus fidei: At hic vltimo resoluitur in Deum, quatenus est prima veritas reuelans: Ergo Deus, quatenus est prima veritas reuelans, est formale obiectum fidei.

2 Dices 1. Assensus fidei, tametsi proximè resoluatur in veritatem Dei reuelantis, tamen vltimo resoluitur in ipsam deitatẽ, in qua fundatur veritas. Respondeo. Nec proximè, nec remotè resoluitur in Deitatem, sed tantum in veritatem. Nam vltimo debet resolui in id, quod facit articulos fidei infallibiliter credibiles: At prima veritas reuelans, non autem Deitas, facit illos infallibiliter credibiles. Non enim ideo infallibiliter credibiles sunt, quia Deus, qua Deus, reuelauit; sed quia Deus, qua verax, reuelauit. Nec obstat, quod veritas, vt sic dicam, fundetur in Deitate. Nam etiam alia attributa fundantur in Deitate: & tamen effectus illorum, non tri-

buuntur Deitati, sed ipsis solis. V. g. Omnipotentia, Iustitia, Misericordia, non minus fundantur in Deitate, quàm veritas. Effectus illorum sunt, creare, punire, condonare. Hi effectus non tribuuntur Deo, ratione Deitatis præcisè, sed ratione ipsorum attributorum. Non enim Deus dicitur creare, punire, condonare, qua Deus; sed qua omnipotens, iustus, misericors est. Ergo similiter, non facit res infallibiliter credibiles, qua Deus, sed qua verax in dicendo.

3 Sed contra: Si quæram, quare credis articulos fidei? Respondebis, quia Deus reuelauit. Si iterum quæram, quare credis Deo reuelanti? Respondebis, quia est prima veritas. Si denique, quare Deus est prima veritas? Respondebis, quia Deus est, & naturam habet infinitè perfectam. Ergo vltima resolutio fit in Deitatem. Respondeo. Nos hic disputamus de resolutione in vltimam rationem assentiendi seu credendi: non autem de resolutione in vltimam rationem essendi. Si ergo quæram, quæ sit vltima ratio, propter quam assentimur articulis fidei? Respondebis, Non esse aliam, quam primam veritatem reuelantem. Si vlterius quæram, quare Deus sit prima veritas? & respondeas, quia Deus est: Iam non assignas rationem assentiendi, sed essendi. Accipe simile exemplum. Si quæram, quæ sit ratio videndi Petrum? Respondebis, quia coloratus est. Si vlterius quæram, quare coloratus est? Respondebis, quia constat ex mixtione primarum qualitatum. Sed hæc posterior responsio non assignat rationem ex parte videndi, sed ex parte essendi.

4 Dices 2. Prima veritas, videtur esse materiale obiectum fidei, non formale, Nam materiale obiectum est id, quod creditur: At prima veritas non minus creditur, quam omnipotentia, iustitia, misericordia; quia sicut rectè dicimus, Credo Deum esse omnipotentem, iustum, misericordem; sic etiam rectè, Credo Deum

esse veracem. Ergo veritas non minus est materiale obiectum fidei, quam omnipotentia, iustitia, misericordia. Respondeo. Materiale obiectum fidei est id, quod creditur propter aliud, nempe propter primam veritatem reuelantem. Formale est id, quod non creditur propter aliud, sed est ratio credendi aliud. Potest quidem credi, non tamen propter aliud, sed propter se, V. g. Mysterium Trinitatis est materiale obiectum fidei, quia creditur propter primam veritatem reuelantem. At prima veritas reuelans est obiectum formale, quia non creditur propter aliud, sed propter se: & simul est ratio credendi aliud. Simile est in moralibus. Nam media amantur propter finem. At finis amatur propter se, & est ratio amandi media.

5 Sed contra: Sicut Deus reuelauit se esse omnipotentem, iustum, misericordem; Sic etiam reuelauit se esse veracem. Ergo sicut credimus, Deum esse omnipotentem, iustum, misericordem, quia ipse reuelauit: sic etiam credimus esse veracem, quia ipse reuelauit. Ergo prima veritas creditur de Deo propter aliud, id est, propter reuelationem: Ergo est obiectum materiale, non formale. Respondeo. Prima veritas dupliciter spectari potest. Primo, præcisè secundum se: Et sic est materiale obiectum fidei, vt benè obiicitur. Secundo, non præcisè secundum se, sed quatenus est reuelans: & sic est formale obiectum. Vnde duo assensus distingui hic possunt. Vnus, Credo Deum esse veracem. Alter, Credo mysteria fidei propter primam veritatem reuelantem. In priori, prima veritas præcisè sumpta, est materiale obiectum fidei, quod creditur propter aliud. In posteriori, prima veritas reuelans est formale obiectum fidei, propter quod alia creduntur. Itaque prior assensus sic debet explicari: Credo Deum veracem esse, propter reuelationem.

6 Sed iterum contra: Quando dicimus, Credo Deum

esse veracem propter reuelationem, debet sic intelligi: Credo Deum esse veracem, propter reuelationem primæ veritatis. Vel, propter primam veritatem reuelantem. Ergo in illo assensu, prima veritas bis ponitur: semel pro materiali obiecto, quod credimus, & semel pro formali, propter quod credimus. Respondeo. Sic est. Sed tamen, quando sumitur pro materiali, tunc præcisè secundum se sumitur. Quando autem pro formali, tunc sumitur simul cum reuelatione. Nam prima veritas, non est integrum obiectum formale fidei, sed prima veritas reuelans.

7 Dices 3. Ex Euangelio constat, multos credidisse, Christum esse Deum, non propter reuelationem primæ veritatis, sed propter miracula, quæ ipse faciebat: Ergo formale obiectum fidei, saltem in tali casu, non fuit prima veritas reuelans, sed miracula à Christo perpetrata. Quod patet ex illo Ioan. 10. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Respondeo. In illis, qui propter miracula credebant Christum esse Deum, tres actus spectari debent. Primo, Iudicium, intellectus, quo iudicabant, prudenter credi posse, Christum esse Deum. Et hoc iudicium nitebatur miraculis ab ipso factis. Secundo, pia voluntatis affectio, qua cupiebant credere, Christum esse Deum. Et hæc pia affectio excitabatur in illis, ex auxilio gratiæ actualis, quo Deus mouebat illorum voluntatem, vt vellent credere. Tertio, ipse actus credendi, seu assensus fidei, quo re ipsa credebant Christum esse Deum. Et hic assensus nitebatur reuelatione primæ veritatis, quæ faciebat hoc obiectum infallibiliter credibile. Nam Deus, qui est prima veritas, reuelabat Christum esse Deum. Matt. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et hanc reuelationem miraculis confirmabat.

8 Vbi notandum est, materiale obiectum fidei, quod

creditur, duobus modis fieri credibile Primo, per miracula, & similia motiua (de quibus c. 6.) quæ faciunt, vt prudenter credi possit. Secundo, per reuelationem primæ veritatis, quæ facit, vt infallibiliter credi possit. Itaque duplex potest esse iudicium intellectus. Vnum, Iudico hoc obiectum prudenter credi posse. Alterum, Iudico hoc obiectum infallibiliter credi posse. Prius est naturale, & euidens: posterius supernaturale, & obscurum. De vtroque plura dicam cap. 8. q. 6.

9 Dices 4. Assensus Fidei, videtur vltimo resolui in authoritatem Ecclesiæ. Nam si quæram, Quare credis articulos fidei? Respondebis, Quia Deus reuelauit. Si iterum quæram, Quare credis Deum reuelasse? Respondebis, Quia Ecclesia Catholica hoc dicit. Ergo vltima resolutio fit in Ecclesiam. Respondeo. Tripliciter credi potest, Deum hoc vel illud reuelasse. Primo propter se: & tunc est assensus fidei Theologicæ, de quo hic agimus. Secundo, propter authoritatem Ecclesiæ dicentis: & tunc non est assensus Fidei Theologicæ, sed alterius inferioris ordinis. Tertio, propter auctoritatem hominis: & tunc est assensus fidei humanæ. Primus assensus sic explicatur: Credo Deum hoc reuelasse, non propter aliud, sed immediatè propter se. Secundus sic: Credo Deum hoc reuelasse, quia Ecclesia dicit. Tertius sic: Credo Deum hoc reuelasse, quia homo dicit. Itaque primus assensus non resoluitur vlterius, sed sistit in ipsa reuelatione diuina, quæ creditur propter seipsam. Secundus resoluitur in authoritatem Ecclesiæ. Tertius in authoritatem hominis. De hac resolutione plura dicam cap. 8. q. 8.

10 Dices 5. Idem est obiectum fidei & Theologiæ: At obiectum Theologiæ est Deus, sub ratione Deitatis, vt docet D. Thomas in 1. p. q. 1. ar. 7. Ergo sub eadem ratione est obiectum Fidei. Respondeo. Idem est obiectum vtriusque, seruata proportione. Nam mate-

riale obiectum vtriusque, est Deus vt Deus; & quidquid refertur ad Deum, vt ad principium, vel finem. Et sic intelligendus est D. Th. loco citato, & in 2. 2. q. 1. ar. 1. Similiter, Formale obiectum vtriusque Deus, vt est prima veritas reuelans; sed diuerso modo. Nam assensus fidei fertur in aliquem articulum, qui immediatè in se reuelatus est. Assensus autem Theologiæ, fertur in conclusionem, quæ non est immediatè in se reuelata, sed solum per bonam consequentiam deducitur ex aliqua præmissarum, quæ in se reuelata est. Itaque prima veritas reuelans, potest dupliciter spectari. Primo, quatenus immediatè aliquid reuelat. Secundo, quatenus mediatè. Priori modo est obiectum Fidei: posteriori, Theologiæ.

III. QVÆSTIO.

An reuelatio primæ veritatis, vt sit formale obiectum Fidei, debeat esse obscura?

1 REuelatio duobus modis potest esse obscura seu ineuidens. Primo, ex parte rei reuelatæ; quod tunc fit, quando res, quæ reuelatur, non ostenditur per ipsam reuelationem. Secundo, ex parte Dei reuelantis; quod tunc fit, quando non constat euidenter, reuelationem esse à Deo. Est ergo quæstio, An vtroque modo debeat esse obscura?

2 Prima Conclusio. Reuelatio primæ veritatis, quatenus est formale obiectum fidei, debet esse obscura ex parte rei reuelatæ, id est, non debet clarè & euidenter ostendere rem reuelatam. Probatur 1. ex illo Hebr. 11. 1. *Fides est argumentum rerum non apparentium*, id est, res quæ creduntur per fidem, non videntur. Vnde August. tract. 40. in Ioannem: *Quid*, inquit, *est Fides, nisi credere, quod non vides?* Item ex illo 1. Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in anigmate: tunc autem facie ad faciem*, id est, in hac vita obscurè, & quasi in ænigmate

cognoscimus mysteria fidei: in altera, clarè & intuitiuè videbimus. Et ratio est, quia sicut homo, qui multa mihi narrat de externis nationibus, non efficit per suam narrationem, vt clarè videam ea, quæ narrantur, sed tantum, vt obscurè credam; Sic etiam Deus, quando reuelat nobis mysterium Trinitatis, non efficit per suam reuelationem, vt clarè videamus hoc mysterium, sed tantum, vt obscurè credamus. Et hoc docet experientia.

3 Dices: Multa credimus per fidem, quæ oculis videntur. Credimus enim Christum fecisse miracula, pependisse in cruce, mortuum & sepultum esse, & post resurrectionem ad cœlos ascendisse: quæ omnia suis oculis viderunt Apostoli. Et Christus in Euangelio dicit, Ioan. 20. 29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Respondeo. Multa hic quæri possunt. Primo, an mysteria fidei, quæ ab vno creduntur, possint videri ab alio? Certum est, posse. Nam Beati in cœlo clarè & intuitiuè vident mysterium Trinitatis, quod nos fide credimus. Secundo, An mysteria fidei, quæ ab aliquo credũtur, possint simul ab eodem videri per vnum actum? Certum est, non posse. Nam idem numero actus, non potest simul esse clarus & obscurus, respectu eiusdem obiecti. Tertio, an mysteria fidei, quæ ab aliquo creduntur, possint simul ab eodem videri per distinctos actus, quorum alter sit obscurus, alter euidens. Aliqui negant, quia eadem res non potest eodem tempore simul clarè & obscurè alicui repræsentari. Qui enim clarè videt solem, non potest eodem tempore obscurè illum videre. Alij affirmant, quia intellectus potest eodem tempore assentiri alicui conclusioni propter duo distincta media; quorum alterum clarè, alterum obscurè illam ostendat. Et qui oculis videt Eclypsim, potest eodem tempore, propter authoritatem alicuius asserentis, eandem credere. Quarto, an mysteria fidei,

possint ab aliquo successiuè credi & videri? Certum est, posse; Quia Apostoli in hac vita crediderunt mysterium Trinitatis, quod nunc clarè in cœlo vident. Quinto, An mysteria fidei, quatenus per solam reuelationem nobis proponuntur, possint à nobis videri? Certum est, non posse; quia reuelatio per se non habet hanc vim, vt rem reuelatam exhibeat nobis præsentem, vt supra dixi. Quod obiicitur de Thoma Apostolo, dicendum est, illum aliud vidisse, aliud credidisse. Vidit Christi humanitatem; credidit diuinitatem & resurrectionem.

4 Secunda Conclusio. Reuelatio primæ veritatis, quatenus nunc est formale obiectum nostræ fidei, est etiam obscura ex parte Dei reuelantis. Non enim constat nobis clarè & euidenter, reuelationem illam, propter quam credimus articulos fidei, à Deo factam esse. Quæres, si hoc clarè & euidenter constaret, an tunc reuelatio adhuc esset formale obiectum nostræ fidei? Vel quod idem est, an esset verè assensus fidei, si quis crederet aliquod mysterium, propter reuelationem, quam euidenter sciret à Deo factam esse?

5 Aliqui affirmant. Primo, quia Angeli, Prophetæ & Apostoli habuerunt assensum fidei, quando credebant, mysteria Trinitatis & Incarnationis; & tamen euidenter sciebant, reuelationem propter quam credebant, factam esse à Deo. Ergo euidentia reuelationis, ex parte Dei reuelantis, non obstat, quo minus possit aliquis habere assensum fidei, modo reuelatio sit obscura ex parte rei reuelatæ. Secundo, quia de essentia fidei tantum est, vt nitatur auctoritate dicentis, siue euidenter constet de dicente, siue non. Hoc patet in fide humana. Si enim assentiar alicui propositioni (quæ mihi obscura est) propter solam authoritatem Petri, qui asserit eam veram esse; sine dubio erit assensus fidei humanæ, etiamsi euidenter cognoscam, assertionem illam

illam fieri à Petro. Idem ergo dicendum est, de assensu fidei diuinæ.

6 Alij tamen contra sentiunt. Primo, quia assensus fidei nostræ pendet à voluntate, iuxta illud Rom. 10. 16. *Non omnes obediunt Euangelio.* At si esset euidentia de Deo reuelante, iam intellectus per huiusmodi euidentiam, conuinceretur ad præbendum assensum, & non indigeret imperio voluntatis. Secundo, quia fides nostra fundatur in reuelatione Dei: ergo si reuelatio esset euidens, iam fides fundaretur in euidenti medio seu fundamento. Ergo non esset essentialiter obscura. Tertio, quia nos per lumen fidei nostræ, non possumus euidenter cognoscere Deum esse, qui reuelat; sed hoc obscurè credimus: Ergo vt hoc euidenter cognoscamus, opus est alio lumine essentialiter distincto: Ergo etiam assensus illorum luminum, erunt essentialiter distincti: Ergo & obiecta formalia. Et formale obiectum vnius assensus, erit reuelatio euidens; alterius verò reuelatio obscura. Et confirmatur, quia euidentia & ineuidentia sunt essentiales differentiæ cognitionis: Ergo euidens cognitio reuelationis essentialiter distinguitur ab ineuidenti cognitione eiusdem: sed assensus noster est ineuidens circa reuelationem: Ergo essentialiter differt ab assensu euidenti circa eandem. Ergo si reuelatio esset euidens, non posset esse formale obiectum nostræ fidei. Quarto, quia nos credimus mysteria fidei propter reuelationem; & eodem actu credimus reuelationem propter seipsam: Ergo reuelatio est credita per fidem. Ergo non potest esse euidenter cognita.

7 Dico 1. Formale obiectum fidei, propter quod credimus, potest dupliciter spectari. Primo, adæquatè, quatenus includit non solam reuelationem, sed etiam veracitatem Dei, qua nec falli potest, nec fallere, vt suprà dictum est. Et sic exprimitur his verbis: *Reuelatio*

primæ veritatis, vel, prima veritas reuelans. Secundo, inadæquatè, & ſecundum alteram tantùm partem; vt ſi ſpectetur vel ſola reuelatio, vel ſola prima veritas.

8 Dico 2. Si totum obiectum formale, propter quod credimus, eſſet euidens actuali euidentia, tunc aſſenſus, qui illi inniteretur, eſſet eſſentialiter diſtinctus ab aſſenſu noſtræ fidei. Hoc probant argumenta ſecundæ opinionis; quia tunc aſſenſus ille eſſet euidens ex totali ratione obiecti. Talis autem euidentia, quæ ſumitur ex totali ratione obiecti, facit diſtinctionem eſſentialem in cognitione ſeu aſſenſu.

9 Dico 3. Si ſola reuelatio eſſet euidens, & veritas Dei obſcura; tunc aſſenſus ille, qui vtrique inniteretur, eſſet eſſentialiter obſcurus, & eiuſdem ſpeciei cum aſſenſu noſtræ fidei. Hoc probant argumenta primæ opinionis, ſimile eſt in diſcurſu Theologico. Nam aſſenſus concluſionis, non ſolum eſt obſcurus, quando ambæ præmiſſæ ſunt obſcuræ, & per fidem creditæ; ſed etiam quando altera eſt obſcura, & altera euidens lumine naturali. Hinc ſequitur, euidentiam eſſe differentiam eſſentialem cognitionis ſeu aſſenſus, quando ſumitur ex totali ratione obiecti formalis; non autem, quando ex vna tantum parte.

10 Dico 4. Reuelatio diuina, vt ſuprà inſinuaui, ſolet fieri dupliciter. Primo, per internam & ſpiritualem locutionem. Secundo, per externam & corpoream. Vtroque modo poteſt eſſe euidens. Priori quidem, ſi Deus infunderet intellectui ſpeciem intelligibilem, per quam intellectus intuitiuè videret actionem reuelationis, ſicut in ſe eſt. Tunc enim intuitiuè videret totam naturam & eſſentiam illius actionis, & conſequenter dependentiam ipſius à ſolo Deo. Ex quo euidenter conſtaret, actionem reuelationis, per quam myſteria fidei reuelantur, fieri ac dependere à ſolo Deo. Poſteriori verò, ſi Deus in aëre formaret aliquam vocem

corpoream, & miraculis aut alio modo euidenter ostenderet se esse, qui illam formaret.

11 Ex dictis facile soluuntur argumenta superius allata. Ad primum prioris opinionis respondeo, Prophetas & Apostolos habuisse tantum euidentiam reuelationis, non autem euidentiam primæ veritatis. Tametsi enim euidenter cognoscerent, Deum esse, qui reuelabat ipsis mysteria fidei; non tamen euidenter cognoscebant, Deum esse summè veracem, qui nec falli possit, nec fallere. Vnde sequitur, assensum illorum, quem habuerunt circa mysteria fidei, fuisse obscurum, & eiusdem speciei, cum assensu fidei nostræ. An autem Angeli viatores lumine naturali euidenter cognouerint, Deum esse summè veracem, quæstio est alterius loci.

12 Ad 2. respondeo, Fidem diuinam & humanam partim conuenire, partim discrepare. In eo conueniũt, quod vtraque nitatur authoritate dicentis; & quod vtraque sit obscura, siue euidenter constet de dicente, siue non. Nam illa obscuritas sumitur ex veracitate dicentis. Non enim euidenter constat, an is, qui aliquid reuelat, sit verax in reuelando, necne. In eo discrepant, quod fides humana nitatur reuelatione hominis, qui possit falli aut fallere. Diuina autem nitatur reuelatione Dei, qui non possit falli aut fallere. Vnde sequitur, diuinam, tametsi obscura sit, semper tamen certam esse ac infallibilem: Humanam verò, sicut obscura est, ita incertam ac fallibilem esse posse.

13 Ad 1. posterioris opinionis Respondeo; Assensum fidei nostræ pendere à voluntate, quia intellectus noster non potest euidenter conuinci ad assentiendum, nisi tota ratio formalis, propter quam assentitur, sit euidens. Nunc autem dictum est, totam rationem formalem non esse euidentem. Tametsi enim reuelatio aliquando sit euidens, tamen prima veritas est obscura.

14 Ad 2. Respondeo, fidem nostram fundari, non in sola reuelatione, sed simul in prima veritate: ac proinde totale medium seu fundamentum fidei nostræ esse primam veritatem reuelantem, seu reuelationem primæ veritatis. Hoc autem fundamentum non est euidens, quoad vtramque partem, vt dixi; ideóque assensus, qui illi innititur, non est essentialiter euidens, sed obscurus.

15 Ad 3. Concedo euidentem cognitionem reuelationis essentialiter distingui ab obscura cognitione eiusdem. Non tamen concedo, assensum Trinitatis, qui nititur euidenti reuelatione, essentialiter distingui ab assensu Trinitatis, qui nititur obscura reuelatione. Nam isti duo assensus non innituntur sola reuelatione, vt dictum est, sed partim reuelatione, partim prima veritate, quæ duo constituunt vnum totale obiectum fidei. Et quia hoc totale obiectum, ratione alterius partis, est obscurè cognitum; etiam illi duo assensus, qui fundantur in hoc totali obiecto, essentialiter obscuri sunt, ac proinde essentialiter non distinguuntur.

16 Ad 4. Respondeo, Reuelationem dupliciter cognosci posse. Primo directè & explicitè, quatenus est totalis materia cognitionis; vt si præcisè cognoscam hanc, vel illam reuelationem à Deo factam esse. Et talis cognitio potest esse, vel obscura, si credas: vel euidens, si euidenter cognoscas à Deo factam esse. Secundo indirectè & implicitè, quatenus est ratio credendi res à Deo reuelatas; vt si credas mysterium Trinitatis propter reuelationem; & eodem actu credas reuelationem propter seipsam. Et talis actus credendi est obscurus; quia est actus fidei, qui nititur non sola reuelatione, sed etiam prima veritate obscurè credita. Simile est de fine, qui dupliciter amari potest; Primo, directè, & secundum se, quod fit per actum intentionis. Secundo, indirectè, & in alio, quod fit per actum ele-

ctionis medij. Nam eodem actu, quo amatur medium directè, tanquam obiectum amoris; amatur etiam finis indirectè, tanquam motiuum amoris.

IV. QVÆSTIO.

An reuelatio primæ veritatis, vt sit formale obiectum Fidei, debeat esse publica, an priuata?

1 PVblica reuelatio est, quæ immediatè facta est Prophetis & Apostolis pro tota Ecclesia & per totum orbem publicata, iuxta illud Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Rom. 10. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Priuata est quæ fieri potest alicui priuato homini, non pro tota Ecclesia, sed pro ipso solo.

2 Hoc posito, duplex quæstio est. Vna, An prior reuelatio sufficiat omnibus ac singulis ad credendum? An verò præter eam, necessaria sit priuata? Hæretici nostri temporis videntur vtramque exigere: quia publica reuelatio, quæ Prophetis & Apostolis facta est, non potest singulis in particulari applicari, nisi per internam & priuatam reuelationem, quæ vnicuique propria sit. Quam alio nomine solent appellare, vel internum & priuatum spiritum testificantem: Vel internum & priuatum critirium.

3 Catholici docent, publicam reuelationem sufficere; eamque singulis applicari per prædicationem Euangelij, & authoritatem Ecclesiæ. Quod probant ex illis verbis citatis: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vbi Christus, sicut & alibi sæpius, mandat Apostolis, vt mysteria fidei, quæ ab ipso acceperant, aliis per prædicationem Euangelij communicarent. Quo etiam spectat illud, Rom. 10. 17. *Fides ex auditu.*

4 Sed notandum est, duo requiri ad credendum mysteria fidei. Primo, prædicationem Euangelij, vt iam

dixi ex Apostolo: *Fides ex auditu.* Secundo, internam gratiam, sine qua nemo potest credere, quæ audit per prædicationem Euangelij, Ioan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me*, per fidem, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, per internam gratiam. Hoc interest, quod prædicatio Euangelij sit quasi quædam applicatio illius reuelationis, quæ Prophetis & Apostolis facta est, vt dixi. Et ideo tenet se ex parte obiecti, seu mysteriorum fidei, quæ reuelantur, prædicantur, & creduntur. Gratia verò, non est applicatio mysteriorum, sed quædam motio, seu impulsus supernaturalis, qui excitat, & adiuuat hominem, vt velit & possit credere mysteria fidei, quæ ipsi per prædicationem proponuntur: Ideóque tenet se ex parte subiecti, id est, credentis. Sicut ad comburendum stipulas, duo necessaria sunt. 1. Applicatio stipularum ad ignem. 2. Vis comburendi in igne. Hæc requiritur ex parte ignis: Illa ex parte obiecti, seu materiæ, quæ ab igne comburitur.

5 Si aduersarij præter hæc duo, fingant aliquid tertium, nempe priuatum spiritum reuelantem seu testificantem, qui applicet nobis reuelationem publicam, quæ Prophetis & Apostolis facta est, audiendi non sunt. Nam per solam prædicationem Euangelij potest fieri sufficiens applicatio, modò ex parte credentis non desit gratia, quæ illum confirmet ac roboret ad credendum ea, quæ per prædicationem Euangelij proponuntur. Non negamus tamen, spiritum quendam reuelantem, vel, vt nos loquimur, peculiarem quandam assistentiam Spiritus sancti, dari Prælatis Ecclesiæ, quia ipsi diriguntur in gubernatione Ecclesiæ, & decisione controuersiarum fidei, quando necesse est, iuxta illam Christi promissionem, Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Sed illa assistentia nec priuata est, nec habet illos effectus, quos aduersarij tribuunt suo priuato spiritui,

quem habere se gloriantur. Aiunt tria illi competere. Primo, quod detur omnibus & solis prædestinatis. Secundo, quod omnes & solos prædestinatos, quando legunt vel audiunt Scripturam, infallibiliter faciat certos de diuina ipsius authoritate; ita vt statim norint discernere, quænam Scriptura sit diuina, quæ non sit. Tertio, quod eadem infallibilitate faciat eos certos, non solum de præsenti iustitia, & remissione peccatorum, sed etiam de futura perseuerantia & vita æterna. Quæ omnia alibi refutata sunt, partim tomo priori, tract. 4. cap. 2. q. 11. partim in opusculo de Circulo Caluinistico.

6 Altera quæstio oritur inter ipsos Catholicos, An scilicet, si daretur priuata aliqua reuelatio, distincta à reuelatione, quæ Prophetis & Apostolis facta est, posset esse formale obiectum nostræ fidei? Vel, an talis priuata reuelatio sufficeret ad credendum aliquod mysterium per virtutem fidei Theologicæ? Aliqui affirmant: Alij negant.

7 Sed distinctione opus est. Nam si fides spectetur quatenus dicitur catholica seu vniuersalis, solum nititur communi reuelatione, quæ Prophetis & Apostolis pro tota communitate facta est. Et hoc sensu fideles dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* (Eph. 2. 20.) Si autem spectetur fides secundum naturam & essentiam suam, potest etiam niti priuata reuelatione, quæ fit vni tantum homini. Hoc modo fides, qua Abraham iustificatus est, nitebatur priuata reuelatione, quæ illi soli facta erat de nascituro Filio. Et tamen illa fides erat eiusdem naturæ & essentiæ cum nostra fide iustificante, vt patet ex Apostolo, Rom. 4. Idem fit in fide humana. Nam siue credam Petro, quando mihi soli aliquid dicit, siue credam illi, quando multis in communi loquitur; semper assensus fidei manet eiusdem naturæ & speciei, quia semper nititur eadem authoritate dicentis.

CAPVT II.

De materiali obiecto Fidei, seu de Articulis Fidei.

MAteriale obiectum Fidei, sunt res à Deo reuelatæ, quæ nobis ad credendum proponuntur, siue habeantur ex Scriptura, siue ex Traditione. Sunt autem duplices. Aliæ principales, & ad salutem necessariæ; Aliæ secundariæ, & de rebus non necessariis. (D. Thomas quæst. 2. art. 5.) Priores vocari solent Articuli fidei, quorum præcipui in symbolo Apostolorum comprehensi sunt. De quibus generatim dicendum est, hoc ordine. 1. An Articuli fidei sint certi & infallibiles. 2. An sint clari & euidentes. 3. An inter illos sint duo principales, in quibus reliqui omnes implicitè continentur. 4. An plures articuli fidei sint in nouo testamento, quàm fuerint in veteri. 5. An Articuli noui Testamenti perfectius à nobis cognoscantur, quàm cogniti fuerint ab Apostolis.

I. QVÆSTIO.

An Articuli Fidei sint certi & infallibiles?

1 SVppono Primo, Articulos Fidei dupliciter spectari posse: Vel secundum se, abstrahendo à diuina reuelatione: Vel quatenus substant diuinæ reuelationi. Deinde triplicem esse certitudinem. Vnam, obiecti seu propositionis, vel articuli, cui assentimur. Alteram cognitionis, vel assensus. Tertiam subiecti, id est, cognoscentis, vel assentientis.

2 Certitudo propositionis oritur ex infallibili connexione prædicati cum subiecto: siue illa connexio sit infallibilis ex parte ipsius rei, vt fit in propositionibus necessariis; siue ex parte diuinæ reuelationis, vt fit in illis propositionibus, quarum connexio, licet ex se contingens sit, tamen infallibilis est, quatenus substat infallibili Dei reuelationi.

3 Certitudo assensus seu cognitionis, oritur ex certitudine obiecti, in quo duo spectanda sunt. 1. Ipsa propositio, cui assentimur; quod est obiectum materiale. 2. Ratio, propter quam assentimur; quod est obiectum formale. Vt ergo assensus sit certus ac infallibilis, duo necessaria sunt. Primo, vt propositio, cui assentimur, sit certa ac infallibilis. Secundo, vt ratio assentiendi, cui innititur assensus, sit etiam certa ac infallibilis. Nam si sola propositio esset certa, ratio autem assentiendi incerta; non posset assensus esse certus. Non enim potest esse certum, quod incerto nititur fundamento. Hoc patet in assensu opinionis. Nam si aliquis assentiretur certæ propositioni, propter rationem assentiendi dubiam & incertam; assensus illius non esset certus, sed dubius: Nec esset assensus scientiæ, sed opinionis.

4 Certitudo subiecti seu cognoscẽtis, reperitur in actu reflexo, quo quis iudicat, se nullo modo falli in assensu quem habet circa aliquam propositionem vel articulum. Et consistit in actuali quadam firmitate seu persuasione, quâ alicui propositioni vel articulo adhæremus. Iuxta hanc triplicem certitudinem ponam tres conclusiones.

5 Prima conclusio. Articuli fidei, si spectentur, quatenus subsant diuinæ reuelationi, omnes certi ac infallibiles sunt: Si a. spectentur secundum se, non omnes sunt tales. Ratio est, quia certitudo propositionis oritur ex infallibili connexione prædicati cum subiecto, vt dictum est: Vnde tam certa est vnaquæque propositio, quàm infallibilis est connexio inter prædicatum & subiectum. At articuli fidei, quatenus subsant diuinæ reuelationi, habent omnino infallibilem connexionem prædicati cum subiecto, quia diuina reuelatio nec falli potest, nec fallere: Ergo omnino certi ac infallibiles sunt. Si autem secundùm se spectentur, aliqui habent infallibilem connexionem à parte rei, vt Deum esse trinum,

& vnum; aliqui fallibilem & contingentem, vt Antichristum nasciturum. Ergo secundum se spectati, non omnes certi ac infallibiles sunt.

6 Secunda Conclusio. Assensus supernaturalis, quo assentimur articulis fidei, quatenus à Deo reuelati sunt, naturâ suâ certissimus est, & omnino infallibilis; tametsi illius certitudinem non penetremus. Prior pars patet ex dictis, quia certitudo assensus, partim oritur ex certitudine propositionis, cui assentimur, partim ex certitudine rationis assentiendi, propter quam assentimur. At articuli fidei, quatenus subsant diuinæ reuelationi, sunt maximè certi ac infallibiles, iuxta præcedentem conclusionem; Et ratio assentiendi non est alia, quàm ipsa diuina reuelatio, quæ etiam maximè certa & infallibilis est: Ergo assensus, qui illi innititur, non minus certus & infallibilis est.

7 Posterior pars probatur, quia certitudo assensus non potest penetrari, nisi penetretur ipsius causa, à qua immediatè dependet: At causa, à qua dependet, est certitudo articulorum fidei, & certitudo reuelationis diuinæ, quæ ambæ nobis in hac vita obscuræ sunt, vt præcedenti capite ostensum est: Ergo similiter certitudo assensus in hac vita obscura est, & à nobis penetrari non potest. Nota discrimen inter assensum fidei supernaturalem, de quo agimus, & assensum scientiæ naturalis, de quo non agimus. Nam prior obscurus est, vt dixi; posterior euidens. Prior versatur circa obiectum obscurum; posterior circa euidens. Prior innititur rationi assentiendi obscuræ; posterior euidenti.

8 Tertia Conclusio. Oportet firmissimè adhærere articulis fidei, quatenus reuelati sunt; & multo firmius, quàm vlli propositioni naturali, quantumuis claræ & euidenti. Ratio est, quia articuli fidei, quatenus subsant diuinæ reuelationi, sunt in altiori ordine certitudinis, quàm propositiones naturales. Hoc interest,

quod intellectus per se possit adhærere naturalibus: nō a. reuelatis, nisi accedente pio voluntatis affectu, quo in assensum & obsequium fidei, quasi captiuus trahatur. Nam intellectus non penetrat veritates reuelatas, sicut penetrat naturales. Vnde fit, vt necessariò adhæreat naturalibus; liberè autem reuelatis. Opus igitur est pio voluntatis affectu, de quo plura cap. 8. quæst. 5.

9 Dices. Hæc conclusio, quæ agit de actu adhæsionis, quo firmissimè adhæremus articulis fidei, non videtur distingui à præcedenti, quæ agit de assensu, quo ijsdem articulis, firmissimè assentimur. Videtur enim idem esse, firmissimè adhærere articulis fidei, &, firmissimè assentiri articulis fidei. Respondeo. Non est idem. Primo, quia intellectus per assensum, immediatè fertur in articulos fidei; per adhæsionem verò, mediante assensu. Nam per assensum directè iudicat, articulos fidei esse veros. Posito autem assensu, reflectit se supra ipsum assum, & iudicat se in illo non errare circa eosdem articulos. Secundo, quia actus adhæsionis est communis Catholicis & Hæreticis; non autem assensus fidei. Nam sicut Catholicus, mediante vero assensu, firmiter adhæret articulis fidei, iudicans se in suo assensu non errare; sic etiam hæreticus, mediante falso assensu, firmiter adhæret contrarijs articulis, similiter iudicans se in suo assensu non errare. Imo sæpe fit, vt Hæreticus multo firmius ac tenacius adhæreat errori, quam Catholicus veritati. Hoc patet ex euentu. Nam sæpè facilius est, Catholicum dimouere à sua persuasione, quâ adhæret veritati; quam Hæreticum à sua, quâ adhæret falsitati. Si etiam conferamus inter se duos Catholicos, in quibus sit idem assensus fidei, sæpè fit, vt alter firmius illi adhæreat, quàm alter; quia vnus paratus est mori pro fide, alius non est.

II. QVÆSTIO.

An Articuli Fidei sint clari & euidentes?

1 CErtum est, si secundùm se spectentur, aliquos illorum esse claros & euidentes, vt Deũ esse, Deum esse vnum, esse prouidentem: aliquos obscuros & ineuidentes, vt Deum esse trinum & vnum, Verbum esse incarnatum. Si autem spectentur, quatenus reuelati sunt, omnes esse obscuros & ineuidentes, quia reuelatio ex parte rei reuelatæ semper obscura est, vt explicaui cap. 1. q. 3. concl. 1.

2 Peculiaris difficultas est, An hic articulus, *Deus est trinus & vnus* (qui vtroque modo, tam secundùm se, quàm quatenus subsłat diuinæ reuelationi, obscurus est) possit esse clarus & euidens in hac vita, saltem per absolutam Dei potentiam? Vel, vt recentiores Scholastici proponunt, An puro viatori, per absolutam Dei potentiam communicari possit clara & euidens cognitio mysteri Trinitatis, non quidem intuitiua, sed abstractiua? Nam qui clarè intuetur hoc mysterium, non est purus viator, sed comprehensor. Igitur de abstractiua cognitione quæstio est. Affirmant Scotus in 2. dist. 3. q. 9. Molina 1. par. q. 1. art. 2. disp. 4. Valentia ibidem, quæst. 1. p. 3. Negant Durandus quæst. 3. Prologi, & Argentinas ibidem.

3 Nota 1. Hanc quæstionem dupliciter intelligi posse. 1. De cognitione, An sit? 2. De cognitione, Quid sit? quæ vocatur quidditatiua. Prior sensus sic potest proponi: An euidenter & abstractiuè in hac vita cognosci possit, quod Deus sit Trinus & Vnus? Posterior sic, An euidenter & abstractiuè in hac vita cognosci possit, quid sit Deus trinus & vnus? Seu, quæ sit natura & quidditas vnius Dei, & trium personarum? De hoc posteriori sensu agimus.

4 Nota 2. Non posse aliquam veritatem seu propositio-

nem hoc posteriori modo euidenter cognosci ab intellectu, nisi vel ex terminis euidenter cognitis, vel per medium euidenter cognitum. Ratio est, quia omnis propositio, si euidenter nota est, vel est per se nota, vel per aliquid aliud. Si per se, iam ex suis terminis cognoscitur; quod tunc fit, quando cognitio extremorum est tam euidens, vt ex vi illius, simul etiam cognoscatur eorum connexio. Si autem est nota per aliquid aliud, iam per aliquod medium cognoscitur, quod illam euidenter ostendit. Vnde sequitur, si hæc veritas, *Deus est trinus & vnus*, posset euidenter cognosci abstractiuè, quod deberet alterutro modo cognosci. De quo inquirendum nunc est.

5 Prima Conclusio. Hæc veritas, *Deus est trinus & vnus*, posset euidenter, abstractiuè, & quidditatiuè cognosci ex suis terminis, si posset dari species intelligibilis impressa, quæ euidenter & abstractiuè repræsentaret nobis essentiam diuinam. Ratio est, quia per talem speciem possemus habere cognitionem Dei, quidditatiuam abstractiuam. Hæc autem cognitio (vt notat Scotus quodl. 7. concl. 2.) virtute & euidenter contineret omnes veritates necessarias de Deo, non tamen contingētes. Ergo per illam cognosceremus, Deum esse trinum & vnum, Filium procedere à Patre per intellectum, Spiritum Sanctum à Patre & Filio per voluntatem: Non autem Deum esse incarnatum, aut prædestinasse aliquos ad vitam æternam, aut ex nihilo creasse hunc mundum. An autem talis species dari possit, controuersia est. Negantem partem defendi in 1. par. tract. 1. cap. 9. q. 2.

6 Secunda Conclusio. Hæc veritas, *Deus est trinus & vnus*, non potest euidenter cognosci per medium cognitum. Ratio est, quia deberet cognosci, vel per causam, vel per effectum, vel per aliquid extrinsecum. Non primo modo, quia Trinitas nullam habet causam. Nec secundo, quia nullus effectus

procedit à Deo, vt trinus est. Opera enim Trinitatis ad extra, vt loquuntur Scholastici, sunt indiuisa. Nec tertio, quia medium extrinsecum dari non potest, nisi diuina reuelatio, quæ vel non est euidens, vel non euidenter ostendit Trinitatem personarum. Nullum ergo medium est per quod euidenter cognosci possit, Deum esse trinum & vnum.

7 Dices. Sunt tres effectus, per quos euidenter cognosci id potest. Primus est, Relatio creaturæ ad Creatorem; quia si quis euidenter illam comprehenderet, euidenter etiam cognosceret illius terminum, nempe Deũ subsistentem cum potentia creandi: Deus autem non subsistit, nisi in tribus personis: Ergo cognosceret tres personas. Secundus est, Visio beatifica, quia illa terminatur ad tres personas, & eas clarè ac quidditatiuè repræsentat. Tertius est, vnio hypostatica, quæ terminatur ad personam Verbi.

8 Respondeo. Relatio creaturæ ad Creatorem non terminatur expresse & formaliter ad tres personas, nisi quatenus vnum sunt in essentia & potentia creandi. Nec est medium ad cognoscendum terminum, sed potius supponit cognitionem sui termini, vt ipsa cognosci possit. Hoc patet ex communi doctrina de Relationibus.

9 Visio beatifica tribus modis referri potest ad Deum. Primo, vt effectus ad causam: Et sic, neque exactè representat Deum, cùm sit effectus inadæquatus; neque vllo modo representat Trinitatem, quia nullus effectus procedit à Deo, vt trinus est. Secundo, vt cognitio ad obiectum cognitum: & sic non est medium cognitum, quod nos ducat in abstractiuam Dei cognitionem; sed est ipsa cognitio intuitiua, qua Deus immediatè in se videtur, sicuti est. Tertio vt cognitio ad terminum; quatenus visio includit respectum transcendẽtalem ad Deum, tanquam ad extrinsecum terminum: Et sic, cognita visione, solum cognosci potest, Deum esse terminum il-

lius; non autem haberi potest quiddatiua Dei cognitio.

10 Vnio hypostatica terminatur quidem ad solam personam Verbi, sed tamen ex vi cognitionis illius, non potest aliud cognosci, quàm dari aliquam subsistentiam diuinam, quæ sit terminus illius vnionis. Quæ autem, & qualis sit illa subsistentia, non potest inde quiddidatiuè cognosci.

III. QVÆSTIO.

An sint duo principales Articuli, in quibus reliqui omnes implicitè continentur?

1 AFfirmat D. Thomas quæst. 1. art. 7. Cuius sententia breuiter explicanda est.

Prima Conclusio. Duo sunt primarij articuli, qui semper fuerunt necessarij ad salutem. Vnus, Deum esse. Alter, Deum habere prouidentiam circa homines. Vtrumque complexus est Apostolus, Hebr. 11. 6. cùm ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* In his duobus Articulis implicitè continentur omnes reliqui. In priori quidem, omnes articuli de Deo & Trinitate; vt quod Deus sit vnus, bonus, iustus, misericors, omnipotens, æternus, infinitus: & quod sint tres personæ diuinæ eiusdem essentiæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. In posteriori verò, omnes articuli de prouidentia Dei circa homines; vt quod Deus creauerit illos ad imaginem & similitudinem suam; quod præscripserit illis legem, secundum quam viuere debeant; quod benè agentibus præmia, malè agentibus supplicia constituerit; quod eos à seruitute peccati per Christum redemerit; quod Sacramenta pro ipsorum salute instituerit; & sic deinceps.

2 Igitur, qui in veteri Testamento explicitè credebant illos duos primarios articulos, implicitè credebant omnes reliquos. Et hoc sensu affirmat D. Thomas, arti-

culos fidei, tametsi successu temporis creuerint, quoad numerum, (quia plures sunt in nouo, quam fuerint in veteri Testamento, vt sequenti quæstione ostendam) non tamen creuisse, quoad substantiam. Nam tota illorum substantia implicitè continetur in duobus illis primarijs: Deus est, & Deus habet prouidentiam circa homines.

3 Secunda Conclusio. Illi duo articuli possunt dupliciter spectari. Primo, quatenus solo lumine naturali cognoscuntur. Et sic reliqui articuli fidei, qui nobis reuelati sunt, non continentur in illis implicitè, seu virtualiter. Nam gentilis, qui solo lumine naturali cognoscit, Deum esse, & habere prouidentiam circa homines; non censetur implicitè credere omnes articulos fidei Christianæ. Ratio est, quia nemo censetur illos implicitè credere, nisi habeat piam affectionem voluntatis, qua paratus sit illos credere, si proponantur. At gentilis, per hoc præcisè, quod lumine naturali cognoscat, Deum esse, & habere prouidentiam circa homines; non habet piam voluntatem credendi articulos fidei Christianæ; quia hæc voluntas pendet etiam ex auxilio gratiæ actualis. Et confirmatur, quia Diabolus solo lumine naturali perfectè cognoscit, Deum esse, & habere prouidentiam circa homines; & tamen non habet piam voluntatem credendi articulos fidei, qui nobis reuelati sunt.

4 Secundo possunt spectari, quatenus creduntur fide supernaturali, propter reuelationem Dei. Et sic reliqui articuli in illis implicitè & virtualiter continentur. Dices: Ergo ex illis per bonam consequentiam duduci possunt. At non possunt. Ergo in illis implicitè non continentur. Minor patet, quia non sequitur, Deus est: Ergo est trinus in personis. Nec item: Deus habet prouidentiam circa homines: Ergo Filius Dei est incarnatus. Respondeo. Non ideo dicuntur implicitè in illis contineri,

contineri, quasi per bonam & euidentem consequentiam ex ijs deduci possint; Sed ob alias duas causas. Vna sumitur ex parte credentis. Altera ex parte rei creditæ.

5 Prior est: Qui expressè credit illos duos primarios articulos, propter reuelationem Dei, habet expressam voluntatem illos credendi, vt dictum est. At qui expressè vult credere duos primarios articulos, præcisè propter reuelationem Dei, censetur implicitè velle credere reliquos articulos, propter eandem reuelationem. Sicut, qui expressè dolet de vno peccato mortali, cuius meminit, propter amorem Dei; censetur implicitè dolere de aliis peccatis, quorum non meminit, ex eodem Dei amore. Et qui expressè paratus est ex charitate seruare vnum præceptum Dei, quod illi proponitur; censetur ex eadem charitate implicitè paratus esse ad seruanda reliqua, quæ illi non proponuntur.

6 Posterior est: Reliqui articuli dicuntur implicitè contineri in illis duobus, quia vel ex natura rei, vel ex libera Dei voluntate in illis continentur. Nam omnes articuli de Deo & Trinitate, ex natura rei continentur in illo, *Deus est*. Et omnes reliqui articuli, ex beneplacito Dei, continentur in illo, *Deus habet prouidentiam circa salutem hominum*. Vnde qui expresse credit, *Deum esse*, censetur implicite credere, Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis. Similiter, qui expresse credit, *Deum habere prouidentiam circa homines*; censetur implicite credere, omnes modos particulares, quibus Deus ex suo beneplacito constituit homines ad salutem perducere.

7 Sed contrà: Si omnes articuli de Deo & Trinitate ex natura rei continentur in illo, *Deus est*. Ergo per necessariam consequentiam ex illo deduci possunt, quod suprà negatum est. Patet à simili. Nam quidquid ex natura rei continetur in hac propositione, *Homo*

est, hoc per necessariam consequentiam ex ea deducitur. Necessario enim sequitur: Est Homo: Ergo est rationale; quia rationale ex natura rei continetur in homine. Ergo similiter necessario sequitur: Est Deus: Ergo est trinus in personis; quia Triniras ex natura rei continetur in Deo. Respondeo. Necessario sequitur ex parte rei, sed non respectu nostri. Vel, est necessaria consequentia ex parte rei; sed non est euidens respectu nostri in hac vita mortali.

IV. QVÆSTIO.

An sint plures Articuli Fidei in nouo Testamento, quàm fuerint in veteri?

1 D. Thomas quæst. 1. art. 7. sic proponit: An Articuli Fidei creuerint successu temporis? Et respondet, Non creuisse quoad substantiam, sed quoad numerum. Prius iam explicatum est; Posterius hic explicandum.

Prima conclusio. Multi Articuli Fidei expresse reuelati sunt in nouo Testamento, qui non erant expresse reuelati in veteri. Cuiusmodi sunt hi. 1. De necessitate Baptismi. 2. De reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. 3. De Sacramento Confirmationis, extremæ Vnctionis, & Matrimonij. 4. De secreta peccatorum Confessione & Absolutione. 5. De Vicario Christi in gubernatione totius Ecclesiæ. Et si qui similes sunt. Vnde sequitur, plures esse articulos fidei in nouo testamento, quàm fuerint in veteri.

2 Notandum tamen est, hæc duo distincta esse. Primo, hi Articuli non fuerunt reuelati in veteri Testamento. Secundo, hi arriculi non fuerunt præfigurati in veteri Testamento. Prius verum est; Posterius falsum. Nam Baptismus fuit præfiguratus per circumcisionem & transitum maris rubri: Eucharistia per panem & vinum Melchisedech: Et sic deinceps.

3 Secunda Concluſio. Illi ipſi Articuli fidei, qui in vtroque Teſtamento reuelati ſunt, multo clarius & expreſſius reuelati ſunt in nouo Teſtamento, quàm in veteri; vt articulus Trinitaris, Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis Chriſti, & vocationis gentium: Hi enim obſcurè reuelati ſunt in veteri Teſtamento; clarè in nouo.

4 Obijcies; Suprà dictum eſt (cap. 1. quæſt. 3.) diuinam reuelationem ſemper eſſe obſcuram, nunquam claram. Reſpondeo. Semper eſt obſcura, tum ex parte Dei reuelantis, tum ex parte rei reuelatæ, vt ibidem explicatum eſt. At ex parte verborum, quibus proponitur, aliquando eſt obſcura, aliquando clara. Et hoc ſenſu hic loquimur. V. g. Reuelatio myſterij Trinitatis in nouo Teſtamento clara eſt ex parte verborum; Mat. 28. 29. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et 1. Ioan. 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Et hi tres vnum ſunt.* Tres, quoad perſonas: Vnum, quoad eſſentiam. At in veteri Teſtamento, fuit obſcura; vt Gen. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et, *Spiritus Domini ferabatur ſuper aquas.* Vbi aliqui putant, Patrem ſignificari nomine Dei: Filium, nomine principij: Spiritum Sanctum, nomine Spiritus Domini. Item Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Vbi Deus de ſe loquitur in plurali numero, propter pluralitatem perſonarum. Sed tam obſcurè, vt Trinitas inde colligi non poſſit. Simile eſt illud Gen. 3. 22. *Ecce, Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Et Gen. 11. 7. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

5 Idem dico de myſterio Incarnationis & vocationis gentium. Hoc enim obſcurè reuelatum fuit Prophetis; clarè Apoſtolis, Eph. 3. 5. *Prout poteſtis legentes intelligere*

prudentiam meam in mysterio Christi: quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes, & concorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium. Nota, in mysterio vocationis gentium duo spectari posse. Primo, quod gentiles vocandi essent ad fidem Christi. Secundo, quod saluandi essent sine onere circumcisionis & legis Mosaïcæ. Prius fuit reuelatum in veteri Testamento per Isayã (cap. 2. 2. Et cap. 54. 3. & cap. 55. 1.) Et per alios Prophetas: Posterius non item: Et ex hac parte, Apostoli habuerunt pleniorem cognitionem vocationis gentium, quàm Prophetæ.

6 Ratio autem, cur Articuli Fidei in nouo Testamento clarius explicati sint, quàm in veteri; est hæc, quia serui non tam perfectè sciunt consilia & secreta Patris familias, quàm filij & amici, iuxta illud Ioan. 15. 14. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius.* At Iudæi erant serui, nos filij: Illi ex ancilla, nos ex libera (Gal. 4. 31.) Et ad hoc significandum, Moyses velata facie loquebatur Iudæis: nobis autem reuelata facie locutus est Christus, (teste Apostolo 2. Corint. 3. 13.) Quo etiam spectat, quod passim docent Theologi, vetus Testamentum differre à nouo, sicut vmbram imaginis ab ipsa imagine (Hebr. 10. 1.) Sicut occultum à patefacto (August. lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 26.) Sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore, spicam à frumento. (D. Thomas in 2. quæst. 107. art. 3.)

V. QVÆSTIO.

An Articuli Fidei perfectius cognoscantur à nobis, quàm cogniti fuerint ab Apostolis?

1 IOachimus Abbas distinguit tres status hominum. Primum, ab Adamo vsque ad Christum. Secundum,

à Christo vsque ad Sanctum Benedictum. Tertium, à Sancto Benedicto vsque ad finem mundi. In primo dicit latam & prædicatam esse legem carnalem. In secundo, latam quidem legem spiritualẽ Euangelij, sed carnaliter, non spiritualiter prædicatam. In tertio, eandem spiritualiter prædicatam. Ita refert Guido Carmelita in lib. de Hæresibus, Alphonsus à Castro lib. 2. aduersus hæreses, Verbo, *Apostoli*, & alij ex illis. Vnde sequitur, Articulos Fidei, ex sententia Ioachimi, perfectius nunc intelligi & prædicari, quàm tempore Apostolorum intellecti & prædicati fuerint. Nunc enim secundum Spiritum intelligi & prædicari; quod tempore Apostolorum factum non est.

2 Prima Conclusio. Articuli fidei non cognoscuntur hoc tẽpore perfectius, quã cogniti fuerint ab Apostolis. Nam Apostoli habuerunt plenam notitiam omnium articulorũ, qui ad salutem sunt necessarij. Ioan. 15. 15. *Omnia quæcũque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et cap. 16. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et 2. Cor. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ, sed Spiritu.* Et Eph. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum.* Et ratio duplex est. Vna sumitur ex hoc vltimo testimonio, quia doctrina fidei, quam nos habemus, fundatur in doctrina Apostolorum: Ergo nostra non potest esse perfectior, quàm illorum fuit. Altera, quia nos aliunde non habemus notitiam fidei, quàm ex Scriptura & Traditione. At Apostoli non minus intellexerunt Scripturam & Traditionem, quàm nos. Nam ipsi, ex immediata Dei reuelatione, acceperunt Scripturam & Traditionem.

3 Dices: Multi Articuli fidei, post tempora Apostolorum, in diuersis Concilijs perfectius explicati sunt, quàm antea erant; vt quod Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, tanquam ab vno principio; quòd Sa-

cramenta conferant gratiam ex opere operato, quòd B. Virgo manserit in perpetua virginitate; Et sic deinceps. Respondeo. Huiusmodi articuli explicati sunt ex ipsa Scriptura & Traditione. Igitur Apostoli, qui optimè intelligebant sensum Scripturæ & Traditionis, non indigebant explicatione. Alij verò, qui post tempora Apostolorum secuti sunt, quia non semper assequebantur mentem Scripturæ & Traditionis, indigebant explicatione; quæ tamen, vt dixi, ex ipsa Scriptura & Traditione facta est.

4 Sed contrà: Prælati Ecclesiæ in Concilijs congregati, solent inuocare Spiritum Sanctum, vt per eius assistentiam possint definire controuersias Fidei, quæ proponuntur: Ergo definitio & explicatio articulorũ fidei, quã ipsi faciunt, non sumitur ex sola Scriptura & Traditione, sed multo magis ex assistentia & directione Spiritus Sancti. Respondeo. Sumitur ex sola Scriptura & Traditione, per assistentiam Spiritus Sancti. Ideò enim Spiritus Sanctus assistit Prælatis Ecclesiæ, vt perfectè intelligant sensum Scripturæ & Traditionis; non autem, vt nouas reuelationes, aut nouam doctrinam ab illo accipiant.

5 Sed iterum contrà: Spiritus Sanctus eo modo assistit Prælatis Ecclesiæ in Concilijs generalibus, quo astitit Apostolis in Concilio Hierosolymitano: At illis astitit per nouam reuelationem, non autem per simplicem explicationem Scripturæ aut Traditionis: Ergo eodem modo assistit Prælatis Ecclesiæ. Resp. Solutio huius obiectionis pendet ex illa quæstione. An Apostoli plenam cognitionem Articulorum Fidei acceperint in ipso die Pentecostes, per missionem Spiritus Sancti; An verò progressu temporis aliqua didicerint, quæ antea nesciebant? Vel, quod idem est, An illa promissio; *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, perfectè impleta sit in die Pentecostes; an verò successu temporis? Priorem partem tenet Dominicus Bannes q. 5. ar. 7. dub.

2. Posteriorem Toletus in c. 16. Ioan. annotat. 20. Pro maiori intelligentia, duo explicanda sunt. 1. Quomodo docti sint omnem veritatem à Spiritu Sancto. 2. Quando docti sint. Sit igitur.

6 Secunda Conclusio. Spiritus Sanctus varijs modis docuit Apostolos omnem veritatem. 1. Reuocando illis quædam in memoriam, quæ audierant à Christo, sed obliti erant. 2. Explicando quædam, quæ audierant, sed non intellexerant. 3. Multa de nouo docendo, quæ à Christo non audierant. 4. Aperiendo verũ sensum Prophetiarũ veteris Testamenti. Vide Toletum loco citato.

7 Tertia Conclusio. Spiritus Sanctus non docuit Apostolos omnem veritatem in die Pentecostes, sed successiue, prout necessitas Ecclesiæ exigebat. Nam Petrus (Actor. 10. 10.) in mentis excessu, per visionem sibi oblatam, didicit, gentiles ad fidem Christi pertinere, non minus quàm Iudæos; quod antea nesciebat. Vnde ibid. v. 34. ait: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Et Apostoli in Concilio Hierosolymitano (Act. 15. 6.) disputarunt de hac quæstione, an gentiles conuersi ad fidem Christi, saluari possent sine circumcisione, & obseruatione legalium. Et tandem, magna inquisitione facta, concluserunt his verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Ergo Spiritus S. in illo Concilio aliquid eos docuit, quod antea non sciebant. Et de Paulo certum est, quod post acceptum Spiritum S. raptus sit in tertium cœlum & audierit *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Nam Spiritum Sanctum accepit Damasci, per impositionem manuum Ananiæ, statim post suam conuersionem (Act. 9. 17.) At nouem annis post conuersionem, raptus est in tertium cœlum, vt ostendit Cornelius à Lapide, in cap. 12. posterioris ad Corinthios, & plures alij. Igitur Apostoli, non vno tempore, sed successiuè didicerunt ea, quæ ad doctrinam

Fidei Christianæ erant necessaria.

8 His positis, ad obiectionem n. 5. allatam, sic respondeo. Spiritus S. duobus modis potuit assistere Apostolis in Concilio Hierosolymitano. 1. Per nouam reuelationem. 2. Per explicationem Scripturæ veteris Testamenti: Si astitit priori modo, vt obijcitur, tunc negandum est, quod eodem modo assistat Prælatis Ecclesiæ in Conciliis generalibus. Ratio diuersitatis est, quia Apostoli, pro noua Christi Ecclesia, indigebant nouis reuelationibus. Prælati Ecclesiæ iam non indigent. Nam omnes reuelationes, quæ toti Ecclesiæ futuræ erant necessariæ, sufficienter factæ sunt Apostolis.

Caput III.

De Scriptura, in qua continentur Articuli Fidei.

Articuli Fidei, de quibus generatim dictum est, partim habentur ex Scriptura, partim ex Traditione. Igitur de Scriptura & Traditione agendum est. In Scriptura tria spectari possunt. 1. Canon seu Catalogus librorum Scripturæ. 2. Versio, seu translatio. 3. Sensus, tàm literalis, quàm mysticus. De quibus dicendum est, hoc ordine. 1. Qui libri sint Canonici seu diuini? Vel, quod est, qui libri pertineant ad sacram Scripturam. 2. Quæ sit legitima versio Scripturæ. 3. Quis sit sensus Scripturæ literalis, & quis mysticus. 4. An quilibet Scripturæ locus admittat sensum literalem. 5. An aliquando vnus idémque locus admittat plures sensus literales. 6. An quando libri veteris Testamenti citantur in nouo, citentur tantùm in sensu literali. 7. An sensus literalis sit obscurus. 8. quæ sit causa huius obscuritatis. 9. An Lutherani & Caluinistæ habeant veram Scripturam, & ex ea disputare possint.

I. QVÆSTIO

Qui libri Scripturæ sint Canonici?

1 CAnon duo significat. 1. Normam seu regulam, quam sequimur. 2. Catalogum seu numerum aliquarum rerum. Vtroque sensu libri Scripturæ vocantur canonici. Priori quidem, quia continent normam seu regulã, quam in fide & moribus sequi debemus. Posteriori, quia in catalogum librorum diuinorũ relati sunt.

2 Est ergo quæstio, quinam libri veteris ac noui testamenti sint canonici, hoc posteriori sensu? Id est, quinam relati sint in canonem seu catalogum librorum scripturæ, tanquam diuini, seu à Deo inspirati? Respondeo. In canonem, quo vtuntur Catholici, relati sunt hi libri veteris testamenti: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Thobias, Iudith, Ester, Iob, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, quatuor maiores Prophetæ, duodecim minores, duo libri Machabæorum. Item, hi libri noui Testamenti: Quatuor Euangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolæ Pauli, tres Ioannis, duæ Petri, vna Iacobi, vna Iudæ, Apocalypsis Ioannis.

3 Hic canon habetur in Concilio Tridentino, sess. 4. Et Patres illius Concilij acceperunt illum per Traditionem ab Eugenio Papa, in Concilio Florentino, vt videre est apud Bartholomæum Carranzam in summa Conciliorum. Rursum, Eugenius illum accepit à Gelasio Papa, in Concilio Romano, vt patet ex 2. tomo Conciliorum, in decretis Gelasij circa finem. Iterum Gelasius ab Augustino, lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Et Augustinus à Concilio Carthaginensi tertio, quod alij quintum, alij sextum vocant. Denique Patres huius Concilij ab Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium

c. 7. Vixit autem Innocentius an. Christi 402. Igitur ab illo tempore primitiuæ Ecclesiæ ad nos vsque, per continuatam Traditionem, perseuerat idem ille scripturæ canon, quem nos Catholici nunc tenemus & amplectimur.

4 Ex hoc canone non paucos libros aduersarij nostri expunxerunt. Caluinistæ quidem, ex canone veteris Testamenti, Thobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos. Lutherani verò, tum illos eosdem; tum etiam ex canone noui Testamenti, Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ, & Apocalypsin Ioannis. In quos optimè quadrat, quod de Manichæis scripsit Augustinus, in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 11. *Scripturas*, inquit, *sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, imo sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt, reiiciant.*

5 Dices 1. Thobias, Iudith, Sapientia Ecclesiasticus, & Machabæi non fuerunt in canone Iudæorum: Ergo etiam debent excludi à nostro canone. Respondeo. Negatur consequentia. Non enim necesse est, vt illi soli libri habeantur canonici apud nos Christianos, qui tales habiti sunt apud Iudæos, vt rectè notat Augustinus, lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. cùm ait: *Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Et ratio manifesta est, quia canon Iudæorum consignatus fuit ab Esdra, vel saltem tempore Esdræ, vt plerique tradunt. At tempore Esdrę, nondum scripti erant libri Machabæorum. Quid ergo mirum, si in illum canonem relati non fuerint? Idem post Augustinum notauit Isidorus in libro Proœmiorum de libris veteris ac noui Testamenti. *Hebræi*, inquit, *non recipiunt libros Thobiæ, Iudith, & Machabæorum. Ecclesia tamen eosdem inter canonicas scripturas enumerat.* Et ibidem; *Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis canonicis libris tenere noscuntur authoritatem.*

6 Dices 2. Non soli Iudæi, sed etiam multi Christiani, præsertim antiqui Patres, qui scripserunt ante Innocentium & Augustinum, excluserunt supra dictos libros à canone. Respondeo, Canon, quo nunc vtuntur Christiani, nondum erat consignatus tempore istorum Patrum. Extabant quidem varij libri, tam veteris quàm noui Testamenti, qui in manibus hominum versabantur; sed nondum erat determinatè ab Ecclesia definitum, quinam ex illis pro canonicis habendi essent, qui non essent. Primus, qui hoc legitimè definiuit, fuit Innocentius Papa. Eius definitionem secutus est Augustinus cum aliis Episcopis Africæ, in Concilio Carthaginensi; Exuperius cum Episcopis Galliæ; Gelasius in Concilio Romano; totus denique orbis Christianus vsque ad hæc nostra tempora. Soli ferè Lutherani & Caluinistæ, sine causa, tergiuersantur, & à consensu tot Patrum & Conciliorum, ad paucos Patres qui ante definitionem Innocentij, de hac re scripserunt, importunè prouocant. Sed frustrà. Nam Patres illi, cùm res nondum esset legitimè per Ecclesiam declarata, poterant de quibusdam libris, vel dubitare, vel aliter sentire. At nunc, facta & approbata legitima declaratione, dubitationi, vel contrariæ opinioni locus non est. De hoc plura scripsi in libro, De Titulis Caluinistarum.

II. QVÆSTIO.

Quæ sit legitima versio Scripturæ?

1 NOs Catholici vtimur veteri ac vulgata versione, quæ iam multis seculis in Ecclesia viguit, & communi Christianorum consensu recepta est. Hanc repudiant nostri Aduersarij, & in eius locum, non vnam aut duas, sed propè infinitas suis auditoribus obtrudunt. Nam alia est versio Lutheri, alia OEcolampadij, alia Theodori Bibliandri, alia Castalionis, alia

Iunij & Tremellij, alia Munsteri, alia Bezæ, aliæ aliorum: quæ omnes inter se diffident, & ab ipsis aduersariis meritò reprehenduntur.

2 Certè Lutherus in commentario de nouissimis verbis Dauidis, in præfatione: *Omnino*, inquit, *melius esset, retinere illam hactenus receptam & vsitatam versionem Bibliorum, quàm tot nouas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum, memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quàm fuerat dimittit.*

Et in libro prophetiarum suarum, qui à Georgio Vualtero Hallensi Prædicante collectus est: *Tam multæ*, inquit, *nostro tempore sunt versiones Bibliorum, vt paulatim tam multa futura sint Biblia, quam multi scioli in Hebraïca lingua Magistros sese profitebuntur.* Et Rauchlinus (alias Capnion) in Hebræas concordantias Rabbi Nathan: *Multæ translationes Bibliorum in lucem prodeunt, quas melius fuisset non natas esse, vel statim interiisse.* Omitto alios, qui similia habent.

3 Quanto fœliciores Catholici, qui vnam, certam, constantem, ac vniformem sequuntur Editionem: Et tametsi toto orbe diffusi sint, vnâ tamen loquuntur linguâ, & iisdem Spiritus Sancti verbis ac formulis assueti sunt. His rectè accommodari potest illud, Gen. 11. 1. *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem.* Et ibidem: *Ecce, vnus est populus, & vnum labium omnibus.* Aduersariis verò, quod sequitur; *Confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Et rursum; *Vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ.* Vno verbo. Catholici & aduersarij repræsentant duas familias, in quarum altera, Pater & Mater, filij & filiæ, serui & ancillæ, eodem loquuntur idiomate, & singuli singulos probè intelligunt: in altera tot idiomata sunt, quot capita: vbi

Pater Gallicè, mater Hiſpanicè, filij Latinè, filiæ Belgicè, ſerui Italicè, ancillæ Germanicè loquuntur: Vbi poſcenti panem, porrigitur lapis; volenti bibere, miſcetur pharmacum; & ſic deinceps.

III. QVÆSTIO.

Quis ſit ſenſus Scripturæ literalis, & quis myſticus?

1 SOlet diſtingui duplex Scripturæ ſenſus. Alter literalis, ſeu hiſtoricus: alter ſpiritualis, ſeu myſticus. Literalis eſt, qui proximè ſeu immediatè ſignificatur per ipſa verba; ſiue ſint verba propria, ſiue metaphorica. Myſticus eſt, qui non ſignificatur proximè per ipſa verba, ſed per rem ſignificatam ipſis verbis. Ita D. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. vbi notat duplicem eſſe ſignificationem in Scriptura ſacra. Vnam verborum, quæ pertinet ad ſenſum literalem. Alteram rerum, quæ pertinet ad ſenſum myſticum ſeu ſpiritualem. Nam & verba ſignificant rem aliquam ſecundum literàm; & res ſignificata per verba, iterum ſignificat rem aliam ſecundum myſterium.

2 Vtrumque ſenſum inſinuat Apoſtolus, 1. Corinth. 10. 1. cùm ait: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari; & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt.* Nam in his & ſequentibus verbis, latet duplex ſenſus. Vnus literalis, qui proximè & immediatè ſignificatur per verba citata: nempe, filios Iſraël, quando ex Ægypto egreſſi ſunt, tranſiuiſſe mare rubrum, ambulaſſe ſub nube, comediſſe Manna in deſerto, bibiſſe aquam de petra. Alter myſticus, qui non ſignificatur proximè per verba citata, ſed per res ſignificatas verbis citatis. Nam per exitum filiorum Iſraël ex Ægypto per Moyſen, ſignificatur exitus noſter ex ſeruitute peccati per Chriſtum. Et per mare rubrum, ſignificatur baptiſmus:

Per Manna, Corpus Christi in Eucharistia: per aquam, Sanguis Christi: per petram, Christus.

3 Mysticus à Theologis subdiuiditur in allegoricum, anagogicum, & moralem seu tropologicum. Sicut enim tres sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas; ita tres sensus mystici. Allegoricus respondet fidei, anagogicus spei, moralis charitati. Nam allegoricus est, quando verba scripturæ, præter sensum literalem, quem habent, significant aliquid pertinens ad fidem, vel Ecclesiam militantem: quo pacto Abraham, qui secundum sensum literalem, habuit duos filios, vnum ex ancilla, & alterum ex libera; allegoricè significat Deum, qui habet duos populos; vnum Iudæorum ex Synagoga, alterum Christianorum ex Ecclesia. Hunc sub libertate gratiæ Christi; illum sub seruitute legis Mosaïcæ (ad Galat. 4. 22.)

4 Anagogicus est, quando verba scripturæ, præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad vitam æternam, vel Ecclesiam triumphantem, quam speramus: quo pacto illud Psal. 94. 11. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*; secundum literam intelligitur de terra promissionis in Palæstina: At anogogicè, de vita æterna, vbi est vera requies. (Hebr. 4. 3.)

5 Moralis est, quando verba scripturę præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad instructionem morum, vel officia charitatis: quo pacto illud Deut. 25. 4. *Non alligabis os boui triturantí*; secundum literam intelligendum est de veris bobus: At moraliter, de concionatoribus, qui non debent impediri, quominus petant sustentationem à populo. (1. Corinth. 9. 9.)

6 Est ergo quadruplex scripturæ sensus. 1. Literalis. 2. allegoricus. 3. anagogicus. 4. moralis, qui omnes ostendi solent in voce *Hierusalem*. Nam illa vox significat literaliter vrbem Palæstinæ; allegoricè, Ecclesiam militantem; anagogicè, Ecclesiam triumphantem; mo-

taliter, animam hominis in hac vita. Omnes item notari solent in Epistola ad Galatas, cap. 4. Nam literalis est in illis verbis, *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera.* Allegoricus in illis. *Hæc sunt duo testamenta*, &c. Anagogicus in illis, *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem.* Moralis in illis, *Quomodo tunc is, qui secundum carnem fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.*

7 Notatum est à viris doctis, iuxtà hos quatuor sensus scripturæ, quatuor esse Doctores Ecclesiæ, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium. Et singulos in singulis sensibus explicandis excelluisse. Hieronymum in literali, Ambrosium in allegorico, Augustinum in anagogico, Gregorium in morali.

IV. QVÆSTIO.

An quilibet Scripturæ locus admittat sensum literalem.

1 LYranus Prolog. 3. Postillæ Bibliorum, putat aliqua scripturæ testimonia non habere sensum literalem, sed tantum mysticum: præsertim in duobus casibus. Primò, quando occurrit parabola, vt Iudic. 9. 8. *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem.* Secundò, quando occurrit metaphora, vt Matth. 5. 30. *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam.* Hic neutrum testimonium admittit sensum literalem: Alioqui vel falsus, vel absurdus esset sensus. Nam secundum literam, falsum est, ligna iuisse, vt vngerent super se Regem. Et absurdum, manum abscindi oportere, quoties per eam aliquod peccatum committitur. Igitur sensus vtriusque testimonij debet esse mysticus seu spiritualis: vt per ligna syluarum intelligantur viri Sichem, qui ad eligendum sibi regem conuenerunt: Et per dextram manum significetur proximus, à quo separari debemus, si scandalo nobis est.

2. Hæc ſententia confirmatur authoritate Origenis, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorij, qui idem docent. Nam Origenes hom. 2. in Geneſin circa finem, adducit illud Prouerb. 26. 6. *Spina naſcetur in manu temulenti:* quod ſecundum literam intelligi non poteſt. Hieronymus in cap 11. Iſaiæ, citat illud ibidem. *Habitabit lupus cum agno:* quod etiam falſum eſt, ſecundum literam. Gregorius lib. 4. moral. cap. 1. & 2. adducit illud Iob. 3. 3. *Pereat dies, in qua natus ſum:* quod abſurdum eſt, ſi ſecundum literam intelligatur. Denique Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 5. ſic ait: *Cauendum eſt, ne figuratam locutionem, ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apoſtolus: Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

3. Nihilominus dicendum eſt, in quouis Scripturæ teſtimonio, non obſtante vlla Metaphora vel parabola, reperiri ſenſum literalem. Pro quo tria notanda ſunt. Primò, ſenſum literalem eſſe, qui verbis ipſis, ſiue propriè, ſiue metaphoricè ſumptis, proximè ſignificatur. Hoc ſuprà explicaui. Secundò, quando verba non ſumuntur propriè, ſed metaphoricè (vel, vt alij dicunt, figuratè, aut tranſlatitiè) tunc illum eſſe ſenſum literalem, qui proximè ſignificatur per verba metaphoricè ſeu tranſlatitiè ſumpta: vt ſi dicam: *Lupus habitabit cum agno.* Hic enim lupus & agnus, non ſumuntur propriè pro vero lupo vel agno, ſed tranſlatitiè pro feroci & manſueto. Ergo hic debet eſſe ſenſus literalis: Quando veniet Chriſtus, tunc feroces pacificè habitabunt cum manſuetis; vel induent mores manſuetorum; & ſimul viuent in eadem fide & religione Chriſtiana. Idem ſtatuendum eſt de his verbis: *Si dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam.* Nam dextra manus non ſumitur hic propriè pro vera manu; ſed transfertur ad ſignificãdum amicum vel proximum. Eſt ergo hic ſenſus literalis: Si amicus aut proximus

tuus

tuus abducit te à Deo, debes eum à te repellere. Qui sensus propriis verbis habetur Deut. 13. 6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus, & seruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu & Patres tui; non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt misereatris, & occultes eum, sed statim interficies.*

4 Tertiò notandum est, in parabolis duas esse partes. Vna continet rem, quæ adfertur in similitudinem: Altera continet applicationem. Vtraque habet suum sensum literalem. Verbi gratiâ. Matth. 13. 33. dicitur: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hic vna pars continet factum mulieris, quod adfertur in similitudinem, & habet sensum literalem, quem verba proxime significant. Est autem hic sensus: mulier ex farina & fermento massam præparat, vt ex ea fiat panis. Altera continet applicationem, & secundùm sensum literalem debet intelligi de regno cœlorum, id est, de Euangelio, & eius efficacia. Est autem hic sensus: Sicut modicum fermentum habet eam vim, vt immissum in magnam farinæ massam, mox totam peruadat ac penetret, & multò quàm erat, maiorem reddat: Ita Euangelium habet eam efficaciam, vt prædicatum in Palæstina, mox totum terrarum orbem peruaserit, & Ecclesiam multò, quàm erat, ampliorem effecerit. Qui sensus, si referatur ad verba, quibus proxime significatur, literalis est: si autem ad rem significatam in priori parte parabolæ, mysticus est. Nam fermentum mystice significat Euangelium: massa Ecclesiam, vel orbem terrarum, in quo prædicatur Euangelium.

5 Quod dixi de hac parabola, dicendum est etiam de aliis. Solent autem triplices adduci parabolæ in Scriptura. Quædam continent rem gestam, quæ adfertur in sit-

militudinem, vt parabola de fermento: nam quotidie miſcetur fermentum cum farina ad pinſendum panem. Alię continent, non quidem rem geſtam, ſed tamen poſſibilem, vt parabola de patrefamilias, qui *primo mane exiit conducere operarios in vineam ſuam.* (Matthæi 20. 1.) Aliæ continent rem impoſſibilem, vt parabola de lignis, quæ iuerunt, vt vngerent ſibi Regem. Quales pauçæ ſunt in Scriptura, multæ apud externos ſcriptores. Hoc tamen non obſtat, quo minus ſenſus parabolæ ſit verus & literalis. Nam illud, quod in parabolam vel ſimilitudinem adducitur, non ideo adducitur, quaſi reipſa factum ſit, aut fieri potuerit: ſed vt per talem ſimilitudinem res altera melius explicetur. Quod ſine mendacio fieri poteſt. Vide Gabrielem Vaſquez 1. part. diſp. 15. cap. 4.

6 Ex dictis ſequitur, quomodo teſtimonia Scripturæ, quæ pro Lyrani ſententia adducta ſunt, habeant verum ſenſum literalem. Nam in parabolis, tunc ſenſus literalis eſt verus, quando ſimilitudo & applicatio eſt bona: ſiue res, quæ adfertur in parabolam, ſit vera, ſiue ficta. Similiter in metaphoris, tunc ſenſus literalis eſt verus, quando verba ſumuntur in ſignificatione metaphorica, ſeu tranſlatitia, tametſi poſſet eſſe falſus, ſi ſumantur in ſignificatione propria. Et hoc volunt Patres ſuprà allegati.

V. QVÆSTIO.

An aliquando vnus idémque locus Scripturæ admittat plures ſenſus literales?

1 CErtum eſt, quod ſæpe admittat vnum literalem, & vnum myſticum, & quidem vtrumque à Spiritu Sancto intentum. Sed diſputant Theologi, An præter myſticum, admittat plures literales? Negat Michaël Medina libro ſexto, de recta in Deum fide, cap. vigeſimo quinto. Alij rectius affirmant, cum ſancto Augu-

ſtino, libro duodecimo Confeſſionum, cap. 30. & 31. & cum Diuo Thoma prima parte, quæſtione 1. articulo 10. Et probatur primò, quia Deus, qui eſt author Scripturæ, adeo fœcundus eſt, vt vnico verbo mentali exprimat ſimul infinita: Ergo poteſt etiam vnico verbo ſcripto multa ſignificare. Secundò, Deus poteſt efficere, vt vna eadémque res plura ſignificet, quo pacto manna non ſolùm repræſentat Euchariſtiam (1. Corinth. 10) ſed etiam eloquium Dei, (Sap. 16.) Ergo etiam poteſt efficere, vt vna vox plura ſignificet. Tertiò, quia multa extant Scripturæ teſtimonia, in quibus videntur eſſe plures ſenſus literales. Sunt autem hæc.

2 Primum, Pſalm. 2.7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ verba ſecundùm ſenſum literalem dupliciter intelliguntur. Primò, de æterna Chriſti generatione: & ſic explicat Apoſtolus, Hebr. 1. 5. Secundò, de Chriſti reſurrectione, ſic explicat idem Apoſtolus Act. 13. 33.

3 Secundum, Iſaiæ 53. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Quod etiam ſecundùm literam habet duplicem ſenſum. Vnum de æterna Chriſti generatione: Alterum de temporali. Vterque ſenſus habet pro ſe antiquos Patres. Vnde Leo Papa Sermo. tertio in Natiuit. Domini, cap. primo ſic ait: *Non enim ad illud tantummodo ſacramentum, quo Filius Dei conſempiternus eſt Patri, ſed etiam ad hunc ortum, quo Verbum Caro factum eſt, credimus pertinere, quod dictum eſt: Generationem eius quis enarrabit?*

4 Tertium, Iſaiæ cap. 53. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Quod Petrus, ſecundùm literam, interpretatur de peccatis noſtris, cùm ait de Chriſto: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* (1. Petr. 2. 24.) At Matthæus explicat de morbis corporalibus, quos Chriſtus abſtulit, & ſanauit, Matth. 8. 17. *Omnes malè habentes curauit,*

vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Vide ibi Maldonatum.

5 Quartum, Daniel. 9. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Quæ prophetia secundum literam videtur intelligi posse, non solùm de desolatione Hierosolymitana, quæ futura erat sub Antiocho Rege (1. Machabæor. 1. 57.) sed etiam de ea, quæ futura erat post mortem Christi.

6 Præter hæc testimonia, solent plura alia adduci, quæ putantur habere duplicem sensum literalem. Sed, ne erremus, aliqua notanda sunt. Primò, hactenus ab Ecclesia non esse definitum, plures esse sensus literales sub eadem litera. Secundò, multa esse Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres varie interpretantur secundum literam: sed inde non sequitur plures esse sensus literales in illis testimoniis. Nam sæpe fit vt plures illi sensus, qui à variis assignantur, inter se pugnent. Fieri autem non potest, vt hæc pugna à Spiritu Sancto sit. Tertiò, multa etiam esse testimonia, quæ ex Hebræo diuersimode translata sunt. Nec inde sequitur, plures esse sensus literales in eadem litera, sed tantùm, plures esse sensus literales secundùm varias eiusdem loci translationes. Quæ varietas oriri potest, vel ex mutatione & varietate punctorum seu vocalium, vel ex ambiguitate vocis Hebraïcæ. Quartò, inter antiquos Patres vix alium esse, præter Augustinum, qui diserte affirmet, plures sensus literales sub iisdem vocibus contineri. Agnoscunt quidem plures sensus, sed vnum literalem, alterum mysticum. Vide Vasquez prima parte, disput. 18.

VI. QVÆSTIO.

An quando libri veteris Testamenti citantur in nouo, citentur tantùm in sensu literali?

1 SVppono, testimonia Scripturæ tripliciter citari posse. Primò, in sensu literali, qui à Spiritu Sancto intentus est. Secundò, in sensu mystico, qui etiam à Spiritu Sancto intentus est. Tertiò, per quandam accommodationem, quam quisque pro suo arbitrio facere potest, modò pie ac prudenter id faciat, sine vlla falsitate aut absurditate. Vide Gabrielem Vasquez 1. par. disp. 13. cap. 2. in fine.

2 Nunc quæstio est, An Christus & Apostoli, quando citant testimonia Moysis & Prophetarum, citent ea tantùm in sensu literali? An aliquando etiam in sensu mystico, vel per accommodationem? Respondeo. quædam citant in sensu literali, quædam in sensu mystico, quædam per accommodationem.

3 Exempla primi generis passim obuia sunt. Mat. 19. 4. citatur illud Genes. 1. 27. *Masculum & fœminam fecit eos.* Et Act. 3. 25. citatur illud Genes. 12. 3. *In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Et Rom. 4. 3. citatur illud Genes. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et Rom. 13. 9. citatur illud Exod. 20. 14. *Non adulterabis, non occides, non furtum facies.* Hæc, & multa alia citantur in sensu literali, quem ipsa verba proxime & immediate significant.

4 Exempla secundi generis. Primum, Genes. 21. 10. *Eyce ancillam hanc, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Hoc secundùm literam intelligitur de Agar, quæ erat ancilla Abrahæ, & de filio eius Ismaële. At Apostolus, Gal. 4. 30. citat in sensu mystico de Synagoga. Nam quod in veteri Testamento secundùm literam scriptum est, Abrahamum habuisse vnam ancillam, quæ erat Agar, & vnam liberam, quæ erat

Sara: hoc mystice significabat, Deum habiturum Synagogam tanquam ancillam, & Ecclesiam Christi tanquam liberam. Item quod in veteri Testamento secundùm literam scriptum est, Agar cum suo filio Ismaële fuisse eiectam & repudiatam, Saram verò cum suo filio Isaac mansisse cum Abrahamo: Hoc mystice significabat Synagogam Iudæorum repudiandam, non item Ecclesiam Christianorum.

5 Secundum, Exod. 12 46. & Num. 9. 12. *Os illius non confringetis.* Quod secundùm literam dictum est de Agno Paschali, cui non frangebantur crura, cùm in sacrificio mactabatur. At Euangelista citat in sensu mystico de Christo, qui per Agnum Paschalem fuit præfiguratus. (Ioan. 19. 36.)

6 Tertium, Deut. 25. 4. *Non alligabis os boui triturati.* Quod secundùm literam intelligitur de vero boue, qui in area triturat, seu grana frumenti excutit: At Apostolus mystice explicat de prædicationibus Euangelij, quibus alimonia seu sustentatio neganda non est. (1. Cor. 9. 9.) quamquam aliqui putent per accommodationem illis applicari.

7 Quartum, Oseæ 11. 1. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Quod secundùm literam intelligitur de populo Israël, qui ex Ægypto per Moysen eductus est in terram promissionis. At Euangelista mystice intelligit de Christo, qui cum Maria Matre & Ioseph reuocatus est ex Ægypto per Angelum. (Matth. 2. 15.)

8 In his & similibus exemplis notandum est quod suprà dixi, sensum mysticum esse, qui proxime significatur, non per verba Scripturæ, sed per res ipsis verbis significatas. Quo pacto Synagoga & Ecclesia mystice significantur per Agar & Saram: Christus per Agnum Paschalem: Prædicatores Euangelij per boues triturantes: Reditus Christi ex Ægypto, per reditum filiorum Israël ex Ægypto. Et sic deinceps.

9 Exempla tertij generis. Primum, Zach. 4. 3. *Duæ oliuæ ſuper candelabrum aureum.* Quod ſecundùm literam intelligitur de Ieſu filio Ioſedech, & de Zorobabele Duce Iuda. At Apoſtolus per accommodationem applicat duobus teſtibus, Enoch, & Heliæ, qui ab Antichriſto interficiendi ſunt. (Apoc. 11. 4.) Vide Vaſquez prima par. diſput. 14. cap. 1.

10 Secundum, Iſa. 29. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Quod ſecundùm literam intelligitur de populo Iudæorum, qui erant tempore Iſaiæ. At Chriſtus accommodat Scribis & Phariſæis ſui temporis. (Matth. 15. 8.) Vide Vaſquez ibid. cap. 5.

11 Hic modus vtendi teſtimoniis ſcripturæ per accommodationem, valde frequens eſt apud Patres & Concionatores. Sic Eccleſia accommodat Beatæ Virgini, quod ſcriptum eſt Cantic. 1. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Sic Auguſt. illud Apoſtoli 2. Corinth. 3. 6. *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat;* per accommodationem explicat de litera & ſenſu ſcripturæ. Sic Bonifacius VIII. illud Lucæ 22. 28. *Ecce duo gladij hic*, accommodate intelligit de duplici poteſtate Pontificis, ſpirituali, & temporali. Sic Gregorius illud Geneſ. 1. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna;* intelligit de Pontifice, & Imperatore. Huiuſmodi exempla prope infinita ſunt.

VII. QVÆSTIO.

An ſenſus literalis ſit obſcurus?

1 CErtum eſt ſcripturam, quoad ſenſum literalem, qui potiſſimus eſt, ſæpe obſcuram eſſe. quod teſtatur Petrus Apoſt. in ſua poſteriori Epiſtola cap. 30. 16. vbi loquens de Epiſtolis ſancti Pauli, ſic ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Et variis modis confirmari poteſt. Primò, exemplo diſcipulorum euntium in Emaüs, qui non intelligebant

Scripturam, nisi Christus interpretaretur. (Luc. 24. 27.) Secundò, exemplo Eunuchi Reginæ Æthiopum, qui rogatus à Philippo, an intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* (Act. 8. 31.) Tertiò, exemplo Apostolorum, qui multa eorum quæ à Christo dicebantur, non intelligebant. Matthæi 13. 36. *Accesserunt ad eum Discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et Matth. 16. 11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Et Lucæ 18. 34. *Ipsi nihil horum intellexerunt.* Quartò, consensu omnium interpretum. Nam si Scriptura esset facilis, quid opus esset tot interpretibus? tot commentariis? tot quæstionibus & controuersiis circa fidem ac religionem? Quintò, inductione. Constat obscurissimam esse prophetiam Ezechielis de visione quatuor animalium. Constat prophetiam Danielis de 70. hebdomadibus, & de abominatione desolationis, multorum ingenia exercuisse, & adhuc exercere. De qua Christus, Matth. 24. 15. *Qui legit, intelligat.* Constat totam Ioannis Apocalypsim plenam esse reconditis mysteriis: Et, vt loquitur D. Hieronymus in Epist. ad Paulinum, *tot habere sacramenta, quot verba.* Constat in reliquo Bibliorum codice, multa etiam obscura esse ac intricata, vt norunt illi qui legerunt.

2 Et vt alios omittam, loquantur illi qui olim in assidua Scripturæ lectione diligenter occupati, fatebantur se multa ignorare: ideóque ad Hieronymum, Augustinum, & alios doctissimos Patres, discendi studio, confugiebant. Testantur hoc Epistolæ illorum Patrum, ex quibus aliqua proferam exempla.

Damasus Papa consuluit Hieronymum super his quæstionibus. Primò, quid significet quod in Genesi scriptum est: *Quisquis qui occiderit Cain, septuplum punietur?* (Epist. 124. & 125. inter Epistolas Hieronymi.)

Secundò, Si omnia Deus facit bona valde, quare No-

de mundis & immundis animalibus præcepit, cùm nihil immundum possit esse bonum? (ibidem.)

Tertiò, cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit? Et cur Isaac, vir iustus & Deo charus, non illi, cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit? (ibidem.)

Quartò, quæ sit interpretatio visionis Isaiæ Prophetæ de Seraphin & Trisagio? (epist.142.)

Euagrius eundem consuluit de hac quæstione: An Melchisedech, qui benedixit Abrahæ, fuerit diuinioris naturæ, nec de hominibus æstimandus? (epist.126.)

Dardanus de hac: Quænam sit illa terra promissionis, quam Iudæi redeuntes ex Ægypto dicuntur possedisse? Non enim videtur fuisse Palæstina, quia illa iam antea fuerat à maioribus ipsorum possessa, ac proinde non tam fuit promissa, quàm reddita. (epist.129.)

Vitalis quæsiuit ab eodem, An pro vero credendum sit, Salomonem & Achaz, quod Scriptura commemorat, vndecimo ætatis anno filios genuisse? (epist.132.)

Cyprianus quæsiuit, Quæ sit vera explicatio difficillimi illius Psalmi, qui incipit, *Domine refugium factus es nobis?* (epist. 139.)

Marcella, nobilis apud Romanos fœmina, multa illi proposuit. Primò, quid sit *Ephot bat*, & quid *Teraphim* apud Hebræos? (epist. 130.) Secundò, quid significet *Alleluia*, *Amen*, *Maranatha?* (epist.137.) Tertiò, quid sit *Diaplasma?* (epist.138.) Quartò, quid sit panis doloris? quid filij excussorum, de quibus fit mentio in Psalmo 126. (epist.141.) Quintò, quæ sint illa, quæ *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus preparauit iis, qui diligunt eum?* Et quomodo rursus Apostolus inferat, *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum?* Et si reuelatum est Apostolo, an ille aliis reuelauerit? (epist. 148.) Sextò, cùm dicat Apostolus 1. Thess. 4. 16. *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapie-*

mur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra: An hoc ita intelligendum sit, vt aliqui non ante moriantur, quàm eant cum Christo ad cœlum? præsertim cùm & Christus mortuus sit, & Enoch atque Helias morituri esse dicantur in Apocalypsi Ioannis: Ne scilicet vllus sit, qui non gustauerit mortem. (ibidem.)

Principia, virgo Romana, petiuit ab illo explicationem illius Psal. *Eructauit cor meum verbũ bonũ.* (epist. 140.)

Sunia & Fretella, ex Getarum & Germanorum finibus, ab eodem per epistolam interrogarunt, An in ea contentione, qua Latini dissentiunt à Græcis in Psalterio Dauidis, Hebræi magis cum his, quàm cum illis conueniant? (epist. 135.)

Hebidia, nobilis apud Gallos fœmina, misso in Bethlehem Apodemio, proposuit illi has difficultates.

1. Quomodo accipiendũ sit illud Christi, Matt. 26. 29. *Non bibam amodo de genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud vobiscum bibam nouum in regno Patris mei?* (epist. 150.)

2. Cur Matthæus dixerit, Christum vespere: Marcus, mane surrexisse? (ibidem.)

3. quid significet quod in Matthæo scriptum est, *Velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum,* & quæ sequuntur? (ibid.)

4. quomodo Christus, secundùm Ioannem, insufflauit Spiritum Sanctum in Apostolos: & tamen secundùm Lucam, post Ascensionem se missurum Spiritum sanctum repromisit? (ibid.)

5. quid significet illud Apostoli, Rom. 9. 14. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* vsque ad eum locum, *Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus?* (ibid.)

6. quid sit quod idem Apost. scribit 2. Cor. 2 16. *Aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?* (ibid.)

Algasia, ex eadem Gallia, per eundem Apodemium hęc illi proposuit.

1. Cur Ioannes discipulos suos mittit ad Christum, vt interrogent eum: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* cùm prius ipse de eodem dixerit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* (epist. 151.)

2. Quid significet illud Mat. 12. 20. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet?* (ibid.)

3. Quid item illud Matth. 16. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum?* (ibidem.)

4. Et illud Matth. 24. 19. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus?* (ibidem.)

5. Quo sensu accipiendum illud Lucæ 9. 51. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam formauit, vt iret in Ierusalem.* Et paulo post subditur de Samaritanis, *Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem?* (ibidem.)

6. Quis sit *villicus iniquitatis*, qui voce Domini laudatus est? (ibidem.)

7. Quid sibi velit Apostolus, cùm ait, Rom. 5. 7. *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori?* (ibidem.)

8. Quid item Rom. 7. 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem cõcupiscentiam?* (ibidem.)

3 Omitto similes de scriptura quæstiones, quæ ex toto ferè orbe Christiano ad sanctum Hieronymum deferebantur. Venio ad sanctum Augustinum, ad quem nec pauciores, nec à paucioribus delatæ sunt.

Volusianus hanc illi detulit: Quomodo Deus immensus claudi potuerit vtero Virginis: Et, an interea temporis deseruerit curam mundi? (epist. 2. inter epistolas Augustini.)

Marcellinus, Cur Deus mutauerit sacrificia Mosaïca, quæ semel instituit? præsertim cùm ea, quæ semel recte instituta sunt, mutari nisi iniuste non possint? (ep. 4 & 5.)

Item, Quomodo Magi Pharaonis potuerint inuenire

aquam, quam in sanguinem mutarent, cùm iam antea tota aqua Ægypti fuerit à Moſe in ſanguinem tranſmutata? (epiſt. 7.)

Bonifacius Epiſcopus, Qui fiat vt infantibus in Baptiſmo proſit parentum fides, cùm poſt Baptiſmum non noceat illis parentum impietas? Item, Quomodo ſuſceptores in Baptiſmo reſpondeant, infantes credere, cùm reuera non credant, & incertum ſit an aliquando ſint credituri? (epiſt. 23.)

Dardanus, Quomodo Chriſtus homo credatur nunc eſſe in cœlo, cùm ipſe in cruce latroni dixerit, *Hodie mecum eris in Paradiſo?* Et an hinc ſequatur, Chriſtum hominem, ſicut Deum, vbique eſſe? (epiſt. 57.)

Paulinus, cùm Apoſtolus dicit, Epheſ. 4. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*; quomodo diſtinguenda ſint hæc nomina? & quæ ſit cuique nomini officiorum vel gratiarum proprietas? Quid proprium ſit Apoſtolorum, quid Prophetarum, quid Euangeliſtarum, quid Paſtorum, quid Doctorum? (epiſt. 58. & 59.) Item, quid ſit illud Apoſtoli, Rom. 11. 28. *Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſſimi, propter Patres.* (ibidem.) Item, quid illud, Coloſſ. 2. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput?* (ibidem.)

Euodius Epiſcopus, Quinam ſint illi ſpiritus, de quibus loquitur Petrus in priori epiſt. cap. 3. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus, veniens prædicauit?* (epiſt. 98. & 99.)

Honoratus, Quid ſibi velit vox illa Domini, Pſal. 21. 2. *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* (epiſt. 120.) Item, quid ſit quod Apoſtolus ait, Epheſ. 3. 17. *Vt in charitate radicati & fundati, poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & pro-*

fundum. (ibidem.) Item, quæ ſint quinque Virgines ſtultæ, & quæ ſapientes, de quibus Matth. 25. 2. (ibid.) Item, quæ ſint *tenebræ exteriores?* Matth 22. 13. Item quomodo intelligendum ſit, *Verbum caro factum eſt?* Ioannis 1. 14.

Simplicianus, quid velit Apoſtolus, Rom. 7.7. cùm ait: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit.* vſque ad eum locum, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 1.)

2. quid velit, cùm ait, Rom. 9. 10. *Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri:* vſque ad illud, *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen.* (ibidem quæſtione 2.)

3. quomodo dictum ſit, 1. Reg. 10. 10. *Et inſiluit Spiritus Domini ſuper Saül;* cùm alibi dicatur, *Exagitabat eum Spiritus nequam?* 1. Reg. 16. 14. (lib. 2. quæſt. 1.)

4. quomodo dictum ſit, 1. Reg. 15. 11. *Pœnitet me, quod conſtituerim Saül Regem?* (ibidem qu. 2.)

5. An Spiritus immundus, qui erat in Pythoniſſa, potuerit efficere vt Samuel, qui iam erat mortuus, videretur à Saüle, & cum eo loqueretur? (qu. 3.)

Ex his & ſimilibus quæſtionibus manifeſte apparet, Scripturam in multis obſcuram, ac intellectu difficilem eſſe: Et homines etiam doctiſſimos, quorum iam mentio facta eſt, palam profiteri ſe non omnia poſſe percipere, niſi ab aliis inſtruantur. quæ porro ſint cauſæ huius obſcuritatis, iam explicandum eſt.

VIII. QVÆSTIO.

Quæ ſit cauſa obſcuritatis Scripturæ?

1 INuenio duas potiſſimùm cauſas, Vnam ex parte rerum, quæ tractantur in Scriptura. Alteram ex parte modi, quo tractantur. Res quæ tractantur, ſunt fere quadruplices. Primò Hiſtoriæ, vt patet in Geneſi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, Ioſue, libro Iudicum, Regum,

Paralipomenon, Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Eſther, Iob, Machabæorum, itémque in Euangelio & Actibus Apoſtolorum. Secundò, Vaticinia, ſeu Prophetiæ, quæ in Pſalmis, in maioribus & minoribus Prophetis, & in Apocalypſi Ioannis, maiori ex parte, conſignatæ ſunt. Tertiò, myſteria fidei, præſertim de Trinitate, Incarnatione, prædeſtinatione, fide iuſtificante, de præſentia Chriſti in Euchariſtia, & de ſimilibus. Quartò, præcepta & documenta moralia de virtutibus & vitiis. Tametſi ergo, neque in his, neque in hiſtoriis ſit fortaſſe magna obſcuritas ex parte rerum, ſumma tamen eſt in prophetiis, & myſteriis fidei. Hæc enim ſuperant hominum captum, & intelligentiam: Neque percipiuntur à nobis, niſi *in ænigmate*, vt loquitur Apoſtolus, 1. Corinth. 13. 12. cùm ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

2 Iam verò modus tractandi ſæpe obſcurus eſt, propter has cauſas. Primò, quia in Scriptura multæ ſunt locutiones figuratæ. Sunt enim frequentes tropi, ſchemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, parabolæ, quibus tanquam inuolucris multæ veritates occultantur, quæ Lectori non ſtatim innoteſcunt. Auget hanc obſcuritatem, quod aliquando vnum idémque vocabulum, nunc proprie, nunc figurate vſurpetur in eadem ſententia. Verbi gratia, Ioannis 4. 13. *Qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Vbi bibere & ſitire, in priori parte ſententiæ, ſumitur corporaliter, in poſteriori ſpiritualiter.

Item in eodem c. v. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis, Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ iam ſunt ad meſſem.* Hic etiam nomen meſſis, primùm proprie, deinde figurate accipitur.

Item Ioan. 9. 39. *Et dixit Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci*

fiant. Prior pars intelligitur de visu corporali, posterior de spirituali.

Item 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Vbi peccatũ priori loco sumitur proprie pro peccato: posteriori, figurate pro hostia quæ offertur pro peccato. Nam sensus est, Deum voluisse vt Christus, qui non peccauerat, esset hostia pro peccato totius humani generis. Vide Augustinum lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 30.

Secunda causa obscuritatis.

3 Secundò, Non solùm occurrunt figuræ in vocibus & dictionibus, vt iam ostendi, sed etiam in rebus ipsis. Nam vna res sæpe est figura vel typus alterius rei per illam significatæ. Quo pacto Agnus Paschalis fuit figura Christi: mare rubrum, Baptismi: manna, Eucharistiæ: mons Sion, Ecclesiæ, & sic de cęteris. Hinc triplex oritur obscuritas.

Prima, quia non statim constat, quæ res cuius rei figura sit. v. g. Non constaret Agar ancillam Abrahæ, fuisse figuram Synagogæ: & Saram vxorem Abrahæ, fuisse figuram Ecclesiæ, nisi Apostolus ex peculiari instinctu Spiritus Sancti id explicasset. (ad Galat. 4. 24.)

4 Similiter non constaret, virgam vigilantem, quam vidit Ieremias, significare celerem executionem diuinæ sententiæ contra Iudæos, & Gentiles. (Ierem. 1. 11.) Et ollam succensam, fuisse typum aduentus Nabuchodonosoris (Ierem. 1. 13.) Et per Ieremiam prohibitum ducere vxorem, præfiguratam fuisse imminentem Iudææ vastitatem. (Ierem. 16. 2.) Et per calicem furoris Domini, potentiam & furorem Regis Babyloniæ. (Ierem. 25. 15.) Et per lumbare computrescens, interitum populi in captiuitate. (Ieremiæ 13. 7.)

Et per lagunculam implendam vino, habitatores Hierusalem inebriandos vino furoris Domini (Ieremiæ 13. 12.) Et per duos calathos ficuum optimarum & pessimarum, duo genera hominum: quorum alij felices erant,

qui transmigrabant cum Rege: alij miseri, qui remanebant Hierosolymis. (Ieremiæ 24. 2.)

Et per lutum in manu figuli, populum Iudæorum in manu Dei (Ieremiæ 18. 16.)

Et per catenas & vincula Ieremiæ, captiuitatem variarum gentium. (Ieremiæ 27. 2.)

Et per confractionem lagunculæ testeæ, confractionem populi & ciuitatis Hierusalem. (Ierem. 19. 10.)

Et per quatuor bestias, quatuor regna seu imperia. (Dan. 7. 3.)

Et per arietem, Regem Medeorum ac Persarum: per hircum, Regem Græcorum (Dan. 8. 20.)

Hæc, inquam, & similia non constarent, nisi sigillatim à Deo essent explicata: Et postquam explicata sunt, vix adhuc intelliguntur sine interprete.

5 Secunda, quia vna res aliquando est figura rerum diuersarum, etiam repugnantium. Sic Ionas fuit typus Christi. Matthæi 12. 40. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Idem Ionas fuit typus populi Iudæorum, qui Christo erant contrarij. Nam sicut Ionas dolebat de pœnitentia Niniuitarum (Ionæ 4. 1.) Ita Iudæi postea doluerunt de vocatione gentium. (Augustinus epist. 49. quæst. 6.) Quod dixi de Iona, dicendum quoque est de diluuio, de petra, de similibus. Nam diluuium, ex vna parte, fuit figura Baptismi fidelium: ex altera, supplicij infidelium. (Augustin. epist. 99. ad Euodium.) Et petra, qui Christus est, fuit *pereuntibus lapis offensionis & scandali; credentibus verò, in caput anguli.* (1. Petr. 2. 8. & Rom. 9. 32.)

6 Tertia, quia aliquando fit vt res aliqua, quæ est figura alterius, repræsentet illam in vno, & omnino dissimilis sit in alio. Quo pacto fœmina fornicaria, quam Oseas Propheta iussus est accipere in vxorem, fuit typus Synagogæ: quam quidem in eo repræsentabat, quod sicut

ipsa

ipsa commiserat fornicationem carnalem; ita Synagoga spiritualem, quæ in cultu idolorum consistit. At in eo discrepabat, quod ipsa postquam Oseæ nupserat, non rediit ad carnalem fornicationem, vt multi probabiliter putant: Synagoga verò, postquam Deo fuerat reconciliata, iterum in idololatriam lapsa est.

Tertia causa obscuritatis.

7 Tertiò, Sæpè etiam in Scriptura occurrunt apparentes contradictiones, quæ lectori magnam pariunt difficultatem. Aliquas ex iis recensebo.

1. Dicit Moses, Deum creasse cœlum & terram sex diebus, & septimo die quieuisse. Gen. 1. & 2. At contrà Ecclesiasticus cap. 18. 1. dicit: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.*

2. Moses refert, filios Israël in Ægypto fuisse annis quadringentis (Gen. 15 13.) quod etiam repetit Stephanus Act. 7. 6. At contrà Apostolus numerat annos quadringentos & triginta. (Galat 3. 17.)

Item, Gen. 32. 30. dicit Iacob Patriarcha: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* At contrà, Exod. 33. 20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & viuet.*

Item, Exodi 20. 5. dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* At contrà, Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Item, Exodi 20. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* At contrà, Lucæ 14. 26. *Qui non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.*

Item, Deut. 6. 13 *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius iurabis.* At contrà, Matth. 5. 34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.*

Item 1. Reg. 15 11. *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem.* At contrà, Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.*

Item, 3. Reg. 8. 9. *In arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moses in Horeb.* At contrà, Hebr. 9. 4. *In arca erat urna habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat; & tabulæ testamenti.*

Item, Psalm. 1. 5. *Non resurgent impij in iudicio.* At contrà, 1. Cor. 15. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

Item, Ps. 61. 12. *Semel locutus est Deus.* At contrà, Hebr. 1. 1. *Multifariam, multísque modis olim Deus loquens Patrib. in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.*

Item, Psalm. 115. 2. *Omnis homo mendax.* At contrà, Apoc. 14. 5. *In ore eorum non est inuentum mendacium.*

Item, Prouerb. 6. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & disce sapientiam; quæ parat in æstate cibum suum, & congregat in messe, quod comedat.* At contrà, Matth. 6. 34. *Nolite solliciti esse in crastinum.*

Item, Prouerb. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* At contrà, Ezech. 20. 18. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis.*

Item, Prouerb. 26. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* At contrà ibidem: *Responde stulto iuxta stultitiã suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

Item, Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit.* At contrà, Eccles. 11. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.*

Item, Sap. 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* At contrà, Rom. 9. 13. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Item, Ecclesiast. 10. 15. *Initium omnis peccati est superbia.* At contrà, 1. Timoth. 6. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Item, Ecclesiast. 12. 6. *Benefac humili, & non dederis impio, prohibe panes illi dari.* At contrà, Lucæ 6. 30. *Omni petenti te, tribue.*

Item, Ecclesiast. 24. 28. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* At contrà, Ioan. 4. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ.*

Item, Ionæ 3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* At contrà, Ionæ 4. 11. *Ego parcam Ninive ciuitati magnæ.*

Item, Matth. 10. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* At contrà, Lucæ 10. 7. *Dignus est operarius mercede sua.*

Item, Matth. 10. 10. *Nihil tuleritis in via, non peram, neque calceamenta, neque virgam.* At contrà, Marci 6. 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm.*

Item, Matth. 17. 1. *Post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* At contrà, Lucæ 9. 28. *Factum est autẽ post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrũ, &c.*

Item, Matt. 18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* At contrà, 1. Timot. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.*

Item, Marci 10. 19. *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* At contrà, Lucæ 6. 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

Item, Marci 16. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* At contrà Matt. 10. 15. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.*

Item, Lucæ, 22. 28. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* At contrà, Matt. 26. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me.*

Item, Ioan. 5. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* At contrà Ioan. 8. 14. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.*

Item, Ioan. 5. 34. *Ego testimoniũ ab homine non accipio.* At contrà, Ioan. 15. 27. *Et vos testimonium perhibebitis de me.*

Item, Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* At contrà, ibi-

dem: *Spiritus est, qui viuificat; caro non prodest quicquam.*

Item, Ioan. 15.15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* At contrà, Ioan. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere.*

Item, Ioan. 20.1. *Maria Magdalene venit ad monumẽtum, cùm adhuc tenebræ essent.* At contrà, Marci 16. 2. *Venit ad monumentum, orto iam sole.*

Item, Rom. 2. 25. *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues.* At contrà, Gal. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

Item, Rom. 3. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus.* At contrà, Iac. 2. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Et ibidem: *Videtis, quia ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Item, Rom. 9. 19. *Voluntati eius quis resistit?* At contrà, Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut & Patres vestri.*

Item, Rom. 11. 34. *Quis cognouit sensum Domini?* At contrà, 1. Cor. 2. 16. *Nos autem sensum Christi habemus.*

Item, 1. Corinth. 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* At contrà, Lucæ 11. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Item, 1. Corinth. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* At contrà, Ioan. 5. 21. *Filius, quos vult, viuificat.*

Item, Gal. 1. 10. *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* At contrà, 1. Corinth. 10. 33. *Sine offensione estote, sicut & ego per omnia omnibus placeo.*

Item, Gal. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* At contrà, ibidem v. 5. *Vnusquisque onus suum portabit.*

Item, 1. Timot. 6. 16. *Deus habitat lucem inaccessibilem.* At contrà. Ps. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.*

Item, 1. Ioan. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non*

habemus, ipsi nos seducimus. At contrà, 1. Ioan. 3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.*

8 Hæ & similes apparentes contradictiones, quæ passim in Scriptura occurrunt, sæpè remorantur Lectorem; & negotium faceſſunt, etiam viris doctiſſimis. Teſtantur hoc antiqui Patres, qui in huiuſmodi contradictionibus conciliandis multùm operæ poſuerunt, & Auguſtinus in libris de conſenſu Euangeliſtarum, & alij præterea, qui Scripturam interpretati ſunt. quorum labores ſi ad nos non peruenisſent, in magnis adhuc tenebris verſaremur.

Quarta cauſa obſcuritatis.

9 quartò, Verba Scripturæ ſæpè efficiunt ambiguum ſenſum, ex defectu diſtinctionis. Nam aliquando, vbi diſtinctione opus eſt, nulla adhibetur diſtinctio. quod fit in his ferè caſibus. 1. quando agitur de Deo. 2. quando de Chriſto. 3. quando de aduentu Chriſti. 4. quando de Eccleſia. Nam in Deo ſpectari poteſt, vel vnitas eſſentiæ, vel trinitas perſonarum. In Chriſto, vel humana natura, vel diuina. Aduentus Chriſti duplex eſt; prior in natiuitate; poſterior in die iudicij. Eccleſia ſimiliter, vel militans eſt in terra, vel triumphans in cœlo. Cùm ergo Scriptura loquitur, vel de Deo, vel de Chriſto, vel de aduentu Chriſti, vel de Eccleſia; ſæpè dubium & obſcurum eſt, quo ſenſu de illis loquatur. An ſcilicet de Deo, quatenus eſt vnus in eſſentia, an quatenus eſt trinus in perſonis? An de Chriſto, quâ Deus, an quâ homo eſt? An de primo ipſius aduentu, an de ſecundo? An de Eccleſia militante, an de triumphante? de ſingulis dabo exemplum.

10 De Deo loquitur Scriptura, Matth. 6. 9. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Dubiū eſt, an loquatur de Deo, quoad vnitatem eſſentiæ, an quoad diſtinctionem perſonarum? Vel vt proponunt Scholaſtici, An nomen Patris

ſumatur ibi eſſentialiter, quatenus eſt commune tribus perſonis? an perſonaliter, quatenus conuenit ſoli perſonæ primæ. In vtramque partem authores ſunt. Veriſimilius tamen eſt ſumi eſſentialiter. quod ex verbis illis Chriſti colligi poteſt, Ioan, 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Vbi vtroque modo ſumitur. Nam Pater Chriſti, quoad æternam generationem, eſt prima perſona diuina quatenus diſtinguitur à Filio & Spiritu Sancto. Noſter autem Pater, quoad creationem, gubernationem, & adoptionem, eſt tota Trinitas quatenus eſt vnus Deus. Itaque cùm ait; *Aſcendo ad Patrem meum*, loquitur de ſola perſona prima: Cùm addit, *Et Patrem veſtrum*, loquitur de tribus perſonis, quatenus ſunt vnum in eſſentia.

11 De Chriſto fit mentio, Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis*, &c. Hîc etiam dubium eſt, an hæc intelligi debeant de Chriſto ſecundùm diuinitatem, an ſecundùm humanitatem? Multi volunt; aliqua priori, alia poſteriori modo intelligi oportere. quibus aſſentior. Nam Chriſtus, ſecundùm diuinitatem, eſt imago Patris: Et per ipſum, ac in ipſo creata ſunt omnia. At ſecundùm humanitatem eſt Caput Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis. Vtroque ſenſu poteſt dici primogenitus omnis creaturæ, iuxta varias interpretum explicationes, vt videre eſt in commentario illius loci.

12. De aduentu Chriſti ſermo eſt, Hebr. 1. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Adorent eum omnes Angeli Dei.* Et hic quæſtio eſt, an ſermo ſit de primo aduentu, qui factus eſt in natiuitate? an de ſecundo, qui fiet in die iudicij? Si ſpectemus particulam, *Iterum*, videtur eſſe ſermo de ſecundo: ſi alias circumſtantias, de primo. Videantur Interpretes.

13 De Eccleſia ſcribit Apoſtolus, ad Gal. 4. 26. *Illa au-*

tem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. At difficultas eſt, an loquatur de Eccleſia militante, an triumphante. quæ difficultas habet etiam alibi locum, vt Hebr. 12. 22. *Acceſſiſtis ad montem & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem & Eccleſiam primitiuorum.* Et Epheſ. 5. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.*

14 Ad hoc genus obſcuritatis poteſt etiam reuocari, quod quæ in Scriptura dicuntur de Chriſto, aliquando intelligantur de capite Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus; aliquando de corpore ſeu membris Eccleſiæ, qui ſunt fideles; aliquando de vtroque, vt notat Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 31.

De Capite Eccleſiæ intelligitur illud Matth. 28 20. *Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Vbi Chriſtus, tanquam caput Eccleſiæ, promittit corpori & membris illius, perpetuam ſuam aſſiſtentiam, protectionem, & gubernationem. De corpore ſeu membris Eccleſiæ, intelligitur illud Act. 9. 4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Non enim Saulus perſequebatur perſonam Chriſti (quia Chriſtus iam erat in cœlo, vbi eum perſequi non poterat) ſed diſcipulos Chriſti, qui erant membra Eccleſiæ. De vtroque intelligitur illud Iſaiæ 61. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi Sponſum decoratum coronâ, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis.* Vbi Chriſtus nominatur ſponſus & ſponſa, id eſt caput & corpus. Et Pſalm. 2. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* quod in capite olim impletum eſt, & nunc quotidie impletur in membris.

Quinta causa obscuritatis.

15 quintò, Sæpè in Scripturis, vbi minimè putamus, subito fit transitus de sensu literali ad mysticum; de carnalibus ad spiritualia; de temporalibus ad æterna; de Regibus Israël, ad Regem Christum: Et è contrario Hoc maximè fit in Psalmis & Prophetis, vt videre est cap. 7. Isaiæ, vbi ab historia duorum Regum (quorum alter erat Rasin Rex Syriæ; alter Phacee Rex Israël) statim fit transitus ad Beatam Virginem. *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Et cap. decimo quarto. vbi à Rege Babylonis fit transitus ad Luciferum. Et Psalm. septuagesimo primo. vbi à Salomone fit transitus ad Christum; *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Et Ioan. 6. vbi à panibus hordeaceis fit transitus ad panem Eucharisticum seu Sacramentalem. Et alibi sæpè. Vide D. Hieronymum lib. 5. in Isaiam, cap. 16. & nostrum Riberam in cap. 1. Oseæ, v. 34.

Sexta causa obscuritatis.

16 Sextò. Sæpè in historiis Scripturæ non seruatur ordo rerum gestarum: & sæpè supputatio annorum non apparet liquida: Denique, Sæpè citantur libri, qui quidem si extarent, multùm lucis adferrent Lectori; sed quia non extant, relinquunt in ambiguum & suspensum. Cuiusmodi libri sunt hi:

1. Liber bellorum Domini. Num. 21. 14.
2. Liber iustorum. Iosue 10. 13.
3. Liber verborum dierum Salomonis. 3. Reg. 11. 41.
4. Liber sermonum Regum Iuda, & Regum Israël 3. Reg. 14. & deinceps.
5. Liber Samuëlis videntis de rebus à Dauide gestis, 1. Paral. 29. 29.
6. Liber Nathan Propheræ de iisdem rebus, ibidem.

7. Volumen Gad videntis. ibid.

8. Liber Nathan Prophetæ de rebus à Salomone gestis, 2. Paralip. 9. 29.

9. Liber Ahiæ Silonitis de iisdem. ibid.

10. Visio Addo videntis, contra Ieroboam filium Nabat. ibid.

11. Historia Regum Israel, conscripta à Iehu, filio Hannani 2. Paralip. 20. 34.

12. Historia Ozię Regis conscripta ab Isaia filio Amos. 2. Paralip. 26. 22.

13. Sermones Hozai de rebus Manasse. 2. Paralip. 33. 19.

14. Lamentatio Ieremiæ in funere Iosiæ Regis 2. Paralip. 35. 25.

15. Volumen Ieremiæ, de euersione vrbis & captiuitate populi. Ierem. 36. 6.

16. Liber Ieremiæ de vastatione Babylonis, Ierem. 51. 60.

17. Liber dierum Sacerdotij Ioannis Hircani. 1. Machab. 16. 24.

18. Descriptiones Ieremiæ Prophetæ 2. Machab. 2. 1.

Aliæ causæ obscuritatis.

17 Præter has causas, sunt plures aliæ, quas obiter attingam. 1. Quòd aliquando connectantur sententiæ, inter quas vel connexio non est, vel non apparet. 2. Quòd sæpè occurrant Hebraïsmi, qui à paucis intelligi possint. 3. quòd sæpè non videatur aptè responderi ad quæstionem propositam. 4. quòd sæpè verba ambigua sint, vt ægrè discerni queat, quo sensu accipi debeant. Vt 1. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vnius cuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini de-*

clarabit, quia in igne reuelabitur: Et vnius cuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod super ædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.

18 Hic locus planè difficillimus est. 1. quia non satis constat, quid intelligendum sit per aurum, argentum, fœnum, stipulam. 2. quid per diem Domini. 3. quid per ignem. 4. quid sit ardere & detrimentum pati. Denique quid sit, saluum fieri, quasi per ignem. Vnde Augustinus in lib. de fide & operibus, cap. 15. disertè scribit hunc locum esse vnum ex iis, de quibus loquitur Petrus in posteriori Epist. c. 3. 16. cùm ait in Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu.

19 Æquè obscurum est illud 1. Corinth. 15. 29. *Quid facient, qui baptisantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt & quid baptisamur pro illis?* Non enim facile est explicare, quid hoc loco significet, *Baptisari.* Item, quid, *pro mortuis baptisari.* De qua re extant sex diuersæ opiniones apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de purgatorio cap. 4.

20 Similiter illud Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, &c. & prolapsi sunt, rursum renouari ad pœnitentiam.* quæ verba obscurissima sunt, & ex illis malè intellectis orta est hæresis Nouatianorum, (tempore Cypriani) qui dicebant, lapsis non esse dandam pœnitentiam, nec veniam; ideóque Catharos, id est, puros ac mundos se appellabant.

21 Atque hæc sufficiant de causis, ex quibus oritur obscuritas scripturæ, quoad verum ac legitimum sensum literalem. Hinc nascitur alia quæstio, quæ etiam paucis explicabitur, nimirum,

Cur Deus voluerit Scripturam esse obscuram?

22 Hîc meritò quæri potest, cur Scriptura, quæ alio-

qui ex parte rerum ac mysteriorum, quæ tractat, valde obscura est, adhuc obscurior facta sit ex modo tractandi, Deo sic volente ac disponente? Cur non potius, eodem volente ac disponente, factum sit, vt mysteria, quæ ipsa per se obscura sunt, tam clarè proponerentur, vt ab omnibus intelligi possint? Variæ sunt rationes. Ex iis aliquas attingam.

23 Prima Ratio. Deus, sicut in aliis rebus, ita etiam in Ecclesia, voluit seruari ordinem, vt alij docerent, alij discerent. At hic ordo non seruaretur, si Scriptura esset tam clara, vt ab omnibus intelligi & explanari possit. quo spectat illud Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationẽ Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*, id est, Ecclesiæ. Et 1. Corinth. 12. 29. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Q. D. minimè. Aliorum est docere & interpretari; aliorum discere & auscultare. Quod ibidem pulchra declaratur similitudine, quæ ab humano corpore sumpta est. Nam sicut in humano corpore multa sunt membra, & non omnia eundem actum seu exercitium exercent; ita in Ecclesia, quæ est Corpus Christi, multi sunt fideles, & non omnes eandem à Deo gratiam & operationem habent. Nam *vni datur sermo sapientiæ, alteri operatio virtutum, alij discretio spirituum, alij interpretatio sermonum.* Et, vt alibi loquitur idem Apostolus, Rom. 12. 3. *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Vnde ibidem addit; *Dico omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere.* Quod perinde est, ac si dicat; Sicut oculi non vsurpant sibi officium audiendi; nec aures, videndi; nec brachia, ambulandi; nec pedes, comedendi; quia hoc illis à natura concessum non est: ita in Ecclesia, non omnes debent vsurpare officium docendi, nec omnes

Scripturam interpretandi, nec omnes miracula operandi (quia hoc esset plus sapere, quàm oportet sapere:) sed quisque facit, aut facere debet, quod ipsi à Deo, in diuisione gratiarum, datum est.

24 Contra hunc ordinem, ac diuinam ordinationem, peccant Aduersarij, qui omnibus, etiam laicis ac mulierculis permittunt libertatem legendi & interpretandi Scripturam, cùm ad hoc officium à Deo minime vocati, ac proinde nec idonei sint. Et eo res iam rediit, vt nullus sit fere Caupo, aut Sartor, aut Chirurgus, apud Lutheranos & Caluinistas, qui non putet, suo marte Scripturam intelligere aut interpretari se posse; ideóque alterius instructione non indigere. Audiant illud Apostoli 1. Corinth. 12. 21. *Non potest oculus dicere manui: opera tua non indigeo. Aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij.*

25 Audiant & illud 1. *Timoth.* 2. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Et 1. Cor. 14. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur illis loqui, sed subditas esse. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Quare hoc? Vt seruetur ordo à Deo in Ecclesia constitutus. *Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes interpretantur?* Non. *Sed diuisiones gratiarum sunt.* Vnde mulierculæ, quæ multa garriunt de Scripturis, & suam sententiam in controuersiis fidei interponere non erubescunt, stultissimè sibi arrogant, quod non habent. In qua re imitantur suam Euam, quæ in paradiso non potuit tacere, sed tacente viro, cepit disputare cum serpente, à quo statim victa & decepta est (1. Timoth. 2. 14.) Atque ipsa deinde suum virum decepit. (Gen. 3. 6.) Multæ hoc tempore sunt filiæ Euæ, quæ idem faciunt.

26 Secunda Ratio. Si Scriptura esset facilis, non tantùm intelligeretur à fidelibus, qui sunt in Ecclesia, sed

etiam ab infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam: Et sic paulatim maiestas & authoritas ipsius labefactaretur. Hoc sensu accipi potest illud Matth. 7. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis*; vt interpretatur D. Thomas in 1. p. q. 1. art. 9. ad 2. & Augustinus (vel quisquis author ille est) hom. 7. in Apocalypsin.

27 Tertia. Si Scriptura esset facilis & perspicua, non solùm apud infideles, sed etiam apud Christianos esset in minori æstimatione, quàm par est. Imò non paucis esset occasio superbiæ & arrogantiæ. Nam si viderent omnia, quæ de altissimis mysteriis disputantur, plana & obuia sibi esse; sine dubio magni se facerent, & suo ingenio ac industria putarent omnia comprehendere se posse. Nunc contrà fit. Vident tantam esse Scripturæ obscuritatem, vt suis viribus superare eam non possint; ideóque & aliorum instructione indigere se sentiunt, & ad Deum seriò confugiunt, vt ipsorum mentem illuminet, & mysteriorum arcana patefaciat. Hoc fecit Dauid Psal. 118. 18. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et ibidem v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Et infra v. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Et meritò, quia Scripturæ sensus non potest haberi, nisi ab eo, qui Scripturæ author est: At author Scripturæ est Spiritus Sanctus, & ideo Scriptura vocatur verbum Dei: Ergo nonisi à Spiritu Sancto potest haberi illius sensus. quo spectat illud 2. Petri 1. 20. *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Causa additur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

28 Atque hinc fit, vt homines elati ac superbi, qui suo iudicio præsentes sunt, & proprio ingenio multum tribuunt, non assequantur legitimum Scripturæ sensum, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Et hoc est, quod ait Christus, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et Apostolus Rom. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

29 Quæ hactenus de obscuritate Scripturæ dicta sunt, non spectant ad vituperium, vt aduersarij malè interpretantur, sed ad commendationem. De qua re Theodoretus præfatione in Ezechielem sic scribit: *Eorum, quæ pretiosa sunt, in promptu hominibus est nihil. Margaritam quippe, sicut etiam purpureæ vestis regiæ florem, maris occultat profundum: Et auri argentique venæ in terræ superficie non exstant, sed in intimis eiusdem partibus conteguntur. In domibus item pretiosissima quæque intus in penibus, impositis vinculis, clauibus & sigillis custodimus. Consilia quoque earum rerum, quæ sint maioris alicuius ponderis, fidelioribus amicis, non omnibus temerè enunciare consueuimus. Verùm hisce omnibus, quæ modò diximus, augustiora diuina sunt, &c. Decet igitur ea maiori custodia digna consentes; cum Domino dicere, non esse proiiciendas margaritas ante porcos. Etenim reuera contemnitur eorum, quæ sunt in promptu, possessio.* Et plura ibidem in eandem sententiam.

IX. QVÆSTIO.

An Lutherani, & Caluinistæ habeant veram Scripturam?

1 NOn habent. Quod ex dictis sic probo. Tria potissimùm spectari debent in Scriptura. 1. Canon, seu catalogus librorum Scripturæ. 2. Versio seu editio. 3. Sensus & interpretatio. At Lutherani & Caluinistæ, nec habent authenticum canonem, nec authenticam versionem, nec authenticam interpretationem: Ergo non habẽt authenticam Scripturam. Minor propositio, quo ad singulas partes, facilè demonstrari potest.

2 Primò. Non habent authenticum canonem; quia nec canon Lutheranorum, nec canon Caluinistarum, (qui inter se dissident) fuit vnquam ab Ecclesia appro-

batus. Nam à tempore Innocentij I. semper in Ecclesia viguit canon Catholicorum, qui in Concilio Tridentino consignatus est: Ante tempora Innocentij, non reperies vel duos authores, qui in omnibus, vel Lutheranorum, vel Caluinistarum canonem amplexi sint.

3 Secundò. Non habent authenticam versionem. Multas quidem habent, vt suprà dixi; sed nouas, suspectas, & ab ipsis etiam damnatas. Lutheri versionem carpunt Tigurini, Osiandrini, Bucerus, Munsterus, Lutherus ipse. Nam Tigurini multis sannis illam excipiunt, vt conqueritur Stoltzius in defensione Lutheri. Osiandrini obiiciunt illi dolum & falsitatem: Bucerus, manifestos, & non paucos lapsus: Munsterus, multorum versuum omissionem. Denique Lutherus ipse, post viginti annos fassus est, se crebrius errasse, eo quod Rabinorum glossis nimium credidisset, vt testatur Cochlæus in Actis Lutheri, Lindanus in Dubitantio, & alij.

4 Versionem Bezæ damnant Castalio in præfatione ad Anglam, Samuel Huberus in libro de vltimæ tubæ clangoribus, Hugo Bruchtonus, & quis non? Vicissim versionem Castalionis reprehendit Beza in suis annotationibus, tamquam *falsam, ineptam, imperitam, audacem, blasphemam, vitiosam, ridiculam, execrandam, erroneam, impiam, peruersam.* Et in reprehensione ad defensionem Castalionis, de eadem sic loquitur: *Translationem noui Testamenti, tum Latinam, tum Gallicam, à Sebastiano Castalione istic scriptam & excusam, optimo iure reprehensam fuisse in meis annotationibus, non solùm, vt indoctam, sed etiam & multis locis impiam, & à Sancti Spiritus sententia discrepantem, vobis, vt existimo, non constabat, cùm edendæ suæ defensionis potestatem illi faceretis; sed nunc tandem, vt spero, conspicuè intelligetis.*

5 Munsteri versionem perstringunt Tigurini, & Pelicanus in suis præfationibus. Denique, cùm Tigurinorum Biblia à Typographo oblata essent Luthero, hoc

responsum ab eo accepit: *Ne posthac mihi aliquid mittas, quod à ministris Ecclesiæ Tigurinæ profectum sit. Nullum enim cum eis posthac commercium habere, nec eorum libros recipere, aut legere volo: quandoquidem ipsi iam damnati sunt; & alios quoq; miseros homines secum ad inferos abducunt,* &c. Ita refert Hospinianus Caluinista, in historia Sacramentaria, Anno 1544.

6 Tertiò. Non habent authenticam Scripturæ interpretationem; sed nouam, inauditam, & omnibus bonis authoribus repugnantem. quod paucis exemplis declarabo. Legimus Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc Caluinus, non seriò, sed ironicè à Christo dictum esse interpretatur, vt sensus sit; Ne serues mandata, quia illorum obseruatio nec prodest, nec possibilis est. Impium dogma.

7 Item legimus Matth. 26. 28. *Hic est Sanguis meus noui Testamenti.* Et Luc. 22. 20. *Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine.* quod Lutherani sic interpretantur; Hoc vinum est meus Sanguis. Caluinistæ sic; Hoc vinum significat meum Sanguinem. Plessæus lib. 4. de Eucharistia cap. 2. sic; *Hæc est acerba mors, quam paulo post sustinebo.*

8 Item legimus Act. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* quod Beza in commentario illius loci sic explicat; *Non derelinques cadauer meum in sepulchro.* Plura huius generis exempla adduxi in libro de titulis Caluinistarum.

9 Repeto nunc Syllogismum, quem posui: Illi non habent veram & legitimam Scripturam, qui non habent authenticum Scripturæ canonem, versionem, interpretationem. Hanc Lutherani & Caluinistæ non habent. Ergo veram & legitimam Scripturam non habent. Ex quo vlterius infero, eos ex Scriptura disputare, aut ad Scripturam prouocare non posse. Vel si omnino velint, hoc vel simili modo compellandos esse:

Vnde

Vnde vos, ô boni Viri, codicem Bibliorum accepistis? Non aliunde, quàm à Catholicis. At quare eundem, quem accepistis, non retinetis? Cur canonem Catholicorum, qui ab Innocentio, Augustino, Gelasio, & tota Ecclesia receptus est, repudiatis? Cur nouum confingitis, quem Ecclesia nunquam pro legitimo agnouit? Cur antiquam & vsitatam editionem reiicitis? Cur tot nouas, & inter se pugnantes versiones substituitis? Cur sensum Scripturæ falsa interpretatione deprauatis? Certè, si ex Scriptura disputare vultis, ex nostra disputate, quia vestram non admittimus. Nostra legitima & antiqua est: vestra, spuria & nouitia. Nostra vnica, & sibi constans: vestra varia, multiplex, instabilis.

CAPVT IV.

De Traditione, ex qua etiam habentur Articuli Fidei.

1 CElebris quæstio est, An præter Scripturam admittenda sit aliqua Traditio, quæ parem cum Scriptura auctoritatem habeat. Vel, vt aliqui proponunt, an præter Verbum Dei scriptum, si aliquod Verbum Dei non scriptum, sed traditum? Aduersarij passim negant. Catholici affirmant. Vt res melius intelligatur, procedam hoc ordine. Primò, dicam de Traditionibus veteris Testamenti. Secundò, de Traditionibus noui Testamenti. Tertiò, ostendam errorem, dissentiones, & mendacia aduersariorum. Quartò, diluam eorum obiectiones.

De Traditionibus veteris Testamenti.

2 Iudæi præter Scripturam, habebant etiam Traditiones. Et quidem duplices. Nam aliæ erant Pharisæorum, quas Christus in Euangelio reprehendit: aliæ Mosaicæ, quæ erant laudabiles, & ad salutem necessariæ. Traditiones prioris generis erant hæ.

Prima, quòd ante sumptionem cibi lauandæ essent manus. Matth. 15.1. *Accesserunt ad eum Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur Traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas, cùm panem mãducant.*

Secunda, quòd etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda. Marci 7. 3. *Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes Traditionem seniorum.* Hinc in nuptiis Canæ Galileæ erant *sex hydriæ positæ secundum purificationem Iudæorum.* (Ioan. 2. 6.) in quibus hydriis erat aqua ad lauandas manus inter prandendum.

Tertia, quòd venientes è foro non deberent cibos capere, nisi loti essent. Marci 7. 4. *Et à foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.*

Quarta, quòd cum peccatoribus non esset sumendus cibus. Matth. 9. 11. *Et videntes Pharisæi dicebant Discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Similia habentur Lucæ 5. 30.

Quinta, quòd ne quidem permittendum esset, vt quis à peccatoribus tangeretur. Lucæ 7. 39. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vbi manifestè apparet, Pharisæum fuisse miratum, quòd Christus à muliere peccatrice pateretur se contrectari, eo quod hoc esset contra morem & Traditionem Pharisæorum, quorum vox erat hæc: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.* (Isaiæ 65. 5.)

Sexta, quòd in Sabbatho non liceret ægros sanare. Lucæ 6. 7. *Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi, si in Sabbatho curaret, vt inuenirent, vnde accusarent eum.* Et Ioan. 9. 16. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* Loquebantur de Christo, qui cœco visum restituerat in Sabbatho.

Septima, quòd famelici non possint spicas vellere & comedere in Sabbatho. Matth. 12.1. *Abiit Iesus per sata Sabbatho: Discipuli autem eius esurientes ceperunt vellere spicas & manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis.*

Octaua, quòd frequenter esset ieiunandum & orandum. Matth. 9.14. *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; Discipuli autem tui non ieiunant?* Et Lucæ 5.33. *Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt; tui autem edunt & bibunt?*

Nona, quòd omnium rerum, etiam minimarum, decimæ offerendæ essent Deo. Matth. 23.23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Hic decimare, idem est, quod decimas dare. Est ergo hic sensus: Vos Pharisæi datis decimas omnium rerum, etiam minimarum, quod non facitis ex præcepto Dei scripto in lege Mosaica, sed ex vestra Traditione non scripta. Et interim negligitis ea, quæ vobis in lege præcepta sunt. Hæc debebatis facere, & illud non omittere. Vbi notandum est, triplici titulo potuisse dari decimas. 1. Ex præcepto legis Mosaïcæ. 2. Ex voto. 3. Ex Traditione. Ex præcepto debebant dari decimæ de frugibus, de pomis arborum, de bobus, ouibus, & capris. (Leuit. 27.30.) Ex voto poterant dari pro arbitrio vouentium. (2. Paralip. 31.6.) Ex traditione solebant Pharisæi dare decimas menthæ, anethi, cymini, & similium rerum minimarum, quas alij non dabant, nec ex præcepto legis tenebantur dare; vt sentit D. Thomas in 2.2. quæst. 87. art. 2. ad 3. Iansenius in Concord. Euang. c. 84. Maldonatus in c. 18. Lucæ v. 11. Franciscus Lucas in c. 23. Matth. v. 23. & fauet Lyranus ibidem. Quo nomine gloriatur quidam ex Pharisæis in Euangelio, cum ait: *Non sum sicut cæteri homines. Ieiuno bis in Sabba-*

tho: decimas do omnium, quæ possideo. (Lucæ 18. 11.) quasi dicat: Hoc cæteri homines non faciunt. Dant quidem decimas vini, frumenti, & olei; sed non omnium bonorum, etiam minimorum, vt ego & reliqui Pharisæi facimus. Sic explicant authores citati.

Decima, quòd qui iuraret per templum aut altare, non esset reus criminis: qui autem iuraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, esset reus. Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod significat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: qui autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Cæci. Quid enim maius est, donum, an altare, quod significat donum?*

Vndecima, quòd filij non tenerentur re ipsa parentes suos honorare, aut illis benefacere; sed quòd abundè sufficeret, munus aliquod Deo offerre. Matth. 15. 3. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Et quicunque maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri aut matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum & matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.*

3 Hæ fuerunt præcipuæ Traditiones Pharisæorum, quantum ex Euangelio licet colligere. Et quãquam aliquæ earum essent bonæ ex suo genere, aliæ malæ, alię indifferentes vel inutiles; Pharisæi tamen propter omnes reprehendebantur à Christo, ob has causas. Primò, quia ipsi ex earum obseruatione quęrebant inanem gloriam, & opinionem sanctitatis apud homines, cùm nihil minus, quàm sancti essent. Matth. 23. 25. *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Hinc passim in Euangelio vocantur *hypocritæ, & sepulchra dealbata.*

4 Secundò, quia ex quarundam obſeruatione, ſectabantur etiam opes ac diuitias; præſertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Matth. 23.14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.* Et Marci 12. 40. *Cauete à Scribis, qui deuorant domos viduarum, ſub obtentu prolixæ orationis.* Vbi, comedere ſeu deuorare domos viduarum, nihil aliud eſt, quàm ſpoliare ſeu exhaurire. Nam viduæ veniebant ad Phariſæos, tanquam ad homines ſanctos (quippe qui ſanctitatem ſimulabant) & eorum orationes pretio emebant.

5 Tertiò, quia ſuperſtitiosè minutiora quædam ſeruabant, & alia maiora negligebant, vt paulo antè dictum eſt. Dabant enim decimas rerum etiam viliſſimarum; & interim negligebant iudicium & miſericordiam in iudicandis cauſis, quæ ad ipſos deferebantur. Et hoc ſenſu accipi poteſt illud Matth. 23.24. *Excolantes culicem; camelum autem glutientes.*

6 Traditiones poſterioris generis (de quibus potiſſimum hic agimus) erant tres præcipuè. Prima, quòd omnes & ſinguli libri, qui in canone Iudæorum conſignabantur, eſſent verè diuini, & à Deo inſpirati. Hoc fide credebant Iudæi; & tamen nuſquam in veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Secunda, quòd fœmellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale non minus, quàm maſculi; qualecunque tandem fuerit illud remedium. Nec hoc vllibi in veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Tertia, quòd cruenta ipſorum ſacrificia ſignificauerint mortem Chriſti. Hoc etiam erat dogma fidei; nec tamen in veteri Teſtamento ſcriptum eſt.

7 Duas poſteriores traditiones ſic explico. Iudei fide credebant, fœmellas concipi in peccato originali, non minus, quàm maſculos. Nihil certius. Ergo fide credebant, illas ſaluari non poſſe, niſi per aliquod remedium à Deo inſtitutum. Debebant autem ſcire in

particulari, quod & quale esset hoc remedium; alioqui omnes fœmellę perijssent sine remedio. At nusquam scriptum est in veteri Testamento quod & quale fuerit hoc remedium in particulari. Ergo per solam Traditionem id sciebant. Hęc autem Traditio erat ad salutem necessaria, quià sine remedio non poterant saluari fœmellę: qualecunque tandem fuerit illud remedium, siue fides parentum, siue aliquid aliud.

8 Similiter fide credebant, quędam cruenta sacrificia à Deo instituta esse pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant eiusmodi sacrificia per se, & propria virtute, expiare peccata; vel virtute mortis & passionis Christi, quæ per illa sacrificia significabatur. Si prius putabant, erant hæretici: Si posteriùs, erant fideles. Sed vnde habebant hanc fidem & firmam persuasionem? Non ex Scriptura, quia nusquam in veteri Testamento id scriptum est. Ergo ex Traditione. Hæc autem Traditio erat necessaria ad salutem: Non quòd necesse fuerit, singulos de populo credere, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præfigurari; sed quòd necesse fuerit aliquos id credere, præsertim Sacerdotes & Doctores, quibus incumbebat cura docẽdi & instruendi alios. Alioqui tota Synagoga, in hoc quidem puncto, quod sanè erat grauissimum, fuisset sine fide. Quod absurdum est. Vide D. Thom. in 2.2.q.2.art.7.

9 Hinc sequitur, Iudęos habuisse quædam per Scripturam, quædam per Traditionem. Magis tamen vsi sunt Traditione, quàm Scriptura, non solum in iis rebus, quæ habebantur per solam Traditionem, sed etiam in iis, quę erant scripta. quod patet ex sequentibus testimoniis. Exod. 13. 8. *Narrabis filio tuo in die illo dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua.* Et Deut. 32. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos, & dicent tibi.* Et

Iudic. 6. 13. *Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus.* Et Psal. 43. *Deus auribus nostris audiuimus: Patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Et Ps. 77. 5. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.*

10 Ex his testimoniis duo colliguntur. Primo, quòd Traditio fuerit Iudæis à Deo mandata seu præcepta. Secundo, quòd multa ex iis, quæ iubebantur docere vel discere per Traditionem, apertè habebantur in Scriptura: Et tamen non remittebantur ad Scripturam, sed ad Traditionem. Cuius rei duplex est ratio. Vna, quia eo tempore Scriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis, sed dispersa in variis chartis & annalibus, vt commodè ab vnoquoq; legi non posset. Primus, qui eam redegit in formam voluminis, fuit Esdras post captiuitatem Babylonicam. Altera, quia liber Deuteronomij, qui erat præcipuus inter libros V. T. non habebatur passim à populo; sed vnum exemplar à Rege, alterum à Sacerdotibus custodiebatur in arca Domini, qui septimo quoque anno (nempe anno remissionis) iubebantur illud populo prælegere. (Deut. 31. 9.) Et hi ipsi Sacerdotes fuerunt tam negligẽtes in eo custodiendo, vt longo tempore amissum fuerit, & tandem ab Helzia Pontifice (tempore Iosiæ Regis) inuentum, ac populo prælectum. (4. Reg. 22. 8.) Vnde necesse est, populum in plerisque vium fuisse Traditione, de qua in præcedentibus testimoniis dictum est.

De Traditionibus noui Testamenti.

11 De his tria dicturus sum. 1. generatim, extare aliquas Traditiones diuinas & Apostolicas, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeant. Secundo speciatim, aliquas earum ad fidem; alias ad mores & ex-

ternos ritus pertinere. Tertiò, præter has, esse alias, non quidem Apostolicas, sed Ecclesiasticas, quæ tametsi parem authoritatem non habeant, meritò tamen à Christianis seruandæ sint. Hæc singula seorsim per totidem conclusiones explicabo.

Prima conclusio. Generatim loquendo, extant quædam Traditiones Apostolicæ, quæ expressè in Scriptura non habentur, sed tamen parem cum Scriptura authoritatem habent. Ita Concilium Tridentinum Sess. 4. Et colligitur ex illo 2. Thess. 2. 14. *Itaque fratres, state, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* In quem locum Chrysostomus ita scribit: *Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt, tam illa, quàm ista.* Et Epiphanius hæresi 61. *Oportet autem & Traditione uti. Non enim omnia à diuina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in scriptis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus, Sicut tradidi vobis.* Et Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione in mysterio ad nos delata recipimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent; & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.* Et Damasc. lib. 4. c. 17. *Plurima Apostoli sine scripto tradiderunt.* Alios etiam Patres paulo post citabo.

13 Quæres, quomodo Traditio possit habere parem vim, & authoritatem cum Scriptura? Respondeo. Sicut mandatum Principis eandem vim & authoritatem habet apud subditos, sive scripto, sive viuâ voce proferatur; sic etiam verbum Dei, sive scriptum, sive traditum sit. At, inquies, Traditio Apostolica, de qua agimus, non est verbum Dei. Omnino est. Nam sicut doctrina Apostolorum, quæ in illorum scriptis continetur

propterea vocatur verbum Dei, quia à Deo inspirata; sic etiam de doctrina Apostolorum, quæ viua tantùm voce tradita est, sine scripto, statuendum est. Quod sic clarius ostendo. Sicut doctrina Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, Petri, Iacobi, & Iudæ, quæ in Euangelijs & Epistolis conscripta est, vocatur verbum Dei, quia Deus eam inspirauit; Sic etiam doctrina Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Matthiæ, & Barnabæ, quam ipsi viua voce prædicarunt, debet vocari verbum Dei, quia Deus similiter eam inspirauit. Nec minor fides his Apostolis, qui non scripserunt, quàm illis, qui scripserunt, adhibenda est.

14 Secunda Conclusio. Speciatim loquendo, sunt certæ quædam Traditiones Apostolicæ de dogmatibus fidei; quædam de moribus seu ritibus externis. Prior pars probatur, quia sunt tria principia fidei maximè necessaria, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex Traditione. Primum est, quòd tota Scriptura veteris ac noui Testamenti simul sumpta, sit verbum Dei. Alterum, quòd tota illa Scriptura præsertim in iis, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, maneat nobis salua & incorrupta. Tertium, quòd habeamus verum ac legitimum illius sensum. Si admittimus hæc principia fidei, necessario admittimus Traditionem, per quam illa accepimus. Si non admittimus, vana est nostra fides.

15 Præter hæc tria, sunt alia, quæ etiã per Traditionem habentur. Primum, quòd symbolum fidei sit verè canonicum & Apostolicum. De quo Basilius loco citato: *Omitto cætera; ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?* quasi dicat. Non habemus ex Scriptura, sed ex Traditione. Hoc enim conatur probare, multa esse dogmata, quæ credimus, non quia scripta sunt, sed quia ab Apostolis tradita.

16 Secundum, quòd infantes sint baptizandi. Origenes

in cap. 6. Epistolæ ad Romanos : *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam paruulis Baptismum dare.* Et Augustinus lib. 10. de Genesi ad literam cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

17 Tertium, quòd baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, contra errorem Cypriani. Augustinus lib. 2. de Baptis. contra Donatist. cap. 7. *Quam consuetudinem,* (scilicet, non repetendi Baptismum) *credo ex Apostolica Traditione venientem.* Et lib. 5. cap. 23. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est.*

18 Quartum, quòd B. Maria, Mater Christi, semper manserit Virgo, etiam post partum, contra damnatam Heluidij hæresin. Vide Hieronymum contrá Heluidium, & Augustinum lib. de Hæresibus cap. 84. vbi sic ait : *Heluidiani exorti ab Heluidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, vt eam post Christum, alios etiam filios de viro suo Ioseph peperisse contendant. Sed mirum, ni istos, prætermisso Heluidij nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellauit.*

19 Quintum, quòd in Baptismo pronunciari debeat hæc forma verborum; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et nisi pronuncietur, Baptismus non sit validus. Hoc etiam admittunt aduersarij; nec tamen aliunde, quàm ex Traditione, & perpetua Ecclesiæ praxi probari potest.

20 Sextum, quòd certus ac determinatus sit Sacramentorum numerus in nouo Testamento. Hoc tam Catholici, quàm aduersarij credunt. Hoc interest, quod Catholici credant illum numerum esse septenarium; plerique Lutherani ternarium; multi Caluinistæ binarium. At hic numerus, quisquis tandem sit, in Scriptura definitus aut expressus non est. Catholici faten-

tur, se ex Traditione & declaratione Ecclesiæ habere suum septenarium. Aduersarij videant, vnde habeant suum binarium aut ternarium. Certè ex Scriptura non habent. Vide infrà cap. 7.

21 Dices, Aliqua ex his punctis probari possunt ex Scriptura; vt verbi gratia, quòd infantes sint baptizandi. Hoc enim probari potest ex illo, Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Similiter, quòd in Baptismo pronunciari debeant hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; manifestè colligitur ex illo Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

22 Respondeo. Aliqua possunt probari ex Scriptura quando constat de vero & legitimo Scripturæ sensu. At sæpè non constat, quis sit verus & legitimus sensus, nisi ex Traditione, & praxi Ecclesiæ. V. G. Si constaret hæc verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, non habere alium sensum, quàm hunc; Nisi quis baptizatus fuerit baptismo aquæ; iam optimè sequeretur, etiam infantes indigere Baptismo. At hoc non constat, nisi ex Traditione. Nec Caluinus, qui negat illum sensum esse istius loci, potest à Catholicis aut Lutheranis confutari ex sola Scriptura, sed ex eo solum, quod sensus ille à maioribus nostris per continuam Traditionem ad nos peruenerit.

23 Eodem modo, si constaret, Christum, cum dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, præcepisse Apostolis, vt pronunciarent hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* iam res esset salua. At hoc non constat ex nudis Scripturæ verbis. Nam sicut Christus dixit, *Baptizate eos in nomine Patris*; ita alibi dixit, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et similiter Apostolus. 1. Corinth. 10. 31. *Sive manducatis,*

siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Et tamen necesse non est, vt is, qui petit aliquid à Patre in nomine Christi, pronunciet hæc verba, *Ego hoc vel illud peto in nomine Christi.* Neque, vt is, qui comedit, aut bibit, pronunciet hæc verba, *Ego comedo & bibo in gloriam Dei:* sed satis est, interna mente id cogitare. Quòd ergo in primo casu de Baptismo, necessaria sit prolatio verborum, non item in his duobus; hoc solùm habemus ex vsu Ecclesiæ, qui per Traditionem Apostolicam ad nos peruenit.

24 Et hæc sufficiant pro priori parte conclusionis. Posterior potest etiam varijs exemplis confirmari. Nam multi sunt ritus Ecclesiastici, qui ab Apostolis per solam Traditionem accepti sunt. Ac potissimum hi.

1. Vt Exorcismus, & aliæ cæremoniæ adhibeantur in Baptismo. (Tertullianus in lib. de corona militis, c. 3. & Basilius in lib. de Spiritu S. c. 27.)

2. Vt trina mersio fiat in Baptismo. (Basilius ibidem.)

3. Vt Chrisma singulis annis renouetur. (Fabianus Papa & martyr, epist. 2. ad Episcopos Orientis.)

4. Vt aqua vino misceatur in calice Eucharistico. (Cyprian. lib. 2. ep. 3.)

5. Vt Eucharistia sumatur à ieiunis. (Augustinus epist. 118.)

6. Vt in sacrificio Missæ oretur pro defunctis. (Tertullianus suprà.)

7. Vt signum crucis formetur in fronte. (Basilius loco citato.)

8. Vt ad Orientem versi precemur. (Idem.)

9. Vt aqua benedicatur. (Idem.)

De his, & similibus rectè vsurpari potest illud Tertulliani lib. citato, c. 4. *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prærenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & Fides obseruatrix.*

25 Tertia Concluſio. Præter ſupradictas Traditiones, quæ ab Apoſtolis ad nos peruenerunt, ſunt aliæ quædam Eccleſiaſticæ, quæ poſt tempora Apoſtolorum, à Prælatis Eccleſiæ introductæ ſunt; & tametſi parem cum Apoſtolicis authoritatem non habeant, meritò tamen à Chriſtianis ſeruari debent. De vtriſque loquitur Auguſtinus epiſt. 118. cùm ait: *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri; ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Nam per illam particulam, *vel ab ipſis Apoſtolis*, intelligit Traditiones Apoſtolicas. Et per illam, *vel plenarijs Concilijs*, intelligit Eccleſiaſticas. De quibus ſubdit; *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, diſputare, an faciendum ſit, quod tota per orbem frequentat Eccleſia.*

26 Atque hæc eſt Catholicorum ſententia de Traditionibus, tam Apoſtolicis, quàm Eccleſiaſticis, quæ ex Apoſtoli & Sanctorum Patrum authoritate confirmata eſt. Videamus nunc, quid ſentiant aduerſarij, vt poſtea conſtet ex collatione vtriuſque partis, vtri potius adhærendum ſit.

Aduerſariorum Sententia.

27 Aduerſarij paſſim reiiciunt Traditiones, & nihil, niſi quod in Scriptura veteris ac noui Teſtamenti continetur, volunt admittere. Peccant tamen quadrupliciter. 1. quia in hac re imitantur antiquos hæreticos. 2. ipſi interſe diſſentiunt. 3. multa falſo ac mendaciter affingunt Catholicis. 4. ineptiſſimè ex quibuſdam Scripturæ locis argumentantur contra Traditiones. Hæc

etiam ſigillatim demonſtranda ſunt.

28 Primò igitur, ſicut Catholici in aſſerendis Traditionibus ſequuntur cõmunem conſenſum antiquorum Patrum; ſic aduerſarij, in iiſdem reiiciendis, ſequuntur communem conſenſum antiquorum hæreticorum. Nam etiam antiqui hæretici prouocabant ad Scripturam, & Traditiones reſpuebant. Ac potiſſimum hi.

29 Primò Ariani, qui diſputantes de Diuinitate Chriſti, nihil volebant admittere, niſi Scripturam. Vnde Maximinus Arianorum Epiſcopus, diſputaturus cum Auguſtino, dicebat: *Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus. Hæ verò voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.* Refert Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum, in principio.

30 Secundò Macedoniani & Eunomiani, qui nolebant admittere hanc locutionem, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, eo quòd non haberetur in Scriptura. De quibus Baſilius in libro de Spiritu Sancto, cap. 25. circa finem: *At non deſinunt iſti ſurſum deorſum iactare, Dei cum Sancto Spiritu glorificationem, carere teſtimonio, carere ſcriptura.* Et initio cap. 29. *Sanè contra id, quod dicunt, præpoſitionem.* Cum, *carere teſtimonio, nec in Scripturis exſtare, illud dicimus: Si nihil aliud eſt receptum abſque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: Sin plurima arcana citra Scripturam recepta ſunt nobis, cum alijs plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis Traditionibus adhærere.*

31 Tertiò, Eutyches, qui negans in Chriſto duas naturas, dicebat; *Ego à ſanctis Scripturis non didici de duabus naturis.* Cui reſpondit Mamas preſbyter: *Neque de Homouſion à ſanctis Scripturis edocti ſumus.* Ita habetur in generali Concilio Chalcedonenſi, act. 1. vbi Actio quinta Conſtatinopolitani Concilij relecta eſt.

32 quartò, Pelagiani, qui dicebant : *Credamus igitur, quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus astruere: quod de cunctis etiam dixisse sufficiat* : Vt refert Augustinus in lib. de natura & gratia, cap. 39.

33 His & similibus hæreticis, olim ab Ecclesia damnatis, similes sunt nostri Lutherani & Caluinistæ, qui eodem, quo illi, spiritu afflati, repudiant Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, & ad solam Scripturam contentiosè prouocant; quam tamen, vt suprà dixi, resectis aliquot partibus mutilarunt, & nouis versionibus ac interpretationibus corruperunt.

Dissensio.

34 Sed neque inter se consentiunt. Nam aliqui, sine vlla exceptione, reiiciunt omnes omnino Traditiones, siue ad fidem, siue ad externum Dei cultum pertinentes; Et nihil aliud volunt esse credendum aut faciendum, quàm quod in Scriptura credendum aut faciendum præcipitur. Ita Caluinus lib. 4. Instit. c. 8. n. 8. *Esto*, inquit, *hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm ac Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse vite docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius verbi præscripto & norma.* Et in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ: *Deus non modo irritum habet quidquid volendi sui studio, præter mandatum suum suscipimus, sed palam quoque abominatur.* Et in epist. 87. ad Protectorem Angliæ, *Cùm de legitima reformatione agitur, ad ipsum purũ Dei verbum redeũdum nobis est.* Et similiter Caluinistæ in Synodo Vltraiectina; in prologo suarum ordinationum, num. 2. *Obstringimus nos*, inquiunt, *in forma iuramenti & obligationis, quòd in hac Prouincia non aliam velimus amplecti, & sequi doctrinam, regulam, mensuram, & amussim fidei, & vitæ Christianæ, quàm solum*

verbum Dei, quod in libris veteris, ac noui Testamenti expressum est.

35 Alij quasdam saltem admittunt Traditiones, vt Kemnitius in Examine Concilij Tridentini Sess. 4. in secundo genere Traditionum, vbi ait: *Hanc Traditionem, qua nobis in manum dantur sacræ Scripturæ libri, reuerenter accipimus.* Et in 5. genere: *Affirmant Origenes & Augustinus, Baptismum paruulorũ esse Traditionem Apostolicam. Hoc recipimus.* Et in 7. genere: *Apostolos igitur ritus quosdã ordinasse, & tradidisse Ecclesiis, ex scriptis eorum certo constat. Et verisimile est, quosdam etiã alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Et infrà: *Tales ritus meritò amamus, & retinemus, quales sunt confessio fidei, abrenuntiatio Satanæ, & alij ritus in actione Baptismi.*

36 Alij denique vtuntur distinctione. Aiunt admitti posse Traditiones de rebus adiaphoris seu indifferentibus; non autem de rebus ad salutem necessariis. Nam in his sufficienter nobis prospectum esse per Scripturam, quippe quę perfectè tradat ea omnia, quæ ad salutem necessaria sunt; ita vt Traditione minimè sit opus. Sed qui hoc dicunt, augent dissentionem, & manifestè repugnant Luthero & Kemnitio. Nam Kemnitius fatetur, Lutheranos *reuerenter* accipere Traditionem illam, quâ nobis in manus datur sacra Scriptura; At Scriptura sacra, secundum ipsos, ad salutem necessaria est: Ergo admittunt aliquam Traditionem de re ad salutem necessaria.

37 Similiter Lutherus docet, infantes non iustificari per Baptismum, sed per actualem fidem, quæ ipsis infunditur vi Exorcismi, ante Baptismum: Et sine hac fide non posse eos saluari, aut Baptismum suscipere. Vnde sequitur, salutem infantium (ex sententia Lutheri) pendere ab actuali ipsorum fide, & fidem ab Exorcismo; & consequenter, Exorcismum esse necessarium

ſarium ad ſalutem infantium. Exorciſmus autem habetur ex Traditione, non ex Scriptura, vt conſtat: Ergo ſecundùm Lutherum, admittenda eſt aliqua Traditio de re ad ſalutem neceſſaria. Verba Lutheri citabo ſuo loco.

Mendacia.

38 Videamus nunc, quid falſo nobis affingant Aduerſarij. Ac primo, vt inuidiam nobis concilient, aiunt nos docere, Scripturam, ſine Traditionibus humanis, inſufficientem eſſe ac imperfectam. Falſum eſt. Non docemus hoc de Traditionibus humanis. Diſtinguimus enim duplices Traditiones cum Auguſtino, vt dixi: Alteras Apoſtolicas, quæ parem cum Scriptura authoritatem habent. Alteras Eccleſiaſticas, quæ tantam authoritatem non habent. Dicimus ergo, Scripturam per ſe non ſufficere, niſi accedant Traditiones Apoſtolicæ, quæ non cenſentur humanæ, ſed diuinæ. Ratio duplex eſt. Prior, quia Scriptura non ſufficit, niſi conſtet de legitimo illius ſenſu. At ſæpè non conſtat, niſi ex Apoſtolica Traditione, vt ſuprà dictum eſt. Poſterior, quia multa creduntur à Chriſtianis, quæ non habentur ex Scriptura, ſed ex Apoſtolica Traditione. Exempla iam antè allata ſunt.

Secũdò, aiunt nos docere, quòd per Traditiones humanas mereamur gratiam iuſtificationis & remiſſionem peccatorum: Et quòd huiuſmodi Traditiones agnoſcamus pro noſtro Mediatore & iuſtificatore. Ita Philippus Melanchthon in Apologia confeſſionis Auguſtanæ, art. 15. de Traditionibus humanis. Hoc etiam falſum eſt, quia apertè docemus, nullo modo nos mereri iuſtificationem aut remiſſionem peccatorum, ſed eam gratis nobis conferri per merita Chriſti, vt patet ex Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 8. vbi ſic habet: *Gratis autem iuſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationẽ præcedunt,*

siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.

40 Tertiò, aiunt nos docere, quod omnes nostræ Traditiones sint Apostolicæ. Ita Caluinus lib. 4. Inst. c. 18. §. 19. *Romanenses*, inquit, *Magistri extorquere volunt, vt nulla sit apud eos ceremoniola, quæ non pro Apostolica censeatur.* Et hoc falsum. Agnoscimus. n. vt sæpè dixi, duplices Traditiones: Alteras, ab Apostolis acceptas: alteras, post tempora Apostolorum à Prælatis Ecclesiæ introductas. Deinde, pugnat hæc Caluini calumnia cum Melãchthone. Nam Melanchthon omnes nostras Traditiones vocat humanas; Caluinus, omnes Apostolicas. Neutrum concedimus. Vide alia Kemnitij mendacia apud Cardinalem Bellarminum lib. 4. de Verbo Dei, cap. 3. Reliquum est, vt diluantur obiectiones aduersariorum, quibus conantur Traditiones subuertere.

Prima obiectio.

41 Prima sumitur ex illo Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Hinc colligunt aduersarij, omnes Traditiones repudiandas esse & Catholicos peccare, qui illas admittunt. quare? quia nihil ad verbum Dei scriptum, addendum est. Ineptissimè. Primò, quia dum volunt oppugnare Catholicos, oppugnãt ipsos Apostolos, à quibus Traditiones accepimus. Et nominatim Paulum, qui dixit, *Tenete Traditiones, quas accepistis.* Oppugnant Augustinum, & alios Patres, qui Traditiones amplexi sunt. Oppugnant seipsos, quia & ipsi, vt loquitur Kemnitius, Traditionem de scriptura, de Exorcismo, & plures alias reuerenter accipiunt. Si ergo Catholici peccant, admittendo Traditiones; peccant etiam Apostoli, Patres, Lutherani ipsi. Aut si hi innocentes sunt, cur illi damnantur?

42 Deinde non intelligunt sensum allati testimonij ex Deuteron. Sensus colligitur ex ipso contextu, qui sic

habet: *Et nunc Israel audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt facies ea, viuas; & ingrediens possideas terrã, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis adverbũ, quod loquor, nec auferetis ex eo: Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Quasi dicat; Ego do vobis præcepta ceremonialia & iudicialia, quæ debetis integrè & perfectè seruare. Hoc enim significat illa phrasis, *Non addetis, nec auferetis.* quod quidem aliis verbis, sed tamen eodem sensu explicatur alibi, cùm dicitur, *Non declinabitis ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram.* Vt Deut. 17. 20. *Discat timere Dominũ Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, neque declinet in partem dextram, vel sinistram.* Et cap. 28. 14. *Si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaueris ab eis, neque ad dextram, neque ad sinistram,* &c. Et cap. 31. 29. *Noui, quòd post mortem meam iniquè agetis. & declinabitis citò de via, quam præcipi vobis.* Et Iosue 1. 7. *Confortare, & esto robustus valdè, vt custodias & facias omnem legẽ, quam præcepit tibi Moses seruus meus, nè declines ab ea ad dextram vel ad sinistram.*

34 Igitur hæc tria idem valent. 1. Integrè & perfectè seruare præcepta Mosaica. 2. Non declinare ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram. 3. nihil in eorum obseruatione vel addere, vel detrahere. quod non sic intelligendum est, quasi non liceat addere noua præcepta (alioqui non licuisset addere præcepta Euangelica, de Fide Trinitatis, de Baptismo, de Eucharistia,) sed quòd præcepta Mosaica, in sui obseruatione non sint corrumpenda, vel additione, vel detractione; sed integrè custodienda. V. G. Erat præceptum Mosaicum: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circumcidetur infantulus.* (Leuit. 12. 2.) Ad hoc præceptum non licebat aliquid addere, vel auferre, id est, non licebat, nec ante, nec post diem octauum circumcidere infan-

tulum : Nec immunditia matris poterat pauciorib⁹, vel pluribus diebus durare, quàm ſeptem : Eadem eſt ratio de aliis præceptis, vt videbimus in ſequenti obiectione.

44 Hinc patet teſtimonium Deuteronomij, quod tantopere vrgent aduerſarij, nihil ad rem facere. Niſi velint ſic argumentari: Iudæi debebant perfectè & integrè ſeruare præcepta Moſaica : Ergo Chriſtiani non debent admittere Traditiones Apoſtolicas, ſed ſolâ ſcripturâ eſſe contenti. Quæ ſanè conſequentia abſurda & ridicula eſt, vt omnes vident. Vt tamen res fiat clarior, quæro ab aduerſariis, an ipſi putent, hoc teſtimonium pertinere ad ſolos Iudæos, an etiam ad Chriſtianos? Si pertinet ad ſolos Iudæos, cur adducitur, contra Chriſtianos? Aut cur volunt Lutherani & Caluiniſtæ, vt nos ad illud ſeruandum obligemur? Si etiã pertinet ad Chriſtianos, Cur aduerſarij non ſeruant præcepta Moſaica? cur non circuncidunt ſe? Cur alias ceremonias legales intermittunt? Cur denique ſicut contra nos vrgent illam particulam, *Non addetis*, non ſimiliter contra ſe vrgent alteram, *Non auferetis*? Hîc hærent.

Secunda obiectio.

45 Secunda ſumitur ex illo Deut. 12. 32. *Quod tibi præcipio, hoc tantùm facito Domino : nec addas quicquam, nec minuas*. Hinc iterum colligunt Aduerſarij, omnes Traditiones & pręcepta humana eſſe irrita & contemnenda. quare? quia hoc tantùm faciendum eſt, quod Deus pręcipit : Ergo quod homines pręcipiunt, faciendum non eſt. Non minus ineptè, quã ſuprà. Primo, quia ſi omnia pręcepta humana ſunt irrita, & contemnenda, quid dicemus de Iudęis, qui accuratè ſeruarunt pręceptum de feſto Encœniorum, quod non erat diuinum, ſed humanum? quid de Rechabitis, qui accuratiſſimè ſeruarunt pręceptum parentis ſeu Ionadab, de perpetua abſtinentia à vino? (Ierem. 35. 6.) quid de Apoſto-

lis, qui in Concilio Ierosolymitano præceperunt abstinentiam à sanguine & suffocato? (Actor. 15. 29.) quid de Paulo, qui distinguit inter sua & Christi præcepta? (1. Cor. 7. 12. Quid de magistratibus, qui figunt mandata humana ad conseruandam pacem & iustitiam in Republica? Quid denique de ipsis aduersariis, qui in Synodis & conuenticulis suis condunt leges & statuta Eccles. quæ ab omnibus obseruari volunt?

46 Secundo, Sensus illius loci non est ille, qué fingũt aduersarij, sed longè alius. Nam sicut in præcedenti testimonio agebatur generatim de præceptis Mosaicis integrè obseruandis; ita hic agitur speciatim de vno præcepto ceremoniali, nempe de præcepto sacrificij integrè obseruando. Textus sic habet: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum, caue ne imiteris eas, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

47 Sensus est: quando veneris in terram Palæstinam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo tuo sacrificium; non imitaberis gentiles, qui falsis Diis offerunt suos filios & filias per ignem; sed hoc tantùm offeres, quod ego tibi præcipio: Nempe, ex animalibus oues, capras, hædos, boues, vitulos, columbas, passeres, turtures. Ex fructibus terræ, panem, similam, salem, thus, manipulum spicarum viuentium, & triticum. Ex liquoribus, sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facito*, id est, offerto *Domino*. Nec addas quicquam ex sacrificijs gentilium: Nec minuas ex eis, quæ iam enumerata sunt.

48 Quid hinc concludent aduersarij? Non video;

nisi sic inferant: Iudæi debebant ea tantùm offerre in sacrificium, quæ à Deo erant determinata: Ergo Christiani non debent seruare præcepta humana, siue ciuilia, siue Ecclesiastica. *spectatum admissi, risum* teneatis amici?

Tertia obiectio.

49 Tertia sumitur ex illo Gal. 1. 8. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit* Et infrà: *si quis euãgelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* Ergo inquiunt aduersarij, præter Euangelium non licet admittere Traditiones. Respondeo 1. Hæc obiectio retorqueri potest in aduersarios, hoc modo: Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod Apostolus euangelizauit, anathema sit: Aduersarij euangelizant aliquid præter id, quod Apostolus euangelizauit, quia oppugnant Traditiones, contra id, quod Apostolus dixit, *Tenete Traditiones*: Ergo anathema sint.

50 Respondeo 2. Ex scopo Apostoli æstimandum est, an damnentur hoc loco Traditiones, nec ne. Scopus Apostoli est hic. Galatæ docti erant à Paulo, ceremonias legis Mosaicæ abrogatas esse; & neminem posse per huiusmodi ceremonias iustificari, sed per fidem in Christum. (capit. 2. 16.) Ab hac doctrina fuerunt postea abducti per quosdam falsos Apostolos, qui docebãt, eos non posse saluari per fidem in Christum, nisi simul circunciderentur, & alias ceremonias Mosaicas obseruarent. (cap. 1. 6. & cap. 3. 1. & cap. 4. 9. & cap. 5. 1.) Contra huiusmodi falsos Apostolos agit Paulus, cùm ait: *Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* Q. D. Accepistis à me, hominem iustificari per fidem in Christum, non autem per obseruantiam legis Mosaicæ. Si quis aliter vos instruit, anathema sit.

51 At hinc non sequitur, Traditiones Apostolicas esse

reiiciendas, sed potius conseruandas, quia non sunt præter aut contra id, quod Paulus euangelizauit Galatis de iustificatione; sed potius sunt id, quod ipse Thessalonicensibus euangelizauit, cùm dixit: *Tenete Traditiones quas didicistis*

Quarta obiectio.

52 quarta sumitur ex illo Apoc. 22. 18. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.* Ergo non licet apponere Traditiones. Respondeo. Hoc testimonium condemnat Lutheranos, qui non solùm diminuunt de verbis libri prophetiæ huius, sed totum librum suspectum habent, nec eum pro canonico, sed pro apocrypho agnoscunt. Non tamen condemnat Traditiones, quia non prohibet, ne præter prophetiam Apocalypticam admittatur aliquid aliud (alioqui non liceret addere Prophetias Isaiæ, Ieremiæ, & aliorum Prophetarum veteris Testamenti; nec item Euangelia, Epistolas, Symbolum fidei,) sed solùm prohibet, ne verba Prophetiæ Apocalypticæ ab aliquo deprauentur, quod duobus modis fieri posse insinuat. Primò, additione; vt si quis apponat aliquid ad Prophetiam Apocalypticam, quasi pars illius sit, quæ reuera non est. Secundò, diminutione; vt si aliquid detrahat, quasi ad illam non pertineat, quod reuera pertinet. Neutrum faciunt Catholici.

53 Exemplo rem declarabo. Prædicit Ioannes capit. 11. fore aliquando, vt veniant duo Prophetę, *amicti saccis, qui prophetabunt diebus* 1260. *& habebunt potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem conuertendi aquas in sanguinem*, &c. Ad hanc Prophetiam nihil addunt Catholici, quod ad eam non

pertineat; nec auferunt aliquid, quod ad eam pertineat; sed relinquunt integram, sicut à Ioanne perscripta est. At contrà faciunt aduersarij, qui dicunt hos duos Prophetas fuisse Lutherum & Caluinum. Nam qui hoc dicunt, necessariò diminuunt de verbis Prophetiæ huius, cùm constet Lutherum & Caluinum non fuisse *amictos sacco*, nec habuisse *potestatem claudendi cælum*: Et quæ ibidem sequuntur.

Quinta obiectio.

54 Quinta sumitur ex illo 2. Timoth. 3. 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad eruditũdum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quo loco dupliciter argumentantur aduersarij. Aliqui sic: Omnis scriptura est vtilis ad docendum & arguendum: Ergo superuacaneæ sunt Traditiones. Perinde, ac si dicas: Omnis cibus est vtilis ad nutriendum: Ergo superuacaneus est potus. Vel, Omnis eleemosyna est vtilis ad salutem. (Lucæ 11. 41. & Daniel 4. 24.) Ergo superuacanea oratio, superuacanea Sacramenta. Miseret me horum hominum.

55 Alij sic: Omnis scriptura est vtilis, id est, sufficiens: Ergo superuacaneæ Traditiones. Sed quæ hæc interpretatio est? An idem sunt, vtilem esse, & sufficientem esse? Si idem sunt, iam illud 1. Timoth. 4 8. *Pietas ad omnia vtilis est*, licebit sic interpretari. Pietas ad omnia sufficiens est: Ergo reliqua omnia superuacanea sunt. Et similiter illud 2. Timoth. 4. 11. *Marcum assume, & adhuc tecum: Est enim mihi vtilis ad ministerium*, id est, sufficiens: Ergo Timotheus, Titus, Onesimus, & alij superuacanei sunt. Quis non videt, si hæc licentia interpretandi scripturam semel admittatur, totam corrumpi & adulterari posse?

56 Sed vt clarius res ipsa percipiatur, textus Apostoli

considerandus est. Igitur Apostolus in citato capite hortatur Timotheum Episcopum, vt suos subditos instruat in fide & bonis operibus; Et redarguat aduersarios, qui *corrupti mente & reprobi circa fidem, resistunt veritati.* Et vt ostendat eum id posse præstare, subdit: *Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris: Et quia ab infantia tua sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum,* & cætera. Vbi per sacras literas, quas ait Timotheum ab infantia nouisse, intelligit Scripturam veteris Testamenti. Nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum exstabat Scriptura noui Testamenti.

57 Apostolus ergo, in illo textu, sic argumentatur: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios. At Scriptura veteris Testamenti, quam ab infantia didicisti, est diuinitus inspirata: Ergo est vtilis ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios.

Cùm ergo cognitione illius Scripturæ instructus sis, magnum ex ea præsidium habes ad præstandum, quod dixi.

58 Ex eodem principio licebit sic concludere: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum & arguendum. At Scriptura noui Testamenti est diuinitus inspirata: Ergo est vtilis ad docendum & arguendum. Qui ergo cognitione huius Scripturæ instructus est, magnum ex ea præsidium habet ad vtrumque præstandum.

59 Porro, ex vtroque discursu patet, has tres propositiones veras esse, secundùm Apostolum. 1. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum & arguendum. 2. Scriptura veteris Testamenti vtilis est ad docendum & arguendum. 3. Scriptura noui Testa-

menti vtilis est ad docendum & arguendum. Sicut ergo non sequitur: Scriptura veteris Testamenti vtilis est; Ergo scriptura noui Testamenti est superuacanea. Nec contrà, scriptura noui Testamenti est vtilis: Ergo scriptura veteris Testamenti est superuacanea. Sic etiam non sequitur: Vtraque scriptura est vtilis: Ergo Traditio est superuacanea. Alioqui superuacaneum esset, quod dicit Apostolus, *Tenete Traditiones.*

Sexta obiectio.

60 Sexta sumitur ex illo Matt. 15. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram.* Et Coloss. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum Traditionem hominum.* Et 1. Petri 18. *Redempti eſtis de varia veſtra conuerſatione paternæ Traditionis.* Hinc colligunt aduersarij, omnes Traditiones à Christo & Apostolis damnatas esse. At non rectè. Nam Christus & Apostoli solum loquuntur, vel de Traditionibus Iudæorum, quibus Pharisæi malè vtebantur, vt suprà explicatum est: Vel de Traditionibus Gentilium, quæ fidei Christianæ repugnabant. At tales non sunt, quas hoc loco nos defendimus. Nos defendimus diuinas & Apostolicas, quæ suprà enumeratæ sunt.

61 Atque hæ sunt præcipuæ obiectiones aduersariorum cõtra authoritatem Traditionum Apostolicarum. Aliæ, si quæ sunt, in capite de Iudice controuersiarum discutientur. Ibi enim adducam testimonia scripturæ, quibus ipsi conantur probare, solam scripturam, seclusis Traditionibus, esse normam, regulam, & Iudicem controuersiarum, in negotio fidei ac religionis.

CAPVT V.

De Ecclesia, quæ infallibiliter proponit nobis Articulos Fidei.

ARticuli Fidei, (qui à Deo reuelati sunt, & partim habentur ex scriptura, partim ex Traditione)

non possunt securè & infallibiliter à nobis credi, nisi legitimè & infallibiliter ad credendum nobis proponantur. Quæstio est, à quo debeant hoc modo proponi. Respondemus: ab Ecclesia. Si ita est, necessariò sequitur, Ecclesiam tres habere conditiones. 1. Vt sit visibilis. Nam si esset inuisibilis, non posset nobiscum visibiliter agere, & articulos fidei proponere. 2. Vt sit infallibilis. Nam si esset fallibilis, non redderet nos tutos ac securos in fide. 3. Vt sit nota. Nam si nobis certò non constaret, vbi & quæ esset visibilis & infallibilis Ecclesia, non constaret etiam certò, an articuli fidei infallibiliter nobis proponerentur. Igitur hæ tres conditiones hoc ordine explicandæ sunt. 1. Ecclesiam Christi esse visibilem. 2. Esse vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam, Sponsam Christi, Domum Dei, Columnam & firmamentum veritatis. 3. Extra illam neminem saluari posse. 4. Eandem in fide non posse deficere aut errare: ac proinde securos esse, qui illius sententiam sequuntur. 5. Hanc visibilem Christi Ecclesiam non esse aliam, quam Romanam seu Pontificiam, quæ toto orbe diffusa est.

I. CONCLVSIO.

Ecclesia Christi in terris visibilis & conspicua est.

1 HAnc concedunt præcipui aduersarij, præsertim Caluinus lib. 4. Inst. cap. 1. §. 2. vbi ex professo disputat de Ecclesia visibili, & Philippus Melanchthon in Examine ordinandorum, titulo de Ecclesia, vbi sic ait: *Ecclesia visibilis in hac vita, est cœtus visibilis amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè vtentium Sacramentis: in quo cœtu filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam æternam.*

2 Et res certa est. Primò, quia illa Ecclesia necessariò visibilis est, in qua Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, Sacramenta administrare, peccantes corripere,

contumaces ab aliorum communione ſeparare. Et viciſſim, vbi ſubditi debent agnoſcere ſuos Paſtores, eorum monitis obtemperare, inſtructionem & Sacramenta ab eis percipere. At hæc omnia fiunt in vera Chriſti Eccleſia: Ergo vera Chriſti Eccleſia neceſſario viſibilis eſt. Minor patet ex Scriptura. Matth. 18. 17. *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Et Act. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et Hebr. 13. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et alibi.

3 Secundò. Illa Eccleſia neceſſario eſt viſibilis, in qua publicè indicuntur & celebrantur Concilia, ſanciuntur Canones, dirimuntur controuerſiæ de fide ac religione. Hæc omnia fiunt in vera Chriſti Eccleſia. Nam Apoſtoli indixerunt Concilium Hieroſolymitanum, in quo hæc conſtitutio facta eſt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine & ſuffocato.* (Act. 15. 28.) Et poſt tempora Apoſtolorum, celebrata ſunt Concilia generalia, Nicœnum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, quæ etiam ab aduerſariis, tanquam legitima admittuntur.

4 Tertiò, Chriſtus in Euangelio comparat Eccleſiam ſuam ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: comparat conuiuio nuptiali, ad quod boni & mali vocati ſunt: comparat decem virginibus, quarum quinque prudentes ſunt, quinque fatuæ: comparat ouili, in quo reperiuntur oues & hædi. Hæc non poſſunt intelligi, niſi de Eccleſia viſibili. Nam aduerſarij, qui agnoſcunt duas Eccleſias, vnam viſibilem, alteram inuiſibilem; ſic eas inter ſe diſtinguunt, quòd in hac ſint ſoli prædeſtinati, in illa boni & mali permixti. At

in Ecclesia, de qua Christus loquitur in supradictis parabolis, sunt boni & mali permixti: Ergo loquitur de Ecclesia visibili. Loquitur autem de vera Ecclesia. Vera igitur Ecclesia visibilis est.

5 Quartò, Idem à Propheta prædictum est, Psal.18.6. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, vt ibidem explicat Augustinus; *In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto.* Et Epist. 166. ad Donatistas: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est, in manifestatione, omnibus nota vsque ad terminos terræ.* Eodem spectat illud Christi, Matt.5.15. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Vbi per ciuitatem, quæ abscondi non potest, & per lucernam, quæ omnibus lucet, intelligitur Ecclesia Christi. Vnde idem Augustinus in libro de vnitate Ecclesiæ, c. 16. *Non est*, inquit, *operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed supra candelabrum. Et de illa dictum est, Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant, & malint clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere,* Et Epist. 170. ad Seuerinum: *Facile tibi est attendere & videre ciuitatem super montem constitutam.*

6 Quintò, idem constat ex Symbolo fidei, vbi sic dicimus, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Quod de visibili Ecclesia intelligendum esse, non solum docent Catholici, sed etiam multi ex aduersariis, præsertim Caluin. l 4.c.1.§.2. & Melanchthon loco suprà citato. Itaque dari Ecclesiam visibilem, est articulus fidei, secundum aduersarios. Et rectè.

Nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis; tamen quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum, hoc non videmus, sed credi-

mus: Vnde visibilis Ecclesia partim cadit sub externos oculos; partim sub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt: interna fide credimus veram Christi doctrinam apud eos tradi & conseruari.

7 Hinc soluitur vulgare illud sophisma: Quod fide credimus, non est visibile: Ecclesiam fide credimus: Ergo Ecclesia non est visibilis. Nam maior propositio sic debet intelligi: Quod fide credimus, non est visibile ex ea parte, qua sub fidem cadit; tametsi possit esse visibile ex alia parte, qua sub fidem non cadit. Huius rei varia exstant exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem; credebant diuinitatem. In Baptismo videmus externã aquam & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, scripturam, Codicem ipsum; credimus, quod in eo continetur, esse verbum Dei. Idem dico de Ecclesia. Est aliquid in ea, quod credimus: est aliquid, quod videmus. Credimus veram esse doctrinam, quæ in Ecclesia traditur: Videmus homines, externos ritus, & Sacramenta, quæ in Ecclesia sunt.

8 Accedit consensus Patrum. Omnes, qui de hac re ex professo scribunt, Ecclesiam visibilem esse affirmant. Aug. (vt omittam testimonia ipsius suprà citata.) epist. 166. ad Donatistas sic habet: *In Scripturis didicimus Christum: in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Et post multa: *Ecce Scripturæ communes: Ecce, vbi nouimus Christum, ibi nouimus Ecclesiam. Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? si in ipsum Christum, quem legitis & non videtis, tamen Scripturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis?*

9 Et ne longus sim in enumerandis aliis Patribus, omnes illi supponunt Ecclesiam esse visibilem, qui recen-

sent ordine successores Petri in gubernatione Ecclesiæ, vt Irenæus, Optatus, Aug. Epiph. & Euseb. Cæsarienſis. Omnes item, qui fatentur ex Euangelio, bonos & malos in Ecclesia permixtos esse: Qui agnoscunt potestatem soluendi, ligandi, excommunicandi, quæ, nisi in Ecclesia visibili, exerceri non potest. Denique, qui asserunt Ecclesiam sine prædicatione Euangelij & Sacramentorum administratione consistere non posse. Nec puto quemquam esse, qui hæc neget, si intelligat.

10 Conabor tamen clarius explicare. Ac primùm quæro, an Respublica Veneta, vel ciuitas Viennensis in Austria, sit visibilis, nec ne? Omnes, opinor, visibilem esse concedent. At eadem est ratio de Ecclesia. Quod sic ostendo. Tria spectari possunt in Ecclesia. 1. Multitudo seu collectio eorum hominum, qui sunt in Ecclesia. 2. Externum regimen, quo Prælati Ecclesiæ gubernant suos subditos, docendo, hortando, iudicando, puniendo, Sacramenta administrando. 3. Interna fides & charitas, qua inter se vniuntur. Eadem spectari possunt in Repub. Veneta, vel ciuitate Viennensi. 1. Multitudo seu collectio eorum hominum, qui in Repub. vel ciuitate sunt. 2. Externum regimen, quo Magistratus politicus gubernat suos subditos. 3. Interna affectio, qua inter se vniuntur. Duo priora, tam in Ecclesia, quàm in Rep. vel ciuitate, sunt visibilia. Tertium vtrobique est inuisibile. Sicut enim externis oculis non possumus videre, an Christiani, qui in Ecclesia sunt, habeant internam fidem & charitatem, sed propter externam fidei professionem id credo: Sic etiam res habet in Rep. vel ciuitate. Video ciues, qui in ea sunt; video externam politiam & gubernationem; sed non video internum affectum, quem quisque habet aut habere debet. Si ergo, eo non obstante, nihilominus ciuitas vel Respublica verè dicitur esse visibilis; cur idem de Ecclesia dici non possit? Nihil certius. Hinc facilè diluuntur

cauillationes, quæ obiici solent. Non proponam, quia necesse non est.

II. CONCLVSIO.

Hæc visibilis Ecclesia est Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, Columna & firmamentum veritatis.

11 HAnc etiam admittit Caluinus loco citato. Et meritò. Nam Scripturæ, Symbola fidei, & Patres passim ita docent. Dicitur autem Ecclesia *Vna*, propter vnionem & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt. Omnes enim vnam eandémque fidem profitentur, iuxta illud Apost. Eph. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Et qui recedunt ab hac fidei vnitate, propriè sectarij & Hæretici appellantur. Itaque ad eam conseruandam sæpè hortatur nos idem Apostolus, præsertim Rom 16. 17. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis.* Et 1. Corinth. 1. 10. *Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Hebr. 13 9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

12 Dicitur *Sancta*, ob has causas. Primò, quia nemo in eam ingreditur, nisi per Baptismum ablutus & sanctificatus. 1. Cor. 6. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti & sanctificati estis.* Secundò, quia omnia ipsius instituta, cæremoniæ, Sacramenta, & doctrina ad sanctitatem ordinantur. Eo enim spectant, vt vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus, & conseruemur. Tertiò, quia extra illam nulla potest esse sanctitas. Quartò, quia Christus, qui est Caput & sponsus Ecclesiæ, est Sanctus Sanctorum. Addit Caluin. lib. 4. Inst. cap. 1 §. 17. vocari sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis aspirat. Nec obstat, quòd multi mali sint in Ecclesia. Potest nihilominus vocari sancta, tum propter

propter rationes allatas; tum etiam quia multi in ea sancti sunt.

13 Dicitur *Catholica*, seu Vniuersalis, tribus de causis. 1. Ratione loci, quia per vniuersum orbem diffusa est, Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* 2. Ratione temporis, quia semper durabit. Dan. 2. 44. *Suscitabit Dominus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* 3. Ratione hominum saluandorum, quia quotquot saluantur, in visibili Ecclesia saluatur, & nullus extra eam saluari potest. (infra conc. sequenti.) Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi & Synagogam Iudæorum. Hæc enim nullo istorum modorum fuit Catholica seu Vniuersalis. Non primo, quia non fuit diffusa per totum orbem, sed per solam Palæstinam. Nec secundo, quia non durauit, nisi certo tempore, nempe vsque ad mortem Christi. Nec tertio, quia poterant saluari homines extra Synagogam, vt Niniuitæ, & alij.

14 Dicitur *Apostolica*, primo, quia in Apostolis initium habuit. Secundo, quia ab Apostolis per orbem terrarum propagata est, Rom. 10. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Tertio, quia sequitur doctrinam Apostolorum, ad Gal. 1. 18. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Denique, quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis. Vide Tertullianum lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 20. & duobus sequentibus.

15 Dicitur *Sponsa Christi*, quia Christus indissolubili vinculo eam sibi coniunxit; Oseæ 2. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Et Ephes. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Habet autem hæc sponsa tria priuilegia. 1. quod sit fœcunda. 2. quod semper virgo.

3. quod ex latere ſponſi progenita. Quæ tria ſimul ſumpta, nulli vnquam ſponſæ obtigerunt. Beata Maria, Ioſephi ſponſa, fuit quidem fœcunda, & ſemper virgo; non tamen è latere ſui ſponſi progenita. Eua, è contrario, fuit ex latere Adami procreata & fœcunda; non tamen ſemper virgo. At Eccleſia, Chriſti ſponſa, omnia ſimul nacta eſt. Ac primo, quòd fœcunda ſit, patet ex illo, Gal. 4. 31. *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.* Quod virgo, ex illo 2. Corinth. 11. 12. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quod ex latere Chriſti, colligunt plerique ex illo, Ioan. 19. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua.* Quomodo autem id intelligendum ſit, dictum eſt alibi.

16 Dicitur *Domus Dei*, quia tametſi Deus vbique ſit, vt ipſemet fatetur apud Ieremiam cap. 23. 24. *Cœlum & terram ego impleo:* tamen peculiari modo habitat in Eccleſia, tanquam in domo ſua, propter ſpecialem aſſiſtentiam & gubernationem, vt concl. 5. explicandum eſt. Hanc domum ipſe ſibi ædificauit ſupra firmam petram, vt nunquam ruitura ſit, Matth. 16. 18. In hac habet diſpenſatorem familiæ ſuæ, Lucæ 12. 42. In hac generat filios per baptiſmum, inſtruit per prædicationem Euangelij, nutrit per Euchariſtiam, ſanat per Pœnitentiam & Vnctionem. In hac habet vaſa omnis generis, aurea & argentea, lignea & fictilia, 2. Timot. 2. 20. In hac celebrat conuiuium nuptiale, Matth. 22. 2. Denique extra hanc, neminem ſaluum eſſe vult, vt paulo poſt videbimus.

17 Dicitur *columna & firmamentum veritatis*, quia eſt columna firma & ſtabilis, quæ à veritate deflectere non poteſt: & ſua firmitate ac ſtabilitate ſuſtentat ſuos filios, ne à veritate aberrent. Aduerſarij paulò aliter explicant. Aiunt Eccleſiam dici columnam & firmamentum veritatis: Vel, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, quàm in Eccleſia, vt vult Beza in commentario:

Vel, quia Ecclesia est fida cultos veritatis Dei, vt interpretatur Caluinus lib. 4 Inst. cap. 1. §. 10. Vel, vt loquitur in commentario, *quia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit.* Vel denique, vt loquitur in cap. 43. Isaiæ v. 10. *quia veritatem tuetur & propagat, vt à posteris in orbe totum colatur.* Hæc omnia seruient nobis pro 5. conclusione.

III. CONCLVSIO.

Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest saluari.

18 ITa passim docent Patres. Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 19. *Ad ipsam verò salutem,* inquit, *ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Et epist. 50. ad Bonifacium Comitem, sub finem: *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille caput est, saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus Sanctus.* Et paulo post: *Non habent itaque Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.* Et epist. 152. ad Donatistas: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et Sanctus Gregor. lib. 14. moral. cap. 21. *Sancta vniuersalis Ecclesia prædicat, saluari neminem, nisi intrà se, non posse: asserens, quòd omnes, qui extra ipsam sunt, minimè saluentur.*

19 Consentiunt aduersarij. Caluinus lib. 4. cap. 1. §. 4. *Verùm* inquit, *quia nunc de visibili Ecclesia disserere propositum est, discamus vel vno matris elogio, quàm vtilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria: quando non aliter est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi pariat, nisi alat suis vberibus; denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Angelis.* Et paulo post: *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus.* Et rursum §. 22. *Tria,* inquit,

hic nobis obseruanda sunt. Primum, quantalibet sanctitate polleant filij Dei, hac tamen conditione semper esse, quamdiu in mortali corpore habitant, vt sine peccatorum remissione consistere nequeant coram Deo. Deinde, hoc beneficium sic esse Ecclesiæ proprium, vt non aliter eo fruamur, quàm si permaneamus in illius communione. Tertio, per Ecclesiæ Ministros & Pastores nobis dispensari, vel Euangelij prædicatione, vel Sacramentorum administratione.

20 Et Philippus Melanchthon in Examine ordinandorum, titulo de Ecclesia: *Non loquimur*, inquit, *de Ecclesia, vt de Idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam, iuxta dictum, Dic Ecclesiæ. Hic necesse est intelligi visibilem Ecclesiam.* Et mox quærit, An necesse sit, singulos homines saluandos fieri ciues huius Ecclesiæ visibilis? Et respondet his verbis: *Prorsus necesse est.*

21 Eius rei variæ assignantur causæ ab Augustino, serm. 181. de Temp. Prima, quia in sola Ecclesia immolatur hostia Redemptoris. Altera, in sola vinea laborantes, mercedem denarij accipiunt. Tertia, omnes qui extra arcam Noe fuerunt, diluuio exstincti sunt. Quarta, membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. Quinta, ramus præcisus ab arbore, non potest germinare. Sexta, riuus à fonte separatus, arescit. Alij hanc addunt: Christus est Sponsus Ecclesiæ. At Christus non est adulter, nec generat filios ex adultera: Ergo non generat filios, nisi ex Sponsa sua Ecclesia. Nemo ergo filius Christi est, nisi matrem agnoscat Ecclesiam. Huc spectat Cyprianus in lib. de Vnitate Ecclesiæ, cùm ait: *Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Et Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Si quis absque Ecclesia inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.*

22 Eodem pertinet vaticinium Isaiæ c. 60. 11. *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt adferatur*

ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Quibus verbis duo prædicit. Vnum, quòd Ecclesia Christi futura sit visibilis, quæ pateat omnibus gentibus, si velint intrare. Alterum, quòd omnes sint perituri, qui eam ingressi non fuerint.

IV. CONCLVSIO.

Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere vel errare in fide.

23 HÆc conclusio non debet intelligi de aliqua parte Ecclesiæ, sed de tota Ecclesia. Nam certum est, aliquam Ecclesiæ partem, id est, aliquos Christianos errare posse, & re ipsa errasse. Errauit Arius, negans Christi diuinitatem. Errauit Macedonius, negans Spiritus Sancti diuinitatem. Errauit Nestorius, asserens duas in Christo personas. Errarunt Eutyches & Dioscorus, asserentes vnam in Christo naturam. Errarunt Pelagiani, negantes peccatum originale, & necessitatem gratiæ. Errarunt Donatistæ, & alij plures. Qui omnes propter suos errores, ab Ecclesia damnati, & tanquam putrida membra, abscissi sunt.

24 At quæstio est, an tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ouibus conflata est, possit errare in aliquo puncto vel articulo fidei? Vel, vt clarius dicam, an Christus qui Ecclesiam suam gubernat, permissurus sit, vt ipsa tota, quatenus toto orbe diffusa est, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit contra fidem vel Euangelium? Hîc à nobis dissentiant aduersarij. Aiunt totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse & multis seculis, vsque ad tempora Lutheri, in errore perstitisse: Vel, vt alij loquuntur, totam periisse & defecisse; non quod perierint aut defecerint homines, ex quibus conflata est,

Ecclesia visibilis; sed quod defecerit eorum fides, & sincera religio. Ita passim Lutherani & Caluinistæ.

25 Sed manifestè refelluntur ex concessis. Primo, quia ipsi concedunt, esse articulum fidei, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit: & hoc sensu interpretantur illud, quod in symbolo profitemur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, vt conclusione secunda ostensum est. At articuli fidei semper sunt veri, nunquam falsi: Ergo semper verum est, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit. Ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem post primos quingentos annos defecisse, & multis seculis nullam fuisse visibilem Christi Ecclesiam. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.*

26 Secundo, concedunt etiam aduersarij, Ecclesiam visibilem esse sponsam Christi, vt conclusione tertia dictum est. Hinc formo duplex argumentum. Vnum ex parte sponsi, qui indissolubili vinculo coniunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam sponsam perpetuam, vt explicat Apostolus Ephes. 5. 31. Et prædictum est ab Osea c. 2. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Ergo nunquam ab ea separari potest. Alterum ex parte sponsæ, quæ ad perpetuam subiectionem & fidem coniugalem obligauit se suo sponso, vt insinuat idem Apostolus cùm ait: *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis subditæ sint in omnibus*, quasi dicat: Ecclesia est norma seu exemplar subiectionis & fidelitatis, cui mulieres conformare se debent. At non esset norma fidelitatis, si post aliquot annos deficeret à suo sponso, & fieret adultera. Vnde Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: *Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica.*

27 Tertio, Ecclesia visibilis est Domus Dei, de qua Christus in Euangelio, Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt*

aduersus eam. Vbi duo promittit. Primo, quòd velit Ecclesiam suam ædificare super petram. Secundo, quòd portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In vtroque alludit ad id, quod Matth. 7. 24. dixerat, sapientem architectum esse, qui ædificat domum super petram: stultum qui super arenam. Causam addit, quia quando oritur aliqua vehemens tempestas, mox corruit illa, quæ super arenam; non altera, quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & ædificare Ecclesiam suam super petram, vt nulla ventorum aut imbrium vi possit disturbari. Hinc patet, eos magnam iniuriam irrogare Christo, qui asserunt Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere, & re ipsa defeciisse. Nam inde sequitur, non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam: ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum. Imo fuisse mendacem, quòd promiserit se super petram ædificaturum, & non fecerit: quòd dixerit, portas inferi non prævalituras, & prævaluerint. Hoc argumento vsi sunt plerique Patres, vt postea videbimus.

28 Quarto, Ecclesia visibilis dicitur columna & firmamentum veritatis, triplici sensu, vt suprà dixi. Primo, quia est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, vt explicant Catholici. Secundo, quia est fida custos veritatis, eamque puram & sinceram ad posteros transmittit, vt vult Caluinus. Tertio, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in Ecclesia, vt interpretatur Beza. Hinc sumo triplex argumentum. 1. Si Ecclesia visibilis est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, certum est non posse errare in fide. 2. Si est fida custos veritatis, tamquam sua culpa amittit veritatem: aut si illam amittit, non est fida illius custos. 3. Si veritas non alibi habitat, quàm in Ecclesia visibili; vel ergo superioribus seculis, non habitauit veritas in hoc mundo; vel si habi-

tauit, non alibi, quàm in Ecclesia visibili habitauit. Necesse ergo est fuisse Ecclesiam visibilem.

29 Quinto, Nemo potest saluari extra Ecclesiam visibilem, vt cum Catholicis disertè fatetur Caluinus. At semper aliqui saluantur: Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Falsum ergo est, Ecclesiam visibilem multis seculis non exstitisse. Nam si non exstitisset, multis seculis nemo fuisset saluatus. Periissent igitur omnes maiores nostri, quotquot ante Lutherum per aliquot sæcula, toto orbe vixerunt. Quis hoc credat?

30 Atque hæc argumenta sumpta sunt ex concessione aduersariorum. Accedunt alia ex Scripturis. Primum ex Isaia, qui cap. 54. nihil aliud, quàm de Ecclesiæ Christi fœcunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoria contra Hæreticos & alios hostes vaticinatur. Ac inter cætera, sic eam alloquitur in persona Dei, v. 4. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces.* Confunderetur autem & erubesceret, si erraret in fide. Et v. 10. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur,* id est, Etiamsi montes de loco suo mouerentur, & colles contremiscerent; non tamen misericordia mea recedet à te, & fœdus pacis meæ, quod tecum inij, fixum & irreuocabile mansurum est. Et v. 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. Et ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos,* id est, Ego ita fundabo & stabiliam te, vt tempestate conuelli non possit: ita muniam te portis & propugnaculis, vt futura sis inexpugnabilis. Et v. 17. *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi in iudicio, condemnabis,* id est, Omnes aduersarij, quos diabolus contra te excitabit, non habebunt successum: Et omnes hæreticos, qui tibi resistent in causa fidei ac religionis, de errore conuictos condemnabis. Quod etiam factum est hactenus.

31 Secundum ex verbis Christi (quæ planè conspirant cum verbis Isaiæ) Matth. 16. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quæ iam explicata sunt. Sed audiamus August. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, c. 6. vbi ait: *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.* Vbi manifestè loquitur de Ecclesia visibili, ex qua exeunt hæretici. Non enim exeunt ex inuisibili, in qua soli prædestinati sunt, quia in ea nunquam fuerunt. Igitur ex sententia Augustini, Ecclesia visibilis est vna, vera, sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vinci aut expugnari non potest.

32 Tertium similiter ex verbis Christi, Matth. 28. 19. *Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes,* &c. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* quasi dicat. Ego mitto vos in vniuersum orbem, vt apud Ethnicos prædicetis Euangelium, & Sacramenta administretis, Occurrent quidem multa pericula & aduersitates, quia Diabolus, qui vbique habet suos cultores, & idololatras, crudelissimè vos persequetur; sed forti estote animo. Ego non deseram vos: Adero vobis & successoribus vestris, vsque ad finem mundi. Ego, inquam, adero, qui nuper dixi, *Non relinquam vos orphanos.* (Ioan. 14. 18.) Ego, qui dixi, *confidite, ego vici mundum.* (Ioan. 16. 33.) Ego contra quem *Princeps huius mundi non habet quicquam.* (Ioan. 14. 30.) Ego cui Pater promisit, *Ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* (Psalm. 109. 2.)

33 Hoc etiam testimonio vtitur Augustinus Conc. 2. in Psal. 101. contra Donatistas, vbi introducit Ecclesiam ita loquentem cum Christo: *Quid est, quod nescio*

qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perditi me perijsse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguit atem dierum meorum. Quamdiu ero in isto seculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & iam non est: apostatauit & peryt Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi.

Hic aduerte, quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos & Caluinistas, qui etiam dicunt, quod illi dicebant: *Ecclesia Catholica iam non est, sed fuit: apostatauit & peryt.* Contra quos similiter licebit exclamare: Quid est, quòd nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quòd perditi me periisse contendunt? Nonne tu Domine dixisti, Ecce ego tecum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi? Certè non dixisti, Ecce tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot secula te deseram, vsque ad tempora Lutheri & Caluini; sed diserte, *Omnibus diebus*, vsque ad finem mundi.

34 Denique, omnia argumenta, quibus olim Augustinus, & alij Patres contra Donatistas vsi sunt, valent etiam contra Lutheranos & Caluinistas. Et quidem potiori iure. Vt hoc melius intelligatur, prius explicandum est, quid olim Donatistæ docuerint de Ecclesia: Quid nunc Lutherani & Caluinistæ doceant. Donatistæ docuerunt, Ecclesiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe perijsse, propter crimen Cæciliani Episcopi; & solum remansisse in ea parte Africæ, quæ Donato adhærebat, vt testatur August. in lib. de hæresib. cap. 69.

35 Idem ferè docent Lutherani & Caluinistæ. Nam primo asserunt, Ecclesiam Catholicam, quæ primis quingentis annis, toto orbe fuerat diffusa, postea propter crimina Pontificis (quem Antichristum vocant) toto orbe periisse. Secundo, ita penitus periisse, vt nul-

quam, nec in Europa, nec in Asia, nec in Africa, salua & incolumis permanserit; sed vbique adultera & apostatica fuerit deprehensa. Tertio, postea nihilominus in ea parte Europæ, quæ Luthero adhærebat, reuixisse. In primo & tertio puncto, similes sunt Donatistis. In secundo, deteriores. Igitur quidquid Augustinus, & alij Patres contra Donatistas olim scripserunt, id vel pari, vel potiori ratione contra Lutheranos & Caluinistas scripsisse putandi sunt.

Corollarium huius conclusionis.

36 Cùm Ecclesia Christi, vt hactenus ostensum est, non possit deficere vel errare in fide, propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promisit; magna omnino debet esse eius authoritas in negotio fidei ac religionis. Hanc authoritatem sæpè commendat Augustinus, vt lib. contra epist. Manichęi, cap. 5. cùm ait: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas.* Et lib. de vtilitate credendi ad Honoratum, cap. 17. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitamus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Notent hoc aduersarij.

37 Porro, in hac Ecclesiæ authoritate fundatur communis hæc regula, quam Catholici perpetuo vrgent: Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit quod tota Ecclesia sentit. Vel, quod idem est: Vnusquisque tuto ac securè potest id amplecti aut respuere, quod tota Ecclesia amplectitur aut respuit. Hanc regulam vbique tenuit Augustinus, & ex ea definiuit hæc puncta.

1. Orandum esse pro mortuis, (lib. de cura pro mortuis cap. 1.)
2. Paruulos esse baptizandos. (Epist. 28. ad Hieronymum.)
3. Paruulis prodesse fidem eorum, à quibus ad Baptismũ offerũtur. (lib. 3. de libero arbitrio, ca. 23.)
4. Hæreticos non esse rebaptizandos. (lib. 1. contra Cresconium Grammaticum, cap. 33.)
5. Librum Matthæi Euangelistæ canonicum esse, non librum Manichæi, qui illi contrarius est. (lib. 28. contra Faustum, cap. 2.)
6. Hæreticis & schismaticis non esse præcisam spem salutis, si resipiscant. (Lib. inchoatæ expositionis Epistolæ ad Romanos post medium.)

38 Denique, vt semel dicam omnia in omnibus sequendum esse iudicium Ecclesiæ. Epist. 118. ad Ianuarium cap. 5. *Ad hæc*, inquit, *ita respondeo, si diuinæ scripturæ, præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus: vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

39 Hæc Augustinus. Et quamuis aliqua ex supradictis punctis, quæ ex ipso allata sunt, soleant probari ex traditione Apostolica, (vt cap. 4. §. 16. & sequentibus ostensum est) hoc tamen non obstat, quo minus possint etiam probari ex authoritate Ecclesiæ: præsertim cùm ex praxi, iudicio, & authoritate Ecclesiæ debeamus cognoscere, quænam sint Traditiones Apostolicæ, & quæ non sint.

40 Nos cũm Augustino eandem regulam amplectimur: & ex ea speciatim deducimus, eos non errare, qui defendunt Purgatorium, Sacrificium Missæ, Inuocationem Sanctorum, Exorcismum, & similia, quæ con-

sensu totius Ecclesiæ (antequam Lutherus & Caluinus nascerentur) recepta & approbata sunt. Aduersarij si hanc regulam respuunt, nihil certi habere possunt in rebus fidei ac religionis, vt in Epilogo huius capitis demonstrabo. Nunc videamus, quid ipsi obijciant contra ea, quæ hactenus dicta sunt.

Prima obiectio.

41 Primò sic obiiciunt. Synagoga Iudęorum sæpè defecit à fide: Ergo etiam Ecclesia potest deficere, cùm sit par ratio. Antecedens probatur, quia primò defecit tempore Mosis, quando Aaron cum toto populo adorauit vitulum. Exod. 32. 4. Secundò, tempore Heliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Helias, vt ipsemet conqueritur. 3. Reg. 9. 14. *Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Tertiò, tempore Isaiæ & Ieremiæ, quando omnes recesserunt à Deo. Isa. 1. 7. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autẽ me nõ cognouit.* Et Ier. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et 2. Paralip. 15. 3. *Transibunt multi dies in Israel, absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absq; lege.* quartò, tempore Christi, quando tota Synagoga cum omnibus ceremoniis suis exspirauit.

42 Respondeo. quicquid sit de antecedente, (de quo paulo post) neganda est consequentia. Non enim sequitur: Synagoga defecit: ergo Ecclesia deficiet. Primò, quia Ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit. Non enim de Synagoga, sed de Ecclesia dictum est, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Secundò, Ecclesia est libera; Synagoga fuit ancilla. Et illa designatur per Saram, quæ fuit vxor Abrahæ: hæc per Agar, quæ fuit ancilla. (Galat. 4. 24.) At Agar fuit dimissa & repudiata,

non item Sara: Ergo similiter Synagoga debuit repudiari, non item Ecclesia. Tertiò, Ecclesia est Catholica seu vniuersalis, non solum ratione loci, sed etiam ratione hominum saluandorum. Quotquot enim saluantur, in Ecclesia saluantur: Et extra illam nemo saluari potest. Igitur si deficeret tota Ecclesia, nullus omnino saluaretur At Synagoga non erat Catholica seu vniuersalis, quia extra illam poterant homines saluari, & Niniuitæ & alij. Tametsi ergo defeciſſet tota Synagoga, adhuc tamen potuiſſent homines saluari.

43 Hæc de consequentia. In probatione antecedentis multa assumuntur, quæ examinanda sunt. Primum est, Synagogam tempore Mosis, in adorando vitulo, à fide defeciſſe. Falsum est. Non defecit tota Synagoga, sed pars eius. Non enim defecit Moses, nec Leuitæ & Sacerdotes, vt patet ex illo Exodi 32. 25. *Videns ergo Moses populum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui.* Erant autem filij Leui viginti duo millia. vt habetur Num. 3. 39.

44 Alterum est, Synagogam tempore Heliæ, Isaiæ, & Ieremiæ, defeciſſe à fide. Hic opus est distinctione. Nam eo tempore, duo regna pertinebant ad Synagogam: alterum Iuda, quod constabat duabus; alterum Israel, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio, sub primo Rege Ieroboam, defecit à vera fide, & publicè cepit idola adorare. (3. Reg. 12. 18.) Et in eo statu permansit vsque ad captiuitatem, iuxta illud 4. Reg. 17. 22. *Ambulauerunt filij Israel in vniuersis peccatis Ieroboam, quæ fecerat, & non recesserunt ab eis, vsquequo Dominus auferret Israel à facie sua in Assyrios.* Nihilominus semper aliqui fuerunt in illo Regno, qui abstinerent ab idololatria, & verum Deum agnoscerent, etiam tempore Heliæ. Nam cùm ipse putaret se solum relictum esse, audiuit responsum à Deo, 3. Reg. 19. 18. *Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum,*

ipsorum genua non sunt incurvata ante Baal.

45 In Regno Iuda aliter res habuit. Nam aliqui Reges fuerunt boni & cultores veri Dei, vt Asa, Iosaphat, Azarias, Ioathan, Ezechias, & Iosias, sub quibus vera religio vel restaurata, vel conseruata est. Alij mali & idololatræ, vt Achaz, Manasses Amon. Alij denique, non quidem idololatræ, sed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse vsus sacrificiorum, secundum legem Mosaicam, vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt colligitur ex illis verbis 2. Machab. 1. 19. *Cùm in Persidem ducerentur Patres nostri, Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus.* Loquitur de igne cœlitus à Deo misso, quo vtebantur Sacerdotes in quotidianis sacrificiis. Leuit. 9. & 10. Igitur ignis ille fuit conseruatus in templo, vsque ad illud tempus, quo Iudæi in Persidem captiui adducebantur.

46 Tertium est, Synagogam tempore Christi defecisse. Hoc verum est. Non quod tunc defecerit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis ceremoniis & sacrificiis, & in eius locum successit Ecclesia Christi. At non sequitur, hanc similiter repudiandam. Imo contrarium sequitur. Primò, quia, vt ante dixi, Synagogam repræsentabat ancilla Abrahæ, quæ fuit repudiata: Ecclesiam verò, vxor Abrahæ, quæ non fuit repudiata. Secundò, Synagoga propterea fuit repudiata, quod neque perfecta esset, neque sufficiens ad salutem, iuxta illud Hebr. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et hoc sensu, ceremoniæ & Sacramenta Synagogæ vocantur ab Apostolo *infirma & egena elementa.* (Gal. 4. 9.) At Ecclesia Christi est perfecta, & sufficiens ad salutē, quia Sacramenta ipsius, quæ à Christo instituta sunt, habent vim iustificandi & tollendi peccata. Vnde Aug. in Psal. 73. *Sacramenta*, inquit, *nouæ*

Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem. Tertiò, Synagoga continebat vmbram futurorum. (Hebr. 10. 1.) Ecclesia continet lucem, qui est Christus. (Ioan. 1. 9.) At vmbra necessariò deficit, accedente luce. Debuit igitur cessare Synagoga cum sacrificiis Mosaicis, quando venit Ecclesia cum Christo. Quartò, Synagoga erat instituta pro seruis; Ecclesia pro filiis. At serui accipiunt temporalem mercedem à suis dominis, & sic dimittuntur: Filij autem succedunt in perpetuam hæreditatem. Quod insinuat Apost. ad Gal. 4. 30. *Eyce ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Secunda obiectio.

47 Secundo sic obiiciunt: Ecclesia deficiet à fide tempore Antichristi, vt prædixit Apost. 2. Thess. 2. 3. *Nisi venerit discessio primum*, (id est, defectio à fide) *& reuelatus fuerit homo peccati*, id est, Antichristus, &c. At iam pridem reuelatus est Antichristus, quem constat esse Pontificem Romanum: Ergo iam pridem Ecclesia defecit à fide. Respondeo. Minor apertè falsa est. Maior dupliciter potest intelligi. Primò, de defectione omniũ fidelium. Secundò, de defectione aliquorum. Priori modo falsa est, non solum ex nostra, sed etiam aduersariorum sententia. Nam ipsi dicunt Antichristum iam venisse, & tamen negant omnes fideles à fide defecisse, cùm & ipsi suo iudicio fideles sint. Posteriori modo vera est, quia aliqui fideles deficient à fide, tempore Antichristi. Quod tamen mirum non est. Nam à tempore Apostolorum, singulis ætatibus aliqui defecerunt, vt Nicolaitæ, Marcionistæ, Nouatiani, Ariani, Donatistæ, Pelagiani, Seueriani, Iconomachi, Cathari, Vvaldenses, Anabaptistæ, & plures alij.

48 An verò Apostolus, qui adducitur ad probationem Maioris, loquatur de defectione à fide, certum non est.

Multi

Multi putant illum loqui de defectione ab Imperio Romano, vt Diuus Hieronymus epist. 151. ad Algasiam, q. 11. *Nisi*, inquit, *venerit discessio primum, quod græcè dicitur Apostasia, vt omnes gentes, quæ Romano Imperio subiacent, recedant ab eo: Et nisi Rom. Imperium fuerit antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: qui ideo venturus est, vt Antichristum destruat.* Idem sentiunt Tertul. lib. de resur. carnis, cap. 24. & multi in comment. illius loci. Sed quidquid sit de sensu verborum Apostoli, certum est, non totam Ecclesiam, sed aliquos de Ecclesia defecturos à fide tempore Antichristi, quod non est contra nos.

Tertia obiectio.

49 Tertiò obiiciunt illud Daniel. 9. 27. *Deficiet hostia & sacrificium:* quod interpretantur de defectione Ecclesiæ. Respondeo. Exstant clarissima testimonia in contrarium, quæ hactenus citata sunt. Cur illis aduersarij fidem non habent? Cur vnum illud ex Daniele, quod obscurum est, his omnibus anteponunt? Nimirum in hac re imitantur Donatistas, qui vt ostenderent Ecclesiam in sola Africa remansisse, citabant illud Cant. 1. 6. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Vnde sic ratiocinabantur: Ecclesia cubat in meridie: sed Africa est in meridie: Ergo Ecclesia cubat in Africa. Extra Africam ergo non est. Quos refellit Augustinus in lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 16. hoc potissimùm argumento. Multa sunt clara Scripturæ testimonia, quæ docent Ecclesiam toto orbe diffusam esse: Ergo male faciunt Donatistæ, cùm ex vno obscuro testimonio conantur probare Ecclesiam esse in sola Africa.

50 Verba Augustini sunt hæc: *Scrutamini Scripturas canonicas, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam in sola Africa remansisse, &c. Aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Vide-*

tis enim nunc illud vnicum, quod proferre consueuistis, Vbi pascis, vbi cubas in meridie, *quemadmodum excussis omnibus eiusdem loci verbis, longè aliud indicat, quàm vos putatis. Et si hoc sonaret, quod vultis, Maximinianistæ vos in eo vincerent. Magis enim meridies prouincia, Byzantium, Tripolis, vbi illi sunt, quàm Numidia, vbi vos præpolletis. Ita ergo ipsi possunt germanius & distinctius gloriari de meridie, vt eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum, & catholicum teneatis. Aliquid ergo proferte, quod non contra nos verius interpretetur, sed quod interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete,* Terra tua orbis terrarum, &c. *Sicut non eget interprete,* Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, &c. *Sicut non eget interprete,* Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram, &c.

51 Simili modo refellendi sunt nostri aduersarij. Scrutentur scripturas canonicas, & eruant aliquid manifestum, quo demonstrent Ecclesiam à fide defeciſſe. Aliquid proferant quod non egeat interprete. Sicut non eget interprete, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Sicut non eget interprete, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Sicut non eget interprete, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sicut non eget interprete, *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Et quæ similia sunt. Nam illud quod proferunt ex Daniele, *Deficiet hostia & sacrificium,* nihil ipsis patrocinatur, nisi ipsi sint interpretes. Nam alij non interpretantur de defectione Ecclesiæ Christianæ, vt ipsi, sed de defectione Synagogæ Iudæorum. Ex eo autem quod Synagoga defecerit, non sequitur Ecclesiam quoque defeciſſe, aut defecturam esse: imò contrarium, vt suprà ostendi.

Quarta obiectio.

52 Quartò sic obiiciunt: Ecclesia comparatur Lunæ, vt patet ex Scriptura & Patribus. At Luna aliquando defi-

cit: ergo etiam Ecclesia aliquando deficit. Respondeo. Hic iterum apparet, eos, qui hoc obiiciunt, degeneres esse filios Ecclesiæ. Habent clara & aperta testimonia pro innocentia & integritate suæ matris, vt iam ostensum est. Cur sine causa quærunt occasionem calumniandi? Cur, quæ à Scriptura & Patribus optimo sensu dicta sunt, siniſtre interpretantur? Esto sane: Ecclesia sit similis Lunæ. Sed in quo illi similis est? An in eo, quod sicut Luna sæpe deficit, sic etiam Ecclesia sæpe deficiat? Hoc dicunt, qui oderunt ecclesiam. In quo ergo? In his potissimùm.

53 Primò, Sicut Luna in principio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena & perfecta sit: Ità ecclesia in principio sui ortus, exiguum terræ locum occupabat, ac postea ita creuit, vt tandem toto terrarum orbe diffunderetur. Sic Augustinus in Psal. 103. circa illum versiculum, *Fecit Lunam in tempora*; vbi ait: *Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo*, &c. *Quando obscura erat Ecclesia? quando nondum apparebat*, &c. *Modò quàm cœcus est, qui plena Luna errat?*

54 Secundò, Sicut Luna accipit lumen corporale à Sole, ita ecclesia accipit lumen fidei ac sanctitatis à Christo. Sic idem Augustinus in Psal. 10. *Luna*, inquit, *intelligitur Ecclesia, quòd suum lumen non habeat, sed ab vnigenito Dei Filio, qui multis locis in sanctis Scripturis allegoricè Sol appellatus est, illustratur.* Et Philo episcopus Carpathius in Cantica Canticorum: *Lunæ comparatur Ecclesia, propterea quod quidquid habet diuini luminis, id à iustitiæ Sole illo immobili atque diuino accipit.*

55 Tertiò, Sicut Luna mutationi obnoxia est, ita etiam ecclesia in hac vita. Nam aliquando fruitur pace, aliquando patitur persecutiones. Nunquam tamen deficit. Sic Ambrosius lib. 4. Hexæmeron, cap. 2. *Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.*

56 In his ergo consistit similitudo inter Lunam & Ecclesiam, non item in defectione. Nam Ecclesia nunquam deficit in fide: semper firma, stabilis ac immobilis est. Et ex hac parte, non Lunam, sed terram imitatur, iuxta illud Gregorij Magni in Psalm. 5. pœnitentialem: *Ecclesia dicta est terra, quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseuerat.*

57 Miror verò aduersarios, cur hanc vnam similitudinem allegent in præiudicium Ecclesiæ, cùm sint multæ aliæ, quæ in fauorem & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scripturis & Patribus, Ecclesia non solùm Luna per allegoriam vocata est, sed etiam Sol, Hortus conclusus, Fons signatus, Paradisus, Columba speciosa, Ciuitas Dei, Terra viuentium, Mulier amicta sole, Regina in vestitu deaurato. Quæ omnia honorificata sunt. Si essent boni Ecclesiæ filij, meritò hos titulos suę matri tribuerent, & ab omni calumniandi studio abstinerent. Nunc, quia secus faciunt, inter eos computari debent, de quibus scriptum est, Isaiæ 1. 2. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.*

V. CONCLVSIO.

Visibilis Christi Ecclesia, de qua hactenus dictum est, non est alia quàm Romana, seu Pontificia, toto orbe diffusa.

58 Hic notandum est, Ecclesiam Romanam dupliciter sumi posse. 1. Pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Romæ fuit, & nunc est. 2. Pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent. Et hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica seu vniuersalis, quia toto orbe diffusa. 2. Pontificia, quia Pontifici subiecta. 3. Romana, à nobiliori sui parte.

59 Igitur in hac conclusione loquimur de Romana Ecclesia posteriori modo sumpta: & asserimus eam esse veram Christi Ecclesiam, cuius proprietates hactenus ex-

plicatæ sunt. Quod sic ostendo. Visibilis Christi Ecclesia non potest deficere aut errare in fide, vt probatum est: ergo à tempore Apostolorum, ad nos vsque, semper mansit visibilis Christi Ecclesia sine vlla interruptione, aut errore: At nulla visibilis, præter Romanam seu Pontificiam, mansit sine vlla interruptione & errore: ergo sola Romana seu Pontificia est visibilis Christi Ecclesia. Minorem probo inductione, quia Iudaica abrogata & repudiata est per mortem Christi. Turcica seu Mahumetanica non semper fuit. Caluiniana & Lutherana, quam Reformatam vocant, noua est. Cepit enim cum ipsa reformatione (à qua nomen habet) quæ à Luthero & Caluino, vt ipsorum asseclæ dicunt, facta est. Sola Pontificia hucusque perseueraunt. Quid hic respondebunt aduersarij? An putant aliam, præter Pontificiam, visibiliter & sine errore semper exstitisse? Si putant, dicant, obsecro, quæ illa sit? quo nomine appelletur? quas mundi partes occupauerit, & adhuc occupet? quos Pastores & Episcopos habuerit, & adhuc habeat? Qui Reges & Imperatores illi adhæserint, & adhuc adhæreant? Qui hæretici ab illa damnati? quæ Academiæ confirmatæ? quæ templa & monasteria erecta? Hic non euadent, sat scio.

60 Non desunt tamen, qui oppressi hoc argumento, fingant Ecclesiam quandam in cunis iacentem & vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri. Aiunt enim Ecclesiam Christi aliquot sæculis tam fuisse corruptam ac vitiatam, vt nulli in ea fuerint veri fideles, nisi infantes baptizati. Et sine dubio, intelligunt Ecclesiam Romanam seu Pontificiam, quam putant superioribus sæculis penitus defecisse, nisi quod soli infantes legitime in ea baptizati, tanquam vera ipsius membra permanserint. Miserum perfugium, & ipsis aduersariis pernitiosum. Nam ipsi passim docent, duas esse notas Ecclesiæ, nempe sinceram prædicationem Euangelij, & legitimam

Sacramentorum administrationem, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debeat, & sine quibus consistere non possit, vt videre est in Confess. Augustana, art. 7. & in Apologia eiusdem, & in Caluino l. 4. Inst. c. 1 § 9. 10. & 11. At hę duę notę non conueniunt Ecclesię, in qua soli infantes baptizati sunt, quia soli infantes nec possint sincere prędicare Euangelium, nec legitime administrare Sacramenta: ergo Ecclesia, in qua soli infantes sunt, non est vera Christi Ecclesia.

61 Alij habét aliud refugiũ. Aiunt semper in Ecclesia fuisse vnum aut alterum cordatũ virum, qui Papæ contradixerit, cuiusmodi diuersis temporibus fuerunt Ioan. V Viclef, Ioan. Hus, Lutherus, Caluinus. Æque inepte. Nam primò, dicant mihi quis fuerit ille vnus, vel qui duo cordati viri, qui ante V Vicleffum per singula superiora sęcula Papæ contradixerint? Si nesciunt, quare temere affirmant? Si sciunt, edicant eorum nomina, locum habitationis, & cæteras circunstantias? Non potuerunt. Secundò, Ecclesia Christi non est deterioris conditionis, quàm fuerit Synagoga Iudæorũ, cùm Ecclesia sit domina, Synagoga ancilla. (ad Gal. 4 22.) At Synagoga nunquã fuit tam deserta, vt duo tantùm viri in ea reperirentur. Imò, tempore Helię, cùm putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta sunt. (Rom. 9. 4.) Cur ergo aduersarij fingunt Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, vt duo tantùm viri in ea reperti fuerint? Quod manifeste repugnat Scripturæ, quæ apud Isaiam testatur Ecclesiam Christi multò fœcundiorẽ & ampliorem fore, quàm fuerit Synagoga. (Isa. 54. 1.) Tertiò, Donatistæ plus tribuebant Ecclesiæ, quàm hi faciunt. Nam illi, tametsi dicerẽt Ecclesiam toto orbe periisse, & in sola Africa remansisse, non tamen ausi sunt asserere quod hi asserunt, remansisse aliquando in duobus tantum viris, qui Papæ contradixerint. Si ergo illi, qui melius sentiebant de Ecclesia, quàm hi nostri aduersarij sentiunt, nihilominus ab Augustino,

& aliis Patribus damnati sunt tanquam hæretici, quid de his nostris fieri oportere existimandum est?

Epilogus huius capitis.

62 Ex iis quæ hoc toto cap. dicta sunt, magnam consolationem & securitatem percipiunt Catholici in negotio fidei ac religionis: Aduersarii è contrario confusionem & diffidentiam. Nam Catholici, vt suprà dixi, cum Augustino sequuntur hanc certam ac fixam regulam: *Tota Ecclesia non potest errare in fide*, ex qua tria inferũt. Primò, Ecclesiam Romanam, quam aduersarij concedunt primis trecentis aut quadringentis annis fuisse veram Christi Ecclesiam, hactenus non errasse in fide. Secundò, tutos ac securos se esse in fide, quãdiu publice profitentur id, quod Ecclesia Rom. toto orbe diffusa publice profitetur. Tertiò, se in defensione Romanę Ecclesię similes esse probis filiis, qui matri suæ honorem deferunt, & subsidium præstant.

63 Aduersarij tenent contrariam hanc regulam: *Tota Ecclesia potest errare in fide.* ex qua sequitur totam ipsorum Ecclesiam errare posse, ideóque neminem apud eos securum ac tutum esse de sua fide. Vel enim sequuntur Ecclesiam suam, vel ab ea dissentiunt. Si illam sequuntur, nihil certi habent, si ipsa errare potest Si ab ea dissentiunt, magis perplexi sunt, quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum possunt.

64 Quod magis confirmo ex duobus principiis quæ ipsi statuunt. Vnũ est, Pontificiam Ecclesiam non subito, sed sensim defeciſſe à fide, ac tandem omni fide abiecta, adulteram factam esse. Alterum, defectionem illam initio fuisse latentem & occultam, adeo vt nec locus, nec tempus, nec aliæ circunstantiæ illius certò designari potuerint. Tandem tamen post aliquot sęcula à Luthero & Caluino publice fuisse notatam & deprehensam.

Ex vtroque sic concludo. Quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ: At Pontificia, vt aduersarij dicunt, sensim, latenter,

& occulte defecit à fide, nobis non aduertentibus: ergo etiam Reformata potest sensim, latenter & occulte deficere, ipsis non aduertentibus. Quid si ergo iam defecerit, & ipsi non aduerterint? Imò, quomodo possunt aduertere, si defectio latens & occulta est? Manent ergo incerti de sua fide & Ecclesia.

65 Hic plane constricti sunt. Nec video quid possint respondere. Nam quod aliqui dicunt, Ecclesiam non posse errare, vel deficere à fide, quandiu sequitur verbum Dei, frustrà est. Primò, quia argumentum, quod iam posui, repetam hoc modo: Quidquid contigit Ecclesiæ Pōtificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ: At Pontificia, vt ipsi volunt, sensim, latenter & occulte deseruit verbum Dei, nobis non aduertentibus: ergo etiam Reformata potest sensim, latenter & occulte deserere verbum Dei, ipsis non aduertentibus. Quid si ergo iam deseruerit, & ipsi non aduerterint? Nunquam elabentur ex hoc labyrintho. Semper manebunt dubii & incerti de sua fide, nisi nobiscum asserant totam Ecclesiam errare aut deficere non posse.

66 Deinde, vnde constabit aduersariis, an nostra, vel ipsorum Ecclesia sequatur verbum Dei, necne? Nos nostram defendimus: illi suam. Quis decidet hanc litem? Designent ipsi infallibilem Iudicem, qui sententiam ferat. Non possunt. Vel enim designabunt ipsum verbum Dei, vel Ecclesiam, vel singulos qui sunt in Ecclesia, vel aliquos ex illis. Ac primò, si designent verbum Dei, nos vicimus. Nam verbum Dei expresse asserit, Ecclesiam esse columnam veritatis, quam nullæ inferorum vires euersuræ sint. Idem nos asserimus. Si ergo, hoc Iudice, causa definienda est, victoria nostra est. Si autem designent Ecclesiam, contra se faciunt. Vel enim sententia Ecclesiæ infallibilis est, vel falli potest. Si infallibilis est, errant ipsi, qui dicunt errare posse. Si falli potest, iterum errant, quia cùm debeant assignare infallibilem Iu-

dicem, designant Ecclesiam, quam aiunt falli & errare posse. Denique si designent vel singulos, vel aliquos eorum, qui in Ecclesia sunt, magis desipiunt. Si enim tota Ecclesia errare potest, quanto magis singuli, qui in Ecclesia sunt, errare possunt?

67 Forte dicturi sunt duplicem esse Ecclesiam: vnam visibilem, in qua boni & mali permixti: alteram inuisibilem, in qua soli prædestinati sunt. Totam visibilem errare posse, non item inuisibilem. Sed hoc etiam frustrà. Imò qui hoc dicunt, secum ipsi pugnant. Nam omnes prædestinati, quos aiunt esse in Ecclesia inuisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili: ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiam prædestinati errare possunt: Aut, si hi non possunt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quod autem prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, ne aduersarij quidem negare possunt. Et ratio manifesta est, quia nullus saluatur extra Ecclesiam visibilem, vt concluſ. 4. ex illorum concessione probatum est: At omnes prædestinati saluantur: Ergo nullus prædestinatus est extra Ecclesiam visibilem.

68 Ex dictis colligo duplex dilemma in aduersarios. Vnū est: Vel tota Ecclesia visibilis errauit in fide ante ortum Lutheri, vel non errauit. Si tota errauit, omnes & singulos Christianos errasse necesse est, etiam prædestinatos. Nulla igitur tunc erat fides in terris. Vnde igitur Lutherus eam accepit? Si non errauit, cur aduersarij fingunt errasse? cur eam, vt errantem deserunt?

69 Alterū: Vel tota Ecclesia Reformata, in qua Lutherani & Caluinistę sunt, potest errare in fide, ipsis non aduertentibus, vel non potest. Si non potest, quomodo Pontificia potuit? Si potest, quid si iam erret, & ipsi non aduertant? Repeto quod suprà dixi, semper dubios & incertos fore, quamdiu sentiunt Ecclesiam errare posse. Deponant hunc errorem, & id sentiant de Matre Ecclesia, quod maiores nostri senserunt. Sic futurum est, vt amplius non errent.

CAPVT VI.

De motiuis, quæ inducunt hominem ad credendum.

1 MOtiua quæ inducunt hominem ad credendum, & prudenter suadent fidem Christianam ac Catholicam amplectendam esse, sunt fere huiusmodi. 1. Miracula, quæ fiunt in confirmationem fidei. 2. Consensus populorum & gentium. 3. Consonantia fidei nostræ cum lumine naturali. 4. Sanctitas eorum, qui viuunt iuxta doctrinam fidei. 5. Constantia Martyrum, qui pro fide suum sanguinem profuderunt. 6. Pœna eorum, qui oppugnant fidem Christianam. 7. Efficacia prædicationis Euangelij, cuius effectus est, mutatio vitæ in melius. 8. Veritas vaticiniorum veteris ac noui Testamenti. 9. Analogia, consensus, & conspiratio veteris ac noui Testamenti. Et alia plura, quæ fuse persequitur Valentia tomo 3. disp. quæst. 1. punct. 4. & Lessius in consultatione, *Quæ fides & religio sit capessenda.*

2 Hæc & similia motiua, quoad vsum & praxim, triplicia sunt. Nam quædam ex illis mouent Iudæos & Gentiles, vt fiant Christiani: quædam Catholicos, vt maneant in fide Catholica: quædam hæreticos, vt redeant ad fidem Catholicam. De motiuis primi generis scribit Lactantius, Iustinus Martyr, Tertullianus, Chrysostomus, & alii plures apud Valentiam loco citato.

3 De motiuis secundi generis scribit Augustinus lib. contra epist. Manichæi, quam fundamenti vocant, cap. 4. his verbis: *Multa sunt alia, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me iustissimè teneant. Tenet consentio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustatè firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm*

omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horum est quod me inuitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio.

4 Motiua tertii generis, quæ meritò suadere debeant Lutheranis & Caluinistis, vt redeant ad fidem & Ecclesiam Catholicam, quam deseruerunt, sic proponi possunt.

Primò, quòd Catholica Religio & nomine & doctrinâ sit antiquissima.

Secundò, quòd maiores nostri, qui ante Lutherum & Caluinum vixerunt, in ea nutriti & educati sint: quos damnare impium est.

Tertiò, quòd eandem sanctissimi viri, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Damascenus, Bernardus, & alii complures in suis scriptis palam professi sint.

Quartò, quòd in Catholica Ecclesia perseueret legitima & nunquam interrupta successio Sacerdotum & Episcoporum, à temporibus Apostolorum ad nos vsque.

Quintò, quòd in ea maneat virtus miraculorum, & quotidie fiant multa miracula Laureti in Italia, Sichemii & Halleti in Brabantia, Dettelbachii in Franconia, & alibi.

Sextò, quòd à Catholicis erecta & fundata sint Templa, Monasteria, Hospitalia, Academiæ: quæ omnia antiquæ & sinceræ pietatis monumenta sunt.

Septimò, quòd maiores nostri, qui ista ad Dei honorem fundarunt & erexerunt, omni bonorum temporalium affluentia ditati fuerint. [illegible] contrario, quòd Lutherani & Caluinistę qui illa deseruunt, vel in proprios

vsus conuertunt, prope ad inopiam, iusta Dei vltione, redigantur, eóq. minus possideant, quo rapaciores sunt.

Octauo, quòd Catholici, quamuis toto orbe longe latéque diffusi, seruent tamen constantem inter se vnitatem: Et cum Romano Pontifice, Christi Vicario, quem communem Pastorem agnoscunt, mirifice conspirent ac consentiant.

Nono, quòd apud Catholicos vigeant orationes, ieiunia, & alia pietatis opera, quæ in Euangelio commendantur.

Decimo, quòd ope ac studio Catholicorũ infiniti prope gentiles in India, China, Iaponia, & aliis locis, ad Christi fidem conuertantur: quod sine speciali Dei auxilio & fauore fieri non posse certum est.

5 Et hæc quidẽ motiua desumpta sunt ex parte Catholicorum. Nec pauciora ex parte Lutheranorũ & Caluinistarum desumi possunt. Sufficiant tamen hæc duo.

Primo, quòd doctrina fidei, quam ipsi profitentur, sit noua: & quod ante Lutherum & Caluinum nulli fuerint Christiani, qui per omnia docuerint, sicut Lutherus & Caluinus docent. Propria Lutheri dogmata sunt hæc tria. 1. Humanitatem Christi esse vbique. 2. Infantes habere propriam fidem actualem, dum baptizantur. 3. In Eucharistia manere substantiam panis & vini cum substantia Corporis & Sanguinis Christi. Quis vnquam ante Lutherum hæc tria simul professus est? Nullus, nullus. Similiter Caluini dogmata sunt hæc. 1. Deum esse authorem peccati. 2. Deum ab æterno prædestinasse certos homines ad damnationem, sine vlla ipsorum culpa. 3. Christum non esse mortuum pro omnibus. 4. Christi Corpus non esse præsens in Eucharistia. 5. Filios fidelium saluari sine baptismo. Hic etiam nemo produci potest ex tota antiquitate, qui ista simul docuerit, aut professus sit.

6 Secundo, quòd illorum doctrina non tantùm sit noua,

sed etiam impia, blasphema, & Christianæ sanctitati penitus contraria. Nam Lutherus & Caluinus (præter ea, quæ iam recensui, & partim vni, partim alteri propria sunt) docent alia tria in quibus conueniunt. 1. hominem non habere liberum arbitrium. 2. præcepta Decalogi esse impossibilia. 3. bona opera nullius esse meriti ac valoris apud Deum, sed solam fidem sufficere. Ad hæc doctrina repugnat sanctitati, & præbet occasionem libere peccandi. Nam qui sibi persuadet hanc doctrinam veram esse, sic apud se ratiocinabitur. Primò, si non habeo liberum arbitrium, nec in mea potestate est bene vel male agere (quod Lutherus & Caluinus docent) cur solicitus sim vt bene agam? aut perplexus ne peccem? Frustra est. Secundò, si præceptā Dei impossibilia sunt, inanis est de eorum obseruatione conatus & cogitatio. Quis enim, nisi fatuus sit, rem aliquam, quam impossibilem iudicat, aggredi velit? Tertiò, si bona opera nihil valent coram Deo, quid necesse est bene agere? Et si sola fides sufficit ad salutem, reliqua omnia superflua sunt.

7 Quis iam locus sanctitati sit, si hanc doctrinam amplectamur? Omnino nullus. quod ipsi quoque aduersarij de se fatentur. Audiamus ipsorum testimonia. Lutherus in Postilla domestica Ienæ impressa, concione 2. Dominicæ primæ Aduentus: *Mundus*, inquit, *ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cùm antea tantum vnico obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, quàm prius in Papatu fuerant.* Nimirum, is noui Euangelij fructus est.

8 Similiter Caluinus in cap. vndecimum Danielis, versu 34. *In exiguo illorum numero, qui se ab idololatriis Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis. Præclarum quidem zelum simulant: si tamen intus exuuias, reperies ple-*

nos esse fraudibus. Et in comment. 1. Petri 1. 2. *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quàm vt solutius in omnem lasciuiam diffluëret.* Hoc enim permittit Euangelium Caluini.

9 Et Andreas Musculus in lib. de nouissimo die: *Quòd si fateri veritatem volumus, tum hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis quàm nos, scortationibus, vsuris, circumuentionibus, fraudibúsque deditos, in toto iam mundo nusquam inueniri.* Hæc sufficiant hoc loco de Motiuis. Vide plura cap. 8. quæst. 8.

CAPVT VII.

De Iudice controuersiarum circa Articulos fidei.

1 ADuersarii fere docent, solam Scripturam esse normam & Iudicem omnium controuersiarum fidei ac religionis: Et ex ea sola, seclusis Traditionibus, & authoritate Ecclesiæ, controuersias omnes finiri ac decidi posse. Quod probant tripliciter.

2 Primò, quia Deus in veteri Testamento remittit Iudæos ad solam scripturam, tanquam ad Iudicem. Isaiæ 8. 20. *Ad legem & testimonium.* Idem facit Christus in nouo, Ioan. 5 39. *Scrutamini Scripturas.* Et hoc fecerunt Beroënses, de quibus scriptum est, Act. 17. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.*

3 Secundò, Deus mandat vt nihil addatur ad scripturam, Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Et Christus damnat omnes traditiones, & sola scriptura vult nos esse contentos, Matth. 15. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.*

4 Tertiò, Apostolus ait scripturam per se sufficere, 2. Timoth. 3. 6. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c.* Hoc argumentum, sicut & præcedens, solutum est cap. 2. de Traditionibus. De primo postea videbimus.

5 Catholici distinguunt inter Iudicem & Normam. Iu-

dicem vocant, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundum quam fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione, tria docent. 1. Ecclesiam esse Iudicem controuersiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, non esse solam scripturam, sed scripturam & traditionem simul. 3. Ecclesiam, iuxta hanc normam, dupliciter sententiam pronunciare posse: vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ: vel per Concilia à Pontifice approbata, quę repręsentant Ecclesiam. ET vtroque modo sententiam esse infallibilem.

6 Ad hanc sententiam confirmandam, & priorem refellendam, vtar sex argumentis, quibus dare demonstrabo solam scripturam controuersiarum Iudicem esse non posse. Primum sumetur ex officio Iudicis, quod scripturæ non competit. 2. ex parte ipsius scripturæ, in qua duo spectanda sunt, Litera, & sensus. Litera occidit, teste Apostolo. Sensus sæpe obscurus est, vt alio Iudice ac interprete opus sit. 3. ex parte controuersiarum, de quarum Iudice quæstio est. Nam aliquæ controuersiæ sunt, quæ ex scriptura dirimi non possunt, cùm nulla de iis in scriptura fiat mentio. 4. ex vsu & praxi veteris Testamenti, vbi non Scriptura, sed Pontifex pro Iudice agnoscebatur. 5. ex simili vsu & praxi noui Testamenti. 6. ex analogia Iudicis controuersiarum ciuilium & politicarum. Nam Iudex eiusmodi controuersiarum non est lex scripta, sed Princeps, aut Consistorium Principis.

7 Deinde examinabo testimonia Scripturæ in primo aduersariorum argumento, contra nos allata. (Reliqua cap. 2. examinata sunt.) Ex quorum discussione constabit, primum nihil ad rem facere: Alterum nobis potius quàm aduersariis patrocinari: Tertium non intelligi ab ipsis, sicut nec cætera.

Solam Scripturam non esse Iudicem.

PRIMVM ARGVMENTVM ex officio Iudicis.

8 PRimum argumentum, quod sumitur ab officio Iudicis, sic propono: Qui est Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, vt vterque litigantium intelligat quænam sit sententia Iudicis: Et alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latam esse: Alioqui, nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed vterque suam causam prosequetur: At Scriptura non potest hoc præstare: Ergo Scriptura non potest esse Iudex controuersiarum. Maior per se clara est. Minorem probo, quia Lutherani & Caluinistæ multis iam annis litigant de his punctis. 1. De Baptismo paruulorum. 2. De reali præsentia Christi in Eucharistia. 3. De prædestinatione. 4. De Persona Christi. 5. De Exorcismo. 6. De numero & canone librorum Scripturæ. ET tamen Scriptura, quam volunt esse Iudicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controuersias. Nec hactenus auditum est, ita pronunciasse sententiam, vt vel Lutherani, vel Caluinistæ falsi sint contra se pronunciatam esse. Hoc constat ex euentu. Nam vtrique pergunt in studio & ardore litigandi: quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam clare semel esse latam. Tunc enim vel vltro cessarent à suscepta contentione, & sententiæ acquiescerent: Vel certe si existimarent iniuste secũ actum esse, ad alium Iudicem prouocarent. Neutrum fit.

9 Vt magis appareat vis huius argumenti, duo consideranda sunt. Vnum, quod tam Lutherani, quàm Caluinistæ palam fateantur, se non alium Iudicem, quàm solam Scripturam agnoscere: ET hanc ipsam Scripturam esse clarã, perspicuam, & ad omnes controuersias sopiendas, per se sufficientem, nec vllam falsitatẽ subesse illi posse.

Alterum,

Alterum, quòd nihilominus vtrique nihil aliud faciant litigando apud hunc Iudicem, quàm vt quotidie crescant eorum lites, & ipsi erga se mutuo infestiores euadant. Ex quibus alterutrum sequi necesse est: Vel scripturam hactenus non pronunciasse claram, perspicuam, & sufficientem sententiam: Vel certè, si pronunciauit, Lutheranos & Caluinistas peruicaces esse, quàm claræ, perspicuæ, & sufficienti sententiæ non volunt acquiescere. Alterutrum ipsi eligant.

SECVNDVM ARGVMENTVM ex parte Scripturæ.

10 IN Scriptura duo spectanda sunt, Littera, & sensus: sicut in homine corpus & anima. De illis, vt aliqui interpretantur, locutus est Apostolus 2. Corinth. 3. 6. cùm ait: *Littera occidit, spiritus autem viuificat.* Quasi dicat: Si sequaris verum Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus & anima viuificans, proderit tibi ad salutem. Si autem neglecto vero & legitimo sensu, hæreas tantum in externa litera, & contendas illum esse sensum, quem externa litera præ se fert; sæpè errabis. Quam interpretationem sequitur Augustinus sermone 70. de Tempore. *Frequenter*, inquit, *admonui charitatem vestram, fratres dilectissimi, quæ diebus istis in Ecclesia recitantur, non hoc tantum attendere debeamus, quod ex littera sonare cognoscimus, sed remoto velamine litteræ, viuificantem spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus: Littera occidit, spiritus autem viuificat. Denique infelices Iudæi, & plus infelices hæretici, qui dum solum litteræ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine viuificante spiritu mortui remanserunt.* Similia habet lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 5.

11 Hoc posito, duo probanda sunt. Vnum est, quòd scriptura, si literam spectes, nõ possit esse iudex contro-

uerſiarum. Alterum, quod neque, ſi ſenſum ſpectes, poſſit eſſe Iudex. Priorem partem ſic probo. Ille non poteſt eſſe infallibilis Iudex controuerſiarum, qui ducit homines in errorem & hæreſim: At ſcriptura, ſi nudam illius litteram ſpectemus, facile ducit homines in errorem & hæreſim: (ſuppoſita ipſorum imbecillitate) Ergo non poteſt eſſe infallibilis Iudex cõtrouerſiarum. Maior per ſe nota eſt, quia propterea quærimus infallibilem Iudicem, ne erremus: Ergo qui ducit nos in errorem, non eſt infallibilis Iudex. Minor patet ex Apoſtolo, quia ſcriptura ſecundum litteram occidit, id eſt, in lapſum & errorem ducit.

12 Sic olim occidit Iudæos, qui omnia, quæ in Moſe & Prophetis prædicta erant de Chriſto, intelligebant ſecundum externam litteram, & ſenſum interius latentem non percipiebant. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus 2. Cor. 3. 15. *Vſque in hodiernum diem, cum legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*, id eſt, Adhuc Iudæi non intelligunt Moſen, quem quotidie legunt, quia non penetrant internum ipſius ſenſum, ſed externa littera contenti ſunt. Vel clarius: Non agnoſcunt Chriſtum, qui in Moſe, ſub externis ceremoniis ac ſacrificiis, tanquam ſub velamine occultatus eſt. Adhuc hærent in ipſo velamine, & non conſiderant, quid ſub illo lateat reconditum.

13 quod etiam obiicit illis Chriſtus, Ioan. 5. 39. *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, & vitam habeatis:* quaſi dicat. Si vultis certò cognoſcere, me eſſe Meſſiam à Deo promiſſum, de quo Moſes & Prophetæ ſcripſerunt, non tantùm debetis legere ſcripturas, quoad externam literam, ſed multo magis ſcrutari internum ſenſum & ſpiritum, qui ſub externa littera, quaſi ſub vmbra aut figura deliteſcit. Hoc hactenus non feciſtis. Tametſi enim

persuasum vobis sit, in scripturis sitam esse vitam æternam, tamen nescitis, in qua parte sita sit. Non est sita in externa littera, in externis ceremoniis & figuris, vt vos putatis; sed in spiritu, in sensu, in mysterio. Ibi me quærite, & inuenietis.

14 Nec solos Iudæos, sed etiam hæreticos littera occidit. Nam multi in suis erroribus propterea perierunt, quod relicto scripturæ sensu, quem sequitur Sancta & Catholica Ecclesia, alium sensum secundum externam litteram amplexi sunt. Quod aliquot exemplis obiter demonstrabo.

15 Sabelliani dicebant, non esse tres personas diuinas, sed vnam tantùm, quæ tamen haberet tria nomina propter diuersa officia seu operationes. Eandem enim personam vocari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, sed diuerso respectu. Patrem, quatenus est author omnium creaturarum; Filium, quatenus assumpsit humanam naturam ex Virgine: Spiritum Sanctum, quatenus sanctificat nos per suam gratiam. Ex eorum sententia sequebatur, Patrem esse mortuum & passum. Nam si vna tantùm est persona, quæ dicitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sanè si illa persona mortua & passa est, necesse est, Patrem mortuum & passum esse. Hinc (teste Augustino in libro de hæresib. capite quadragesimo primo,) Patripassiani appellati sunt. Vnde hic tantus error? Ex littera occidente? Nam secundum externam litteram intelligebant illud Ioan. 10. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* Ex quo inferebant, Patrem, & Filium (& consequenter Spiritum Sanctum) esse vnum, quoad personam: cum tamen secundum sensum Ecclesiæ sint vnum, quoad essentiam; & duo quoad personam.

16 Ariani dicebant, Christum non esse Deum, sed inferiorem Deo. Vnde hoc? quia relicto sensu Ecclesiæ, secundùm literam explicabant verba Christi, Ioan. 14.

28. *Pater maior me est*, id est, absolutè maior. At Ecclesiæ sensus est, Christum secundum humanitatem, esse minorem Deo Patre: secundum diuinitatem, æqualem. Et priori modo intelligendum esse illud, *Pater maior me est.* Posteriori illud, *Ego & Pater vnum sumus.* Et sic omnia optimè cohærere. Vide Athanasium orat. 2. contra Arianos, Hilarium lib. 5. & 11. de Trinitate, Augustinum lib. 3. contra Maximinum, cap. 24. & 25. & lib. de Trinitate, cap. 7.

17 Macedoniani negabant Spiritum Sanctum esse Deum. Ex quo principio? Ex litera occidente. Nam secundùm literam accipiebant illud Apostoli 1. Corinth. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Vnde sic concludebant: qui scrutatur, quærit: qui quærit, dubitat: qui dubitat, ignorat: qui ignorat, Deus non est: Ergo Spiritus Sanctus non est Deus. At Ecclesia locum illum sic interpretatur: *Spiritus omnia scrutatur*, id est, omnia penetrat & comprehendit. Quo sensu dicitur etiam Deus Pater omnia scrutari. 1. Paralip. 28. 9. *Omnium corda scrutatur Deus.* Et Psalm. 7. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Et Ierem. 17. 10. *Ego Dominus scrutans corda.* Vide Theodoretum, Theophylactum, D. Thomam, & alios in commentario illius loci.

18 Manichæi asserebant vetus Testamentum nouo contrarium esse. quare? quia rem totam æstimabant secundum externam literam; quam si spectes, alterum alteri videtur repugnare. Nam vetus dicit, Deum creasse omnia. (Gen. 1. 1.) Nouum dicit, Verbum creasse omnia (Ioann. 1. 3.) Rursum, vetus dicit, *hominem factum esse ad imaginem Dei.* (Gen. 1. 27.) Nouum dicit, hominem esse ex diabolo. (Ioann 8. 44.) Item, vetus dicit, Deum die septimo quieuisse ab omni opere. (Gen. 2. 2.) Nouum dicit, *Deum vsque modo operari.* (Ioan. 5. 17.) Contra hos agit D. Augustinus in libro contra Adimantum Manichæi discipulum, & ex sensu Catholicæ Ec-

cleſiæ, conciliat inter ſe loca, quæ ſecundum literam videntur ſibi aduerſari. Non enim repugnat, Deum feciſſe omnia; & tamen feciſſe per verbum, veluti per ſuam artem ſeu ideam. Nec repugnat, hominem factum eſſe ad imaginem Dei, quoad naturam: & tamen eſſe ex diabolo, quoad malitiam. Denique non repugnat, Deum quieuiſſe die ſeptimo ab opere creationis mundi; & tamen ſemper operari in gubernando & conſeruando mundo.

19 Pelagiani negabant peccatum originale, aſſerentes peccatum Adami nocuiſſe ipſi ſoli, non autem poſteris. Ex quo fundamento? Ex litera occidente; quia ſcriptum eſt, Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* At ſenſus illius loci, ſecundum mentem Eccleſiæ Catholicæ, eſt hic: Filius, qui non eſt particeps peccati patris, non portabit iniquitatem patris: ſi autem particeps eſt, portabit. (Vide Auguſtinum in lib. poſt collationem, cap. 7.) Nunc autem conſtat, poſteros fuiſſe participes peccati primi parentis, iuxta illud. Rom. 5. 12. *In quo omnes peccauerunt.* Sed quomodo peccarunt omnes in Adamo? Hoc alibi explicandum eſt. Hic obiter dico, omnes in eo peccaſſe, quia Deus iniit pactum cum Adamo, tanquam cum capite & communi radice, ſeu principio totius poſteritatis, vt ſi ipſe ſeruaret præceptum de non guſtando fructu prohibito, tam ipſe, quàm poſteri manerent in paradiſo: ſi non ſeruaret, tam ipſe, quàm poſteri eſſent rei, ac veluti tranſgreſſores ex paradiſo eiicerentur. quod & factum eſt.

20 Fuerunt etiam antiquiores hæretici, qui negabant carnis reſurrectionem, quia ſcriptum eſt, Ioann. 6. 63. *Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quicquam.* Ex quo loco ſecundum externam literam intellectu, ſic ergumentabantur: Quorſum caro, ſi nihil prodeſt, eſſet reſurrectura? Refert Tertullianus in lib. de Reſurre-

ctione carnis, cap. 37.) Ex eodem loco Caluinistæ faciunt hanc similem consequentiam: quorsum Christus daret nobis suam carnem in Sacramento Eucharistiæ, si nihil prodest? Vtrique decepti sunt ex littera occidente. Alioqui liceret etiam concludere hoc modo: Si caro non prodest quicquam, cur Christus eam assumpsit? cur verbum caro factum est? cur pro nobis cruci eam affixit? Certè non fecit hæc frustrà. Vide Maldonatum, in cap. 6. Ioannis.

21 Atque hæc sufficiant de priore parte Argumenti, in qua, tum authoritate Apostoli, tum variis exemplis demonstratum est, scripturam, si literam externam spectemus, non posse esse infallibilem Iudicem controuersiarum, quia litera occidit, & varios errores ac hæreses parit.

22 Altera pars est, Nec scripturam, si sensum spectemus, posse esse Iudicem. Quam sic probo. Scriptura, quoad verum & legitimum sensum, sepè est obscura & difficilis intellectu: Ac proinde, sæpè oritur controuersia de vero & legitimo ipsius sensu. Omnis autem controuersia requirit aliquem Iudicem. Debet ergo aliquis esse Iudex, qui definiat, hunc esse legitimum sensum, illum non esse. At hic Iudex non potest esse ipsa scriptura: de cuius mente & sententia, controuersia mouetur: Ergo aliquis alius distinctus à scriptura.

23 In hoc discursu sunt tria principia. Primum est, scripturam, quoad sensum, sæpè esse obscuram & difficilem intellectu. Hoc fusè probatum est c. 3. quæst. 7. Alterū, ex hac obscuritate necessario nasci multas controuersias. Hoc non indiget alia probatione, quàm quotidiana experientia. Constat enim, omnibus sæculis, à tempore Apostolorum, ad nos vsque, semper ortas fuisse àliquas controuersias de legitimo scripturæ sensu. Et vt taceam de iis, quæ tempore Arij, Macedonij, Donati, & aliorum veterum hereticorum excitatæ sunt;

certè nostro hoc tempore, prope infinitæ occurrunt, de quibus in progressu videbimus. Tertium est, Iudicem harum controuersiarum non posse esse scripturam. Quod probo duplici argumento.

24 Primum sumitur ex dictis, in hunc modum: Iudex debet clarè pronunciare sententiam, vt ab vtraque parte litigante intelligi possit; alioqui frustra illam pronunciaret: At scriptura, quando sensus ipsius obscurus est, non potest clarè pronunciare sententiam, vt ab vtraque parte litigante intelligi possit. Si enim in tali casu clarè pronunciaret sententiam, iam sensus ipsius non esset obscurus, sed clarus, quod est contra suppositionem. Ergo in tali casu non potest esse Iudex.

25 Dices, Tametsi sensus scripturæ in vno loco aliquando obscurus sit, tamen in alio potest esse clarus; ac proinde scriptura per illum locum, qui clarus est, potest ferre sententiam de alio, qui obscurus est. Respondeo. Hoc quidem obtendunt aduersarij: sed frustra. Nam primo, si ita est, cur ipsi per hanc viam non finiunt controuersias, quas inter se habent? Cur, inquam, Lutherani & Caluinistæ, cùm altercantur de aliquo scripturæ loco, qui obscurus est non recurrunt ad alium, qui clarus est? Aut si id faciunt, cur nullus altercandi apud illos est finis? Hic hærent.

26 Deinde aliud est, verba scripturæ esse clara: aliud, sensum scripturæ esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione Grammaticæ: claritas autem sensus, ex intentione & consilio Spiritus Sancti: Ergo in tali casu, verba scripturæ poterunt esse clara, non tamen sensus verborum, qui à Spiritu Sancto intenditur, erit clarus.

27 Hoc ostendam in exemplo. Verba Christi in Euangelio sunt hæc: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* quæ verba, si natiuam illorum significationem spectes, sunt clara & perspicua; & ab omnibus, non

modo Christianis, sed etiam Iudæis, Turcis, & Ethnicis intelligi possunt. At de sensu illorum, qui à Spiritu Sancto intentus est, infinitæ propè apud Christianos controuersiæ sunt.

28 Simile est de illis verbis apud Ioannem: *Maria Magdalena venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent.* Itemque de illis apud Marcum: *Venit ad monumentum orto iam sole.* Quid clarius & rotundius dici potuit? Et tamen, quia priora videntur pugnare cum posterioribus, meritò dubitari solet, quis germanus illorum sensus sit, & quomodo conciliari inter se possint ac debeant.

29 Addo, non raro etiam fieri vt idem locus scripturæ, quem vna pars litigantium putat clarum & perspicuum esse; ab altera censeatur esse obscurus ac intricatus. Quid in tali casu facto opus est? Aut quis Iudex adhibendus? Scriptura certè pro Iudice adhiberi non potest. Nam de illius sensu ac sententia controuersia est, cùm alij claram, alij obscuram esse contendant; Et ab aliis in hanc, ab aliis in aliam partem distrahatur. Quid ergo consilij? sine dubio, alius Iudex quærendus est. Verbi gratia.

30 Lis inter nos & Caluinistas est de vero ac locali descensu Christi ad inferos, quem illi negant: nos astruimus. Et vtimur duplici testimonio. Altero ex Symbolo fidei, *Descendit ad inferos.* Altero ex c. 2. Act. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Vtrumque dicimus clarum & perspicuum esse. Caluinistæ de vtroque negant; & obscurissima sua interpretatione, vtrumque faciunt obscurissimum. Ac prius quidem interpretantur hoc sensu: *Descendit ad inferos*, id est, pertulit in cruce diros cruciatus damnati ac perditi hominis, vt coactus fuerit, vrgente angustia, exclamare; *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* (ita Caluinus lib. 2. Institut. capite 16. §. 10. & 11. & Catechismus Heidelbergensis, qu. 44.) Posterius autem hoc sensu: *Non de-*

relinques animam meam in inferno, id est, Non derelinques cadauer meum in sepulchro. (Ita Beza in commentario illius loci.)

31 Quid hic agendum? Aut quem Iudicem compellabimus? Si scripturam consulimus, nihil aliud ipsa dicet, quàm quod antea dixit: Nullum iota, nullum apicem additura est. De eo autem, quod antea dixit, controuersia est: Ergo per id, quod antea dixit, controuersia finiri non potest. Si ergo post ortam controuersiam, scriptura nihil noui dicit, sed manet in antiquis terminis, certè per illam finiri lis non potest; sed necesse est vel alium Iudicem adire, vel alteram partem litigantem sponte cedere, vel denique vtramque in lite perseuerare.

32 Posterius argumentum. Multa sunt testimonia scripturæ, quorum verus ac legitimus sensus haberi non potest, nisi ex Traditione & authoritate Ecclesiæ (vt probatum est cap. 4. §. 22. & 23.) Ergo si oriatur controuersia circa eiusmodi testimonia, sola scriptura non potest esse iudex, sed oportebit confugere ad Traditionem & authoritatem Ecclesiæ. V. G. Christus dicit, Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Sensus verus & legitimus est, quòd in Baptismo pronunciari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* Et quòd Baptismus sine tali verborum pronunciatione non sit validus, in hoc consentiunt nobiscum aduersarij. At si aliquis negaret hunc esse sensum, & contenderet non opus esse pronunciare hæc verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* sed omnino sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem & intentionem baptizandi in nomine Sanctissimæ Trinitatis; quomodo illum confutaremus? An ex solis scripturæ verbis? Nihil minus. Nam illa verba, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non dicunt, vo-

calem Trinitatis inuocationem adhiberi oportere. Vnde ergo constat oportere? Ex praxi & Traditione Ecclesiæ. Si hanc respuis, non habebis vllum præsidium contra aduersarium, qui negaret vocalem prolationem necessariam esse.

33 Aliud exemplum Christus dicit, Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic locus, secundum verum & legitimum sensum, intelligitur de necessitate Baptismi aquæ; vt nobiscum fatentur Lutherani. At Caluinistæ hoc negant. Quomodo ergo refelli poterunt à Lutheranis? Non certè ex verbis citatis. Nam tametsi nominetur ibi aqua; non tamen additur expressè, quod debeat intelligi de vera aqua. Nam & alibi nominatur ignis, vt Lucæ 3. 16. *Ipse vos baptizabit in Spiritu & igni:* & tamen non intelligitur verus ignis. Vnde ergo constabit, in priori loco, veram aquam intelligi oportere? Aut vnde Lutherani contra Caluinistas id probabunt? Non aliunde, quàm ex praxi & Traditione Ecclesiæ.

34 Aliud. Christus in vltima cœna non solùm instituit Eucharistiam sed etiam lotionem pedum adhibuit. Et quidem in institutione Eucharistiæ dixit: *Comedite, Bibite.* In lotione autem pedum: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Hic aduersarij dicunt, priora verba continere præceptum; posteriora non item: Ac proinde fideles diuino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub vtraque specie; non tamen ad lotionem pedum. Nunc quæro, vnde hoc ipsis constet? aut quo prætextu existiment se teneri quidem ad sumptionem vtriusque speciei, sed tamen liberos esse à lotione pedum: Non possunt prætexere scripturæ verba. Nam illa contrarium potius præ se ferunt. Hæc enim, *Comedite, Bibite*, non plus videntur significare, quàm si Paterfamilias dicat suis hospitibus: Comedite, bibite, læti estote. At si Paterfamilias ita loqueretur, non censé-

retur illos velle sub præcepto obligare. Cùm ergo Christus eodem modo locutus sit, vnde constabit, eum voluisse nouo precepto obligare omnes fideles ad vtráque speciem? Hæc autem verba, *Vos debetis alter alterius lauare pedes*. videntur significare præceptum, non minus, quàm si Dominus dixisset seruis: *Tu debes mensam parare*: Vnde igitur sciuimus his verbis non obligari ad lauandos pedes cùm tamen hæc verba obligationem præ se ferant? Ex sola praxi & Traditione Ecclesiæ. Nam Ecclesia nunquam vsurpauit hanc lotionem, tanquam necessariam; quod tamen fecisset, si diuino præcepto putasset se ad illam obligari.

35 Omitto similia exempla, quæ passim occurrunt. Et ex dictis concludo in hunc modum: Scriptura potest dupliciter spectari. 1. Quoad externã literam. 2. Quoad internum sensum, qui à Spiritu Sancto intentus est. Neutro modo potest esse Iudex controuersiarum. Non priori, quia externa litera sæpè ducit nos in errorem. Nec posteriori, quia sensus scripturæ sæpè obscurus & ambiguus est, ita vt opus sit alio Iudice, qui definiat hunc esse legitimum & à Spiritu Sancto intentum; illum non esse. Atque hæc sufficiant de secundo argumento, quod ex parte scripturæ desumptum est.

TERTIVM ARGVMENTVM EX parte controuersiarum.

36 HOc Argumentum sic propono. Multæ sunt controuersiæ circa fidem & religionem, quarum vel nulla fit mentio in scriptura, vel certè non sufficiens ad hoc, vt scriptura de illis sententiam ferre possit: Ergo in iis dirimendis, alius Iudex quærendus est. Eiusmodi autem controuersiæ sunt hæ.

37 Prima, An libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, sint canonici & diuini, nec-

ne? Negant Lutherani & Caluinistæ. Nos affirmamus. At quis erit Iudex, qui litem hanc dirimat? Scriptura esse non potest. Nec Lutherani & Caluinistæ, quod bene notandum est, ad scripturam prouocant, sed ad canonem & Traditionem Iudæorum. Aiunt libros istos in canone Hebræorum, qui exstat apud Hieronymum, non reperiri; ideoque pro canonicis ac diuinis haberi non posse. Fatentur igitur, alium in hac causa Iudicem, quàm scripturam, esse oportere. Et quem illum? Traditionem Iudæorum. Mira res. Pluris Iudæos, quàm Christianos faciunt: Et cùm ipsi Christiani esse velint, Christi & Apostolorum Traditionibus infestissimi sunt, & Iudæorum Traditionem in pretio habent. Cur non dicunt cum Augustino lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. *Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Et cum Isidoro in libro præmiorum de libris veteris ac noui Testamenti; *Hebræi non recipiunt libros Tobiæ, Iudith, & Machabæorum; Ecclesia tamen eosdem inter canonicas scripturas enumerat.* Et ibidem: *Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis canonicis libris tenere noscuntur authoritatem.*

38 Secunda, quot sint Sacramenta nouæ legis? Aduersarij dicunt esse duo, Baptismum & Eucharistiam: Catholici, septem. quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit: ac proinde Iudex in hac controuersia esse non potest. Vnde ergo Catholici habent septenarium, si ex Scriptura non habent? Ex Traditione & consensu Ecclesiæ. Vnde aduersarij binarium? hoc ipsi viderint. Certè ex scriptura non habent. Aut si putant se habere, speciatim præstent hæc tria. Primo, ostendant ex scriptura nomen Sacramenti tribui Baptismo, & Eucharistiæ; non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Matrimonio, extremæ vnctioni. Secundo, ex eadem scriptura definiant Sacramentum. Tertio, demonstrent definitionem conuenire Baptismo & Eucha-

ristiæ, non autem reliquis. Hæc si præstiterint, salua res est. At nunquam præstabunt.

39 Ac primo, vbi inuenient locum scripturæ, in quo nomen Sacramenti tribuitur Baptismo & Eucharistiæ? Nusquam. At ego inueniam, vbi tribuitur Matrimonio. Sic enim scribit Apost. Eph. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Q. D. Quod homo relinquat parentes suos, & adhæreat vxori, hoc est magnum Sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, id est, repræsentat coniugium Christi & Ecclesiæ.

40 Secundo, vbi inuenient definitionem Sactamenti in scriptura? Lutherus quidem in libro de captiuitate Babylonica, capite vltimo sic definit: *Sacramentum est promissio signo externo annexa.* Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13. sic: *Sacramentum est ritus, qui habet mandatam Dei, & cui addita est promissio gratiæ*, id est, gratuitæ reconciliationis, seu remissionis peccatorum, vt ipse explicat in locis communibus. Tit. de numero Sacramentorum. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 1. sic: *Sacramentum est symbolum externum, quo benevolentiæ ergo nos suæ promissionem conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem.* At hæ definitiones non habentur in scriptura. Imò, nec inter se conueniunt. Nam Lutherus in sua definitione supponit, promissionem esse de essentia Sacramenti: Melanchthon, annexam esse Sacramento: Caluinus non esse annexam Sacramento, sed potius, Sacramentum annexum seu additum esse promissioni. Non enim esse promissionem de effectu diuinæ erga nos beneuolentiæ. Itaque secundum Melanchthonem, sic exprimenda esset promissio: Si quis Sacramentum Baptismi aut Eucharistiæ susceperit, promitto illi remissionem pec-

catorum. At ſecundum Caluinum, hoc modo: Promiſi vobis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam: & hanc ipſam promiſſionem declaro & obſigno per Sacramenta.

41 Tertio, quidquid ſit de definitionibus iam allatis, quas aduerſarij commenti ſunt; quomodo ex ſcriptura poterunt demonſtrare eas conuenire Baptiſmo & Euchariſtiæ? Non video. Experiamur tamen. Vna definitio eſt hæc: *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio remiſſionis peccatorum.* Probent aduerſarij ex ſcriptura, hanc definitionem conuenire Euchariſtiæ. Probent, inquam, ex ſcriptura, Euchariſtiam habere annexam promiſſionem remiſſionis peccatorum. Vel, quod idem eſt, Deum in ſcriptura promittere nobis remiſſionem peccatorum, ſi ad hoc Sacramentum accedamus. Nunquam poterunt. Non enim hoc Sacramentum à Deo inſtitutum eſt, vt homini remittat peccata, vel vt ex impio & peccatore faciat iuſtum & ſanctum, ſed vt iuſtitiam & ſanctitatem, quæ in illo eſt, foueat, conſeruet, & augeat. Imò tantùm abeſt, vt remittat peccata, vt etiam obſit peccatori, ſi cum conſcientia peccati accedat. Hinc Apoſtolus 1. Corinth. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Et Chriſtus in vltima cœna non voluit Apoſtolis porrigere Euchariſtiam, niſi præmiſſa pedum lotione. Nimirum, vt ſignificaret, neminem, niſi lotum, purum & immaculatum à culpa mortali, ad menſam Chriſti admittendum eſſe. Et ratio ſumitur ex ipſa natura huius Sacramenti. Quid enim aliud eſt Euchariſtia, quàm cibus & potus ſpiritualis, quo anima reficitur & vegetatur? (Ioan. 6. 55. *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, &c.*) Sicut ergo cibus & potus corporalis non prodeſt corpori mortuo, ſed vitam habenti; ſic etiam, ſeruata proportione, de Euchariſtia dicendum eſt.

42 Tertia controuersia, An exorcismus, & aliæ ceremoniæ in Ecclesia Catholica vsitatæ, possint adhiberi in Baptismo? Lutherani eas admittunt. Caluinistæ reiiciunt. Neutri tamen ex scriptura suam sententiam possunt confirmare. Non quidem Lutherani, quia scriptura nusquam dicit, eiusmodi ceremonias vsurpandas; sed ex sola Traditione Ecclesiæ id habemus. De qua scribit Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentiis, cap. 29. *Antiquissima*, inquit, *Ecclesiæ Traditione exorcisantur & exsufflantur paruuli, vt in regnum Christi à potestate tenebrarum transferantur.* Nec Caluinistæ; nisi fortè hoc modo: Nullæ ceremoniæ vsurpandæ sunt in Ecclesia, nisi de quibus exstat expressum mandatum in scriptura: At nullum exstat mandatum de ceremoniis, quas Catholici vsurpant in Baptismo: Ergo tales ceremoniæ non sunt vsurpandæ. Sed maior propositio, & falsa, & ipsis Caluinistis contraria est. Nam Caluinistæ vsurpant multas ceremonias in Baptismo, de quibus nullum exstat mandatum in scriptura. Cuiusmodi sunt hæ. 1. Vt infans in Ecclesia coram vniuerso populo baptizetur: idque vel die Dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire solitus est. 2. Vt illi, qui adferunt infantem ad Baptismum interrogentur, an respondeant, se infantem, cum adoleuerit, in fide & moribus instructuros. 3. Vt nomen imponatur infanti baptizando. 4. Vt formula Baptismi pronuncietur linguâ patriâ. 5. Vt recitetur Symbolum, Oratio Dominica, & aliæ preces. Has ceremonias præscribit Caluinus in libello de formula Sacramentorum ministrandorum. At vbi, obsecro, de his exstat mandatum in scriptura? Nusquam. Vel igitur condemnet has ceremonias, necesse est; vel fateatur non omnes damnandas esse, quę in scriptura mandatum non habent.

43 Quarta controuersia, An baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi? Affirmauit olim Cyprianus Episco-

pus Carthaginensis cum quibusdam aliis. Negabat Augustinus cum reliquis. Sed nec hi, nec illi poterant ex sola scriptura hanc litem decidere. Nam Augustinus, qui veriorem partem amplectebatur, non aliunde, quàm ex Apostolica Traditione, & praxi Ecclesię se tuebatur. Sic enim scribit lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, c. 7. *Quam consuetudinem* (scilicet, non repetendi Baptismum) *credo ex Apostolica Traditione venientem.* Et lib. 5. c. 23. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est.* Huic consuetudini cessit Cyprianus, quia videbat se omni præsidio scripturę destitutum esse.

44 Sunt & alię similes controuersię, quę ex sola scriptura decidi non possunt, sed alio Iudice opus habent. Eas obiter insinuabo. Sunt autem hę. 1. An Baptismus vna mersione, an trina conferri debeat? 2. An Christiani, loco Sabbati, debeãt colere diem Dominicum? 3. An B. Maria manserit Virgo post partũ? 4. An Petrus Apostolus fuerit Romanę Ecclesię Episcopus? 5. An Symbolum fidei sit verè canonicum & Apostolicum? 6. An in veteri Testamento fuerit aliquod externum remedium pro fœminis, contra peccatum originale?

QVARTVM ARGVMENTVM EX VSV & praxi veteris Testamenti, vbi non Scriptura, sed Pontifex pro Iudice agnoscebatur.

45 CErtum est, in veteri Testamento, omnes controuersias legales, quę erant maioris momenti, à summo Sacerdote seu Pontifice, tanquam à supremo in terris Iudice, non autem à scriptura, dirimi ac definiri debuisse, hoc testatur Iosephus lib. 2. contra Apionem, cùm ait: *Pontifex ante alios Sácerdotes Deo sacrificat, leges custodit, diiudicat controuersias, conuictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.*

46 Et

46 Et manifestè colligitur ex illo Deut. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legē eius, sequerisque sententiam eorum. Non declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.*

47 Circa hunc locum aliqua notanda sunt. Primum est, quòd variæ fuerint controuersiæ in populo Iudæorum. Hic quidem duæ speciatim recensentur: vna de sanguine, altera de lepra. Alibi tamen summatim insinuantur quatuor genera, vt 2. Paralip. 19. 10. *Vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus.* Nam aliquæ, vt ibi interpretatur Lyranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis ceremonialibus, ad diuinum cultum spectantibus: aliæ denique ex præceptis iudicialibus, quæ ad externam pacem & iustitiam conseruandam erant accommodata.

48 Alterum est, quòd in singulis ciuitatibus constituti fuerint inferiores Iudices, qui ex officio debebant huiusmodi controuersias dirimere, vt habetur Deut. 16. 18. *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paralip. 19. 5. *Constituit Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.*

49 Tertium est, quòd quando inferiores Iudices non poterant inter se conuenire, nec controuersias ad se

delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere; neceſſe fuerit confugere Hieroſolymam, ad ſuperiores Iudices, quibus, tanquam ſupremus Iudex præſidebat Pontifex: Et illius ſententiæ, ſub pœna mortis, oportebat acquieſcere. Hoc patet ex verbis paulo ante citatis: *Si difficile & ambiguum apud te*, (id eſt, in ciuitate tua, in qua habitas) *iudicium eſſe perſpexeris, &c.*

50 Hinc colligimus, duplex apud Iudæos fuiſſe Tribunal & Concilium: vnum maius; alterum minus. Inter ea fuit multiplex diſcrimen. Primo, quia maius tantum erat in Ieruſalem: minus, in ſingulis ciuitatibus. Secundo, in maiori diiudicabantur maiores controuerſiæ: in minori, faciliores. Tertio, in maiori præſidebat Pontifex: non item in minori. Quarto, à minori licebat appellare ad maius: non contrà, à maiori ad minus. Quinto, in maiori erant ſeptuaginta perſonæ, præter Pontificem: in minori viginti tres. Sexto maius vocabatur Sanedrin, vel Sinedrion, vel Concilium ſeniorum: minus non item. De maiori ſæpè fit mentio in Euangelio, vt Marci 14.55. & Lucæ 9.22. & Act. 4.5. Videantur interpretes.

51 Vtrumque Concilium habuit ſuam originem ſub Moſe: Et minus quidem inſtitutum eſt, ex conſilio Iethro; maius verò, ex mandato Dei. Occaſio minoris inſtituendi deſcribitur Exodi 18.13. his verbis: *Altero autem die ſedit Moſes, vt iudicaret populũ, qui aſſiſtebat Moſi à mane vſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus eius, ait: Quid eſt hoc, quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam? Cui reſpondit Moſes: Venit ad me populus, quærens ſententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei & leges. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt. Vltra vires tuas eſt negotiũ: ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea*

atque consilia, & erit Deus tecum: Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiã: & constitue ex his tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te: & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi, partito in alios onere. Quibus auditis, Moses fecit omnia, quæ ille suggesserat: Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.

52 De maioris Concilij institutione sic legimus, Nu. 11. 16. Et dixit Dominus ad Mosen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod seues populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam & loquar tibi: Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Et infra v. 24. Venit ergo Moses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.

53 Porro, eũ vtrumque Concilium, progressu temporis, pene collapsum esset, iterum restituũ & renouatum fuit à Iosaphat Rege Iuda, vt habetur 2. Paralip. 19. 4. his verbis: Habitauit ergo Iosaphat in Ierusalem: rursumque egressus est ad populum de Bersabee vsq; ad monte Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum suorum. Constituitque Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca: Et præcipiens Iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium sed Domini: Et quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Hæc

omnia intelliguntur de minori concilio. Iam sequitur de maiori: *In Ierusalem quoque constituit Sacerdotes & Leuitas, & Principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: Sic, agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus; ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Vbi vides, Pontificem fuisse Præsidem, seu caput Concilij seniorum.

54 Igitur, vt verbo repetam quæ dicta sunt, sub Mose in deserto res ita gesta est. Primo, solus Moses (qui erat Pontifex extraordinarius) iudicabat omnes omnino controuersias, quæ in populo oriebãtur. Deinde, vt hoc onere nonnihil subleuaretur, additi sunt illi Tribuni, Centuriones, Quinquagenarij & Decani, qui minores causas iudicarent, & grauiores ad illum remitterent. Denique, ad maius solatium, septuaginta seniores electi sunt, qui etiam in causis grauioribus illi assisterent. Post mortem Mosis, cùm iam filij Israel venissent in terram promissionis, duplex Tribunal ac Iudicium constitutum est: Vnum Hierosolymis, pro causis difficilioribus: alterum in singulis ciuitatibus, pro facilioribus. Hoc posterius respondebat Concilio Tribunorum ac Decanorum: illud prius Concilio septuaginta seniorum.

55 Hoc addi potest, aliter in deserto sub Mose, aliter in terra promissionis sub aliis Pontificibus, actum esse. Et quidem duplici discrimine: altero ex parte Pontificis, altero ex parte Concilij seniorum. Nam Pontifex post ingressum in terram promissionis, non dirimebat

controuersias, nisi ex lege scripta. At Moses, præsertim antequam lex integrè scripta esset, multas dirimebat ex viua Dei voce & oraculo. Cuiusmodi sunt illæ tres. Prima, quid faciendum esset cum iis, qui propter immunditiam legalem non poterãt cum aliis celebrare pascha? (Num. 9. 6.) Secunda, quâ pœnâ deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbati? (Num. 15. 32.) Tertia, an filiæ Salphaad possent habere hæreditatem inter cognatos patris sui? (Nu. 27. 1.) De his controuersiis nihil tunc erat scriptum in lege. Igitur Moses viua voce consuluit Deum, & accepto responso, voluntatem Dei executus est. Ac tunc primum hæc omnia in legem scriptam relata sunt.

56 Ex parte Concilij Seniorum, erat hoc discrimen. Septuaginta Seniores, qui à Mose electi sunt, acceperunt spiritum prophetiæ in ipsa electione. (Num. 11. 25.) De aliis, qui postea in illorum locum, per interualla temporis, subrogati sunt, non constat accepisse. Hoc tamen credibile est, singulari Dei assistentia vsos esse, quoties de rebus difficilioribus consultandum esset: Et maximè hanc assistentiam Pontifici, qui omnibus præsidebat, speciatim concessam fuisse, quando supremi iudicis officio, in ferenda sententia, fungebatur. De qua re dicam aliquid paulo post.

OBIECTIO.

57 DIces: Hæc omnia procedunt de controuersiis legalibus, in quibus Pontifex erat supremus Iudex, vt benè probatum est; non autem de controuersiis fidei, in quibus sola scriptura erat Iudex. Respondeo. Hoc sine fundamento dicitur. Nam omnes controuersiæ, siue essent de fide, siue aliis rebus, vocabantur legales, duplici de causa. Primo, quia oriebantur ex ipsa lege non satis benè intellecta. Secundo, quia per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deut. 17. 10.)

Omnes porro, sine vlla exceptione, pertinebant ad Pontificem, tanquam ad supremum Iudicem; etiam illæ, quæ erant de fide & religione. Hoc manifestè constat ex illis verbis paulo ante citatis: *Amarias, Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* At controuersiæ de fide & religione, maximè ad Deum pertinent: Ergo Pontifex in illis controuersiis præsidebat. Quid autem est, præsidere in controuersiis, nisi Iudicem agere? Item, ex verbis præcedentibus: *Vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus.* Omnes hæ quæstiones deferebantur ad Pontificem: Et præter has non erant vllæ aliæ: Ergo nulla erat exempta à iurisdictione Pontificis.

58 Et confirmatur exemplo. Nam inter controuersias fidei (de quibus maximè nũc agimus) erat vna precipua de Messia. At hæc ipsa, quando dubitatum fuit tempore Herodis, an Messias iam natus esset, deferebatur ad Cõcilium Sacerdotum, in quo Pontifex presidebat, vt patet ex Euangelio, Matth. 2. 3. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes Pãtifices Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet Dux, qui regat populũ meum Israel.* Vbi tria notanda sunt. Primo, quòd Rex Herodes, & totus Hebræorum populus dubitauerit de loco, in quo Messias esset nasciturus. Secundo, quòd hanc dubitationem non ausi fuerint ipsi per se discutere, sed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum. Tertio, quòd Sacerdotes, vt satisfacerent officio suo, dissoluerint hanc dubitationem ex scriptura, tanquam ex norma & regula, cui se conformabant.

59 Porro, quòd scriptura ipsa per se nec fuerit, nec potuerit esse iudex huiusmodi controuersiarum, facile

probari potest. Nam scriptura, quæ tunc exstabat, præsertim primis aliquot sæculis, non erat ferè alia, quàm lex Mosaica, seu volumen fœderis ac Deuteronomij. De hoc autem volumine tria sunt certa. Primo, primarium ipsius exemplar, quod autographum vocant, fuisse conscriptum à Mose, & à Sacerdotibus positum in arca fœderis Domini, ibique asseruatum, vt esset authenticum instrumentum, ex quo certò & legitimè constare possit, quænam esset Dei voluntas & dispositio. (Deuteron. 31. 24.) Secundo interpretationem illius in re dubia, commissam fuisse Sacerdotibus, ac potissimum summo Sacerdoti seu Pontifici. (Deut. 17. 8. & Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.) Tertio, hoc ipsum exemplar authenticum, semel tantum in septennio, quando erat annus remissionis, debuisse à Sacerdotibus prælegi vniuerso populo, in solennitate Tabernaculorum. (Deut. 31. 10.)

60 Hinc sequitur primo, populum non habuisse primarium & authenticum exemplar legis Mosaicæ, sed solos Sacerdotes. Si ergo, extra solennitatem Tabernaculorum, quocunque alio tempore septennij, orta fuisset aliqua controuersia legalis, populus non potuisset consulere authenticum exemplar, quod non habebat; sed debuisset adire Sacerdotem, & ab eo, tanquam ordinario iudice, petere sententiam definitiuam. Secundo sequitur, etiamsi populus habuisset exemplar, non tamen potuisse ex eo controuersiam vllam dirimere. Non enim populi, sed Sacerdotis, & maximè Pontificis erat, legem Mosaicam, ex qua nascebantur controuersiæ, interpretari.

61 Sed quæres, Quare interpretatio legis & consequenter decisio controuersiarum legalium, pertinuerit potius ad Pontificem, quàm ad alios? Ratio dubitandi est, quia poterat fieri, vt non minus alij essent periti in lege, quàm Pontifex; imo etiam magis. Respondeo.

Si spectemus industriam humanam, certum est, non minus alios, quàm Pontificem, potuisse legem intelligere & interpretari. Si autem spectemus assistentiam Spiritus Sancti, quæ sanè potissimum in hoc negotio spectanda est, ea Pontifici potius, quàm aliis fuit communicata. Exemplum habemus in Mose. Nam Deus concessit illi maiorem assistentiam, quàm septuaginta senioribus, qui illi in hoc officio subseruiebant. Hoc colligitur ex illo, Num. 11. 17. *Dixit Dominus ad Mosen: Auferam de spiritu tuo, tradamque eis vt sustentent tecum onus populi.* Vbi per spiritum intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiritur in iis, qui rectè volunt alios gubernare, & eorum controuersias dirimere. Est ergo hic sensus: Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, id est, dabo illis donum gratiæ, sed infra illud donum, quod tu habes. Tibi, qui supremus Iudex es, plus dari oportuit, quàm illis, qui tibi subiecti sunt.

QVINTVM ARGVMENTVM EX VSV & praxi noui Testamenti.

62 Sicut in veteri Testamento, vt iam ostendi, non scriptura, sed Pontifex & Concilium Seniorum, fuit Iudex controuersiarum; Sic etiam in nouo hactenus seruatum est. Hoc ostendam breui inductione. Ac primo, tempore Apostolorum fuit orta controuersia de circumcisione: An scilicet noui Christiani, qui tunc fidem Euangelij recipiebant, non possent saluari, nisi etiam circunciderentur, & legalia seruarent? Quæ controuersia potissimum intelligebatur de gentilibus ad fidem conuersis. Erat autem duplex de hac re sententia. Vna quorundam, qui ex Iudæis facti erant Christiani, qui dicebant gentiles per fidem Christi non posse saluari, nisi circunciderentur, & ceremonias legis Mosaïcæ obseruarent. Altera Pauli & Barnabæ, qui

asserebant, non opus esse circumcisione, & obseruatione legalium. Act. 15. 1.

63 At quomodo decisa & finita est hæc controuersia? An ad solam scripturam tanquam ad communem iudicem delata est? Nihil minus. Sed potius ex consensu vtriusque partis delecti sunt aliqui, qui Hierosolymam irent ad Apostolos, vt ipsi in solenni Concilio de tota re cognoscerent, & definitiuam sententiam pronunciarent. Quod & factum est. Nam ex vna parte designati sunt Paulus & Barnabas; ex altera, alij: qui simul Hierosolymam profecti, Apostolos & Seniores adierunt. Hi coacto concilio, & inuocato Spiritu Sancto, responderunt his verbis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Quæ verba per modum Epistolæ, missa sunt ad gentiles Christianos, de quibus agebatur: Et sensus est: Non volumus vobis imponere onus circumcisionis & legalium, quod graue est: sed abstinete ab iis, quæ iam dicta sunt, quod graue non est.

64 Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda sunt. Primum est, quod hæc controuersia de circumcisione & legalibus, sufficienter potuisset determinari per Paulum & Barnabam, qui & ambo erant Apostoli, & Prophetæ, & Doctores. (Act. 13. 1.) Ambo à Spiritu Sancto speciatim delecti, vt Euangelium gentibus prædicarent. (Act. 13. 2.) Et iam reipsa illud prædicauerant in multis locis ac prouinciis. (Act. 14. 26.) Neuter tamen voluit hoc officium vsurpare, vt suo exemplo docerent huiusmodi controuersias, quæ fidem ac religionem concernunt, ad ordinarios Ecclesiæ Prælatos, vel ad Concilia Prælatorum deferri oportere.

65 Alterum est, quòd in Concilio Apostolorum, in quo controuersia illa proposita & definita est, nullum scripturæ testimonium quod directè ad circumcisionem

pertineret, allatum sit; cum tamen in vtramque partem non defutura fuissent testimonia, si ex illis solis opportuisset litem finire ac terminare. Nam pro circumcisione adduci potuisset illud Gen. 17. 10. *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos*, &c. *Tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* At si pactum est æternum, vt hic dicitur, semper seruari necesse est, etiam in lege Euangelica. Nec solum à Iudæis, sed etiam ab aliis, qui non sunt de stirpe Iudæorum. Contrà verò, occurrebat illud Deut. 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui.* Vbi insinuatur, circumcisionem carnis non duraturam in nouo Testamento, sed ei succesſuram circumcisionem cordis. Sicut etiam Ierem. 4. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum.* q. d. Non requiro circumcisionem carnis, sed cordis, quæ consistit in interna contritione & dolore de peccatis. Hæc & similia vtrimque adduci poterant ex scriptura. At factum non est: sed Apostoli in concilio congregati, ex directione & assistentia diuina, quam Christus promiserat illis, & eorum succesſoribus, sententiam protulerunt.

66 Post tempora Apostolorum, aliæ atque aliæ controuersiæ, diuersis locis & ætatibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice Romano, vel à Conciliis ab eo approbatis, decisas ac diremptas esse, notum est ex historijs Ecclesiasticis. Et qui illorum sententiæ noluerunt acquiescere, pro hæreticis habiti & damnati sunt. Producam exempla aliquot illustriora, quæ primum occurrunt.

67 Prima cõtrouersia fuit, An Pascha deberet celebrari cum Iudæis die decima quarta primi mensis, vt vole-

bant multi in Asia, qui propterea Quartadecimani appellati sunt: an verò tamen die Dominica sicut nunc fit. Hæc tandem post multa concilia Episcoporum decisa ac finita est à Victore Papa, an. Christi 198. Vide Euseb. lib. 5. Hist. Ecclesiast. c. 23. & sequentib.

68 Secunda, An Ecclesia possit illos absoluere à peccatis, qui post Baptismum lapsi essent? Negauit Nouatianus. Sed damnatus est in Concilio Romano, sub Cornelio Papa, anno Christi 255. Vide Baron. circa eundem annum.

69 Tertia, An in Deo sint tres personæ realiter distinctæ? Negauit Sabellius, asserens vnam tantùm esse personam, quæ habet tria officia, creationis, redemptionis, & sanctificationis. Sed damnatus est in Concilio Alexandrino, tempore Syluestri Papæ, anno Christi 319. iuxta Baronium.

Quarta, An Christus sit purus homo, sicut cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura & hypostasi, quàm nos habemus? Affirmauit Paulus Samosatenus Sed damnatus est in Synodo Antiochena, tempore Dionysij Papæ, anno 266. iuxta Baronium. Vide Eusebium lib. 7. c. 27.

70 Quinta, An Christus sit verbum Patris æternum, & eiusdem cum Patre substantiæ? Negauit Arius, asserens esse Verbum verbi, non ab æterno, sed in tempore à Deo ex nihilo creatum, & alterius à Deo substantiæ: ac proinde Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cùm non esset Pater. Sed damnatus est in generali Concilio Nicæno I. Sub Syluestro Papa, & Constantino Imperatore, anno 325. Vide duas Epistolas Alexandri Episcopi Alexandrini, quarum vna exstat apud Socratem lib. 1. cap. 3. Altera apud Theodoretum lib. 1, cap. 4.

71 Sexta, An in Christo sint duæ personæ, sicut sunt duæ naturæ, diuina & humana? Affirmauit Nestorius

Episcopus Constantinopolitanus. Sed damnatus est in generali Concilio Ephesino, sub Cælestino Papa & Theodosio Imperatore, anno 434 & prius à Cyrillo in Concilio Alexandrino, anno 431. Vide Baronium.

72 Septima, an in Christo sint duæ naturæ? Eutyches & Dioscorus dixerunt, ante vnionem hypostaticam fuisse duas naturas, diuinam & humanam: post vnionem, duas in vnam coaluisse, & vnam factam esse. Sed damnati sunt in generali Concilio Calcedonensi, sub Leone Papa, & Marciano Imperatore, anno 454. Vide Gabrielem Vasquez, tomo 1. in 3. partem D. Thomæ, disp. 14.

73 Octaua, An in Christo sit vna tantum voluntas? Macharius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, & quidem alij, tametsi agnoscerent in Christo duas naturas, dixerunt tamen vnam tantùm esse voluntatem, nempe diuinam, vt refert D. Thomas in 3. part q. 18. art. 1. Ideóque Monothelitæ appellati sunt. Eorum sententia damnata est in generali Concilio Constantinopolitano 3. sub Agathone Papa, & Constantino 4. Imperatore, anno 679. iuxta Baronium. An autem nomine voluntatis intellexerint potentiam, an operationem, videri potest apud Gabrielem Vasquez, tomo citato, disputatione 73. cap. 1.

74 Nona, An Spiritus S. sit Deus? Negarunt Macedoniani, de quib. August. in lib. de hæresib. c. 52. sic scribit: *Macedoniani sunt à Macedonio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo, quos & Πνευματομάχους Græci dicunt, eo quòd de Spiritu Sancto litigent. Nam de Patre & Filio rectè sentiunt, quod vnius sint eiusdémque substantiæ vel essentiæ: Sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes.* Hi damnati sunt in generali Concilio Constantinopolitano 1. sub Damaso Papa, & Theodosio Imperatore, anno 383.

76 Decima, An Baptismus repeti seu reiterari possit? Quæ controuersia dupliciter potest intelligi. Primo, an Baptismus, si semel validè collatus sit, repeti possit? Affirmauit Marcion, teste Epiphanio, hæresi 42. paulo post principium, vbi de Marcione sic scribit: *Cum corrupisset in ciuitate sua virginem, & aufugisset, atque in magno delicto inuentus esset, excogitauit præstigiator sibi ipsi secundum lauacrum, asserens licere vsque ad tria lauacra, hoc est tres Baptismos dare in remissionem peccatorum: quo si quis lapsus esset post primum, pœnitentia acta, accipiat secundum; & tertium similiter, si in delicto post secundum comperiatur.* Secundò, An Baptismus, qui ab Hæreticis collatus est, repeti possit? Affirmarunt Donatistæ, qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant, teste Augustino in libro de hæresib. cap. 69. eo quod Catholicos haberent pro hæreticis, & Baptismum ab hæreticis collatum putarent esse inualidum, vt explicat Vasquez disp. 146. cap. 2. Hi damnati sunt in Concilio Romano sub Melchiade Papa, anno 313. apud Baronium.

77 Vndecima, An homo sine gratia Dei, per solas naturæ vires possit implere legem, si velit? Affirmarunt Pelagius & Cœlestius. Sed damnati sunt in Concilio Carthaginensi & Mileuitano, sub Innocentio primo, anno 416. iuxta computum Baronij.

78 Duodecima, An paruuli nascantur in peccato originali, & ad illud peccatum abolendum indigebant Baptismo? Negarunt iidem authores, Pelagius & Cœlestius, teste August. in lib. de hæresib. cap. 88. vbi de illis sic habet: *Paruulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Sic enim eos sine vllo peccati originalis vinculo asserunt nasci, vt prorsus non sit, quod eis oporteat secunda natiuitate dimitti: sed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati, admittantur ad regnum Dei, de bono in melius trãslati, non ut à renouatione ab aliquo malo obligationis*

veteris abſoluti. Hic error damnatus eſt in Concilio Mileuitano, cap. 2. & poſtea à Zoſimo Papa, vt teſtatur idem Auguſtinus in libro de peccato originali, cap. 6. & ſequentibus.

79 In his, & ſimilibus controuerſiis, quas breuitatis cauſa omitto, tria conſideranda ſunt. Primò, quòd altera pars litigantium clarè & perſpicuè damnata ſit. Secundò, quòd hæc condemnatio facta ſit ab Eccleſia Catholica, tanquam à Iudice: quæ aliquando tulit ſententiam per Pontificem, qui eſt Caput ſeu Paſtor Eccleſiæ: aliquando per Concilia, quæ repræſentant Eccleſiam. Tertiò, quòd Lutherani & Caluiniſtæ agnoſcant hanc damnationem legitimè factam eſſe. Fatentur enim Nouatianum, Sabellium, Samoſatenum, Arium, Neſtorium, Eutychen, & Dioſcorum, Monothelitas, Macedonianos, Donatiſtas, Pelagianos, meritò damnatos eſſe, & pro hæreticis haberi oportere. Nec aliunde, quàm ex Eccleſiæ Catholicę deciſione. quòd ſi ſola ſcriptura eſſet Iudex, & Eccleſia ſuam ſentẽtiam non interpoſuiſſet, in hodiernum vſque diem durarent iſtæ controuerſiæ, nec adhuc clarè & palam omnibus conſtaret ſupradictos authores pro hæreticis habendos eſſe? Nunc cùm ab Eccleſia damnati ſint, res certa & indubitata eſt.

80 Dices, quid ſi Eccleſia erraſſet in ferenda ſententia? Reſpondeo, Hoc tantumdem eſt, ac ſi dicas? Quid ſi Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ mentiti eſſent? Nam illi teſtati ſunt, Eccleſiam errare aut deficere non poſſe. Eſt enim, vt loquitur Chriſtus, fundata ſuper petram; & *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* (Matt. 16. 18.) *Eſt columna & firmamentum veritatis* (1. Timoth. 3. 15.) *Nunquam confundetur, neque erubeſcet.* (Iſaiæ 54. 4.) *Ipſis eſt propugnaculum eius.* (ibid. v. 12.) *Et omnis lingua reſiſtens illi in iudicio, condemnabitur.* (Ibidem, v. 17.) De hac re dixi, cap. 5.

SEXTVM ARGVMENTVM ex Analogia Iudicis controuersiarum ciuilium.

81 HOc argumentum, quod rem maximè illustrabit, proponi potest hoc modo: Inter res Fidei ac Religionis ex vna parte, & inter res ciuiles ac politicas ex altera, potest spectari multiplex Analogia. 1. Sicut in politicis ac ciuilibus sæpè oriuntur lites ac controuersiæ, quæ requirunt aliquem Iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam fit in Fide ac Religione. 2. Sicut in controuersiis ciuilibus distinguuntur hæc tria, Iudex, lex scripta, & consuetudo: Sic etiam in controuersiis fidei, hæc tria, Iudex, Scriptura vtriusque Testamenti, & Traditio. 3. Sicut Princeps vel Magistratus secularis fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum ciuilium: Sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum fidei. 4. Sicut lex scripta est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex secularis in dicendis controuersiis ciuilibus: Sic etiam scriptura vtriusque Testamenti, est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in dicendis controuersiis fidei. 5. Sicut sola lex scripta non est sufficiens & integra norma omnium controuersiarum ciuilium, sed lex scripta & consuetudo simul: Sic etiam sola scriptura vtriusque Testamenti non est sufficiens & integra norma omnium controuersiarum fidei, sed Scriptura & Traditio simul.

82. Hæc clara sunt. Nihilominus, ne quis dubitet, singula breuiter explicabo. Ac primò, quòd Princeps vel Magistratus secularis fungatur officio Iudicis in controuersiis ciuilibus, non eget longa probatione. Hoc enim testatur quotidiana experientia in omnibus regnis

ac prouinciis. Nam vbique contentiones & cáusæ ciuiles deferuntur ad Principem vel Magistratum secularem, quem partes litigantes agnoscunt pro legitimo suo Iudice. quod etiam ex vtroque iure, tam ciuili, quam canonico, notissimum est. Nam in vtroque exstant Tituli, *De officio Iudicis ordinarij & delegati*. Nec vllus in hac re tam peregrinus & stupidus est, vt per iudicem ordinarium aut delegatum intelligat legem scriptam: cùm constet illum esse ordinarium, qui ordinariam habet iurisdictionem & potestatem: illum verò delegatum, qui accepta ab ordinario potestate vicem illius gerit.

83 Deinde, quòd lex scripta non possit esse Iudex, facilè probari potest. Et quidem in his tribus casibus. Primò, quando ipsa obscura aut ambigua est. Tunc enim opus est alio Iudice seu interprete, qui mentem illius explicet. Secundò, quando vna lex videtur alteri repugnare quod frequentissimè contingit. Tunc etiam Iudex adhibendus est, qui eas inter se conciliet. Tertiò, quando verba legis, quæ generalia sunt, restringenda essent in aliquo casu, & tamen restricta non sunt. Quod tunc fit quando occurrit aliquis casus particularis, quem Legislator, cùm legem conderet, non præuidit euenturum. Et si præuidisset, non voluisset illum sub lege sua comprehendere. In tali igitur casu, contra verba legis iudicandum est. Et quis erit tunc iudex? Non lex ipsa. Nam illa seipsam non destruit, aut iudicat. Alius ergo distinctus à lege.

84 Postremò, quòd sola lex scripta non possit esse sufficiens norma pro decisione quarumcunque rerum controuersiarum ciuilium, sed præter legem scriptam, admittenda sit etiam consuetudo, certissimum est apud Iureconsultos. Ac potissimum in duplici casu. Primò, quando mouetur aliqua controuersia, de qua nulla exstat lex scripta. Tunc enim consuetudo, si adsit, vim legis obtinet iuxta illud: *Ea, quæ longa consuetudine comprobata*

probata sunt, ac per annos plurimos obseruata, velut tacita ciuium conuentio, non minus, quàm ea, quæ scripta sunt iura, seruantur. (L. 35. ff. de Legib.) Secundò, quando exstat quidem lex scripta, sed ambigitur de mente ac sensu illius; nec aliunde, quàm ex consuetudine & traditione de ea constare potest. Tunc enim locum habet illud: *optima legum interpres est consuetu* 37. ibidem.) Itémque illud: *Imperator noster Seuerus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum, authoritatem, vim legis obtinere debere.* (L. 38. ibidem.)

85 Dices; Quid si occurrat aliqua controuersia, quæ nec ex lege scripta, nec ex consuetudine definiri possit, quæ tunc erit norma, quam Iudex sequi debet? Respondeo. Tunc ex naturali æquitate debet rem componere. Hoc tunc potissimum fit, quando occurrit aliquis casus, qui comprehenditur quidem sub verbis legis, non tamen sub mente Legislatoris, vt suprà dictum est. Tunc enim Iudex ex æquo & bono debet sententiam pronunciare. Idem fieri potest in controuersiis Fidei aut Religionis. Nam si occurreret aliqua controuersia, quæ neque apertè ex scriptura, neque ex traditione decidi possit, recurrendum esset ad auxilium Spiritus Sancti; qui tametsi in omni casu implorantibus adesse solet, in hoc tamen speciatim doceret nos omnem veritatem, vt Christus promisit. Et hoc remedio vsi sunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, vbi agebatur de circumcisione & obseruatione legalium. (suprà §. 65.)

86 Atque hæc sunt argumenta, quibus hactenus probatum est, Iudicem controuersiarum fidei non posse esse scripturam, sed Ecclesiam. Nunc supereſt, vt testimonia scripturæ, quæ initio proposita sunt in primo argumento aduersariorum, expendamus. Vnde constabit aduersarios, qui perpetuò de scriptura argumentari; & nihil minus, quàm scripturæ sensum & intelligentiam assequi.

Examinantur testimonia Scripturæ contra nos allata.

I. TESTIMONIVM.

Isaiæ 8. 20. *Ad legem magis, & ad testimonium.*

87 HInc colligunt aduersarij, Iudæos in veteri Testamento, quando oriebatur aliqua controuersia, missos fuisse *ad legem & testimonium*, id est, ad Scripturam, tanquam ad Iudicem. Sed valdè errant. Primò, quia iam ostensum est, Iudicem controuersiarum in veteri Testamento non fuisse Scripturam, sed Pontificem. Secundò, quia illa verba, *Ad legem & testimonium*, multo aliter accipienda sunt, quàm putant aduersarij, vt patet ex præcedentibus, quæ sic habent: *Cùm dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui stridٍent in incantationibus suis: Nunquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Vbi disertè agitur contra illos, qui de futuris euentibus solent consulere Pythonissas & ariolos. Et remittuntur partim ad legem, quæ id prohibebat (Deut. 18. 9.) *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui Pythones consulat aut diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.* Partim ad testimonium Prophetarum, qui à Deo constituti erant, vt futura prædicerent. (3. Reg. 22. 7.) *Dixit autem Iosaphat: Non est hic Propheta Domini quispam, vt interrogemus per eum?*

88 Igitur sensus illorum verborum, *Ad legem magis & ad testimonium*, est hic: Si vultis fieri certiores de futuris euentibus, non debetis consulere Pythonissas, sicut fecit Saul, (1. Reg. 28. 7.) Quia hoc Deus per legem suam fieri prohibuit, ad quam vos remitto: Sed consulite Prophetas Domini, quorum officium est de futuris prænunciare. Quid hoc facit ad Iudicem controuersia-

rum? Nihil penitus. Nisi aduersarij velint hoc modo ratiocinari: De futuris euentibus non licet consulere Pythonissas: Ergo sola scriptura est Iudex controuersiarum. Ineptissimè. Et tamen quod mireris, præcipui illorum Rabini sic ineptiunt. De quibus benè præmonuit nos Christus: *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum.*

II. TESTIMONIVM.

Ioan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.*

89 ECce, inquiunt aduersarij, Christus remittit nos ad scripturam tanquam ad Iudicem cõtrouersiarum. Hoc certè non dicerent, si intelligerent mentem Christi. Christus in illo capite disputat cum Iudæis, qui negabant ipsum esse Filium Dei. Ipse autem probat se esse, quatuor testimoniis.

Primò, testimonio Ioannis Baptistæ. *Vos*, inquit, *misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.* Erat autem hoc ipsius testimonium: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et iterum: *Ego testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* (Ioan. 1. 34.)

Secundò, testimonio miraculorum, quæ patrabat. *Ego*, inquit, *habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*

Tertiò, testimonio Dei Patris. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Nempe cum dixit de cœlo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.* (Matth. 3. 17. & Lucæ 9. 35.)

Quartò, testimonio scripturarum veteris Testamenti. *Scrutamini*, ait, *scripturas, quas vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & nõ vultis venire ad me vt vitã habeatis.* Q. D. Si non vultis recipere tria priora testimonia, quæ tamen efficaciſſima sunt (alioqui illa non produxiſſem)

saltem non potestis reiicere testimonium scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ipsæ, si attentè scrutemini, perhibent testimonium de me, quòd sim Messias à Deo promissus. Quare ergo non creditis?

90 Hinc concludo, aduersarios ex hoc loco seipsos potius, quàm nos oppugnare. Nam ipsi contendunt, solam scripturam esse Iudicem controuersiarum: Et Christum ad solam scripturam nos remittere. At contrarium verum est.

Nam Christus in controuersia quam habebat cum Iudæis, An ipse esset Filius Dei, non remisit illos ad solam scripturam, sed primo ad testimonium Ioannis Baptistæ: Deinde ad testimonium miraculorum, quæ ostendebant ipsum esse Deum: postea ad testimonium Dei Patris, qui voce de cœlo delapsa idem confirmabat; Denique, vt omnia experiretur, ad testimonium scripturarum.

91 Nos Catholici in hac re Christum imitamur. Nam in controuersiis, quas habemus cum aduersariis, non solum vtimur testimonio scripturæ, sed etiam Sanctorum Patrum, & Matris Ecclesiæ, & miraculorum, quæ sæpè fiunt pro cõfirmatione nostræ fidei. Aduersarij autem, quasi Christo prudentiores essent, nihil volunt audire, nisi ex solis scripturis. In quo similes sunt Iudæis, contra quos Christus agit. Nam Iudæi, repudiato quocunque alio testimonio, solam scripturam admittebant: Et hanc ipsam neque tunc intelligebãt, neque adhuc intelligunt, vt testatur Apostolus, 2. Corinth. 3. 14. cùm ait: *obscurati sunt sensus eorum*. Et infrà: *Vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum*. Idem aduersariis nostris, qui in hac causa nepotes illorum sunt, accommodari potest.

III. TESTIMONIVM.

Actor. 17. 11. *Quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.*

92 HIc iterum clamant aduersarij, Beroënses non temerè credidisse, quæ ab Apostolis dicebantur, sed omnia examinasse iuxta normam scripturæ. Æquum igitur esse, vt nos illorum exemplum imitemur, & solam scripturam pro norma ac Iudice agnoscamus. Sed frustra. quod facile constabit, si constet de re ipsa, de qua tunc agebatur. Ea fuit huiusmodi. Paulus Apostolus, vt expressè habetur in eodem capite, primum quidem Thessalonicæ, deinde apud Beroënses, *disserebat ex scripturis, adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: Et quia hic est Iesus Christus, quem ego annuncio vobis.* Quid verò Beroënses? Sequitur ibidem: *Susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.*

93 Igitur hic est sensus illius loci: Beroënses, cùm audirent Paulum citare quædam testimonia scripturæ veteris Testamenti, quibus astruebat Christi mortem & resurrectionem, scrutabantur, an iis ipsis testimoniis consentanea essent quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo, quasi dubitarent de morte & resurrectione Christi, quippe quæ satis confirmata erat ab Apostolo per virtutem miraculorum (1. Thess. 1. 5.) sed vt magis in fide confirmarentur, si viderent ea, quæ Paulus prædicabat, multò ante per Prophetas fuisse præuisa & præsignificata.

94 Ex hoc sensu, quid obsecro concludent aduersarij? Nihil ad rem, de qua agitur. Nisi fortè sic velint concludere: Beroënses scrutabantur testimonia scripturæ à Paulo citata: Ergo sola scriptura est Iudex controuersiarum. Quod perinde est, ac si dicas: Lutherani

scrutantur testimonia Augustini à Bellarmino citata: Ergo solus Augustinus est Iudex controuersiarum. Vel sic; Rustici scrutantur testimonia Lutheri à prædicante citata: Ergo solus Lutherus est Iudex controuersiarum. Vel sic: Kemnitius in examine Concilij Tridentini scrutatur traditiones à Catholicis allegatas: Ergo sola traditio est Iudex controuersiarum. Vel denique sic: Discipuli scrutantur testimonia Ciceronis à præceptore citata: Ergo solus Cicero est author latinitatis. Apage cum istis consequentiis. Et tamen apud aduersarios, quia meliores non habentur, in pretio sunt.

OBIECTIO POPVLARIS contra ea quæ hactenus dicta sunt.

95 PLerique simpliciores contra ea, quæ diximus, sic obiiciunt: Iudex controuersiarum in rebus fidei debet esse infallibilis, qui errare non possit; quia si ipse erraret, reliqui etiam errarent, qui illius sententiam sequerentur. Iam vero constat, ex vna parte, scripturam esse infallibilem, cùm sit verbum Dei, qui errare non potest: Et ex altera, homines non esse infallibiles, sed mendaces & errori obnoxios, iuxta illud Rom. 3 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ergo scriptura potest esse infallibilis Iudex; homines, cùm sint mendaces, non possunt. At Pontifex est homo; & Ecclesia nihil aliud quàm collectio hominum: Ergo Pontifex & Ecclesia sunt mendaces, & errare possunt. Nemo igitur tutus ac securus in negotio fidei, qui illorum sententiam sequitur.

96 Hæc obiectio, si quid roboris ac momenti habet, non minus valet contra aduersarios, quàm contra nos. Nam si omnis homo mendax est, & errare potest, necessario sequitur Mosen, Prophetas, Apostolos, Euan-

gelistas, Lutherum quoque vel Caluinum, itémque omnes Prædicantes Lutheranos & Caluinianos mendaces esse & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur credendum illis aut fidendum esse; sed omnia, quæ ab illis dicuntur, suspecta & incerta haberi oportere. Vbi ergo fides? Nec refert, si dicant se non hominis, sed Dei verbum annunciare. Nam si mendaces sunt, etiam in hoc puncto mentiri possunt. Nihil ergo certi est.

97 Sed absit, vt nos ita loquamur aut sentiamus. Longè aliter res habet. Ac primò quidem fatemur, scripturam certam ac infallibilem esse, quia verbum Dei est: Sed addimus, cùm sæpè obscura sit, non facilè vnicuique constare posse de legitimo illius sensu. Itaque alio Iudice opus esse, qui infallibiliter decernat, quis legitimus scripturæ sensus sit. Hic autem Iudex non potest esse quilibet homo priuatus: quia alioqui tot essent diuersi Iudices, quot diuersa capita & sententiæ: Et sic nulla controuersia componi posset. quisque enim diceret se benè sentire, reliquos malè. Necesse igitur est, vt sit aliquis publicus Iudex, qui cum authoritate decernendi & definiendi, inter partes litigantes potestatem habeat.

98 Deinde asserimus, homines dupliciter spectari posse. Primò, quatenus sunt filij Adam, & obnoxij variis naturæ corruptionib. Sic sine dubio proni sunt ad mendacium & falsitatem. (Gen. 8. 21. & Psal. 38. 6.) Secundò, quatenus à Spiritu Sancto diriguntur & gubernantur ad aliorum instructionem. Sic infallibiles & sine mendacio sunt. Talis in veteri Testamento fuit Moyses cum Senatu seniorum. (Num. 11. 17.) Tales alij Pontifices, qui deinde secuti sunt. (Deut. 17. 9., & Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.) Tales Prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij (Ierem. 1. 7.) Tales in nouo Testamento Apostoli, quib. dictum est, Ioan. 15. 16. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* Et c. 16. 13. *Cum autem*

venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. At vbi omnis veritas, ibi nullum mendacium.

99 Talis deniq; semper fuit, & nunc etiam est Ecclesia, quæ propter perpetuam Spiritus Sancti assistentiam & directionem, nunquam errauit hactenus, nec deinceps errare poterit. Est enim ædificata supra firmam petram, *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* (Matt. 16. 18.) *Est columna & firmamentum veritatis.* (1. Tim. 3. 15.) *Nunquam confundetur, neque erubescet.* (Isaiæ 54. 4.) *Ipse est propugnaculum eius* (ibidem v. 12.) *Et omnem linguam resistentem illi iudicio iudicabit.* (ibidem v. 17.) Est igitur infallibilis Iudex, quem quærimus.

100 Sed, An omnes & singuli, qui in Ecclesia sunt, habent hanc assistentiam & directionem Spiritus Sancti, vt in fide errare non possint? Facilis responsio. Singuli quidem habent, sed dependenter ab ipsa Ecclesia. quamdiu ergo manent coniuncti cum Ecclesia, errare non possunt, si dissentiunt ab Ecclesia, iam errant. Quod duplici similitudine declarari potest. Vna sumitur ex proportione humani corporis. Nam si quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in re spiritus vitales & sensitiuos, quibus vita conseruatur; respondendum est, singula quidem habere, sed dependenter à capite & corde. Nam à capite & corde, tanquam à duplici principio, deriuantur huiusmodi spiritus in reliqua membra. Vnde si intercipiantur aut occludantur meatus illi seu canales, per quos fit illa spirituum deriuatio & distributio, necesse est reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non posse. Sin pateant, & aperti sint, res salua est. Sic etiam in Ecclesia. Singuli fideles, qui sunt quasi membra Ecclesiæ, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiæ; & à Conciliis, quæ sunt quasi cor Ecclesiæ. quamdiu ergo singuli manent colli-

gari cum doctrina Pontificis & Conciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spiritus Sancti, nec in fide errare possunt. Sin per discordiam & pertinaciam discedant à capite & corde, iam occludunt sibi omnes meatus, vt assistentia & directio diuina ad eos demum non possit. Et hic à veritate abducuntur, & erroribus obnoxij sunt. Quod contigit Ario, Nestorio, Macedonio, Pelagio, & sexcentis aliis. Ne idem nobis contingat, audiamus consilium Apostoli, qui vbique hortatur nos ad conformem & vnitatem doctrinæ, vt Rom. 16.17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Et 1. Corinth. 1.10. *Obsecro autem fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Ephes. 4.3. *Seruare unitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Et Hebr. 13.9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

101 Altera similitudo sumi potest à grege omnium qui optimè repræsentat Ecclesiam, auctante Christo (Ioan. 10.) Nam sicut totus grex in vno stabulo vel loco collectus, habet perpetuam assistentiam Pastoris, qui furca & canibus defendit illum à ferocia luporum; sic etiam tota fidelium Ecclesia, in vna fide & spiritu collecta, habet perpetuam assistentiam diuini illius Pastoris, qui dixit, *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas.* (Ioan. 10.14.) Et iterum; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28.20.) Item, sicut singulæ oviculæ, quamdiu manent communicatæ cum grege sub custodia Pastoris, immunes ac tutæ sunt à morsu luporum; sic etiam singuli Christiani, quamdiu manent communicati cum Ecclesia, id est, cum doctrina & consensu Ecclesiæ, immunes ac tuti sunt à periculo errorum & infidelitatis. Denique sicut oviculæ, quæ ab-

errant à grege, destituuntur protectione Pastoris; ac proinde luporum insidiis expositæ sunt; Sic Christiani, qui discedunt à communi sensu & doctrina Ecclesiæ, destituuntur assistentia Spiritus Sancti, ideoque erroribus expositos esse necesse est.

CAPVT VIII.

De interno actu Fidei, qui est credere seu assentiri.

QVæritur. 1. An actus fidei internus consistat in assensu. 2. An hic assensus sit realiter compositus. 3. An generetur per discursum. 4. An sit supernaturalis. 5. An requirat præuium actum voluntatis supernaturalem. 6. An hic actus voluntatis requirat præuium iudicium intellectus supernaturale. 7. An actus fidei ita sit honestus, vt ex nulla mala circunstantia vitiari possit. 8. Quomodo resoluatur actus fidei.

I. QVÆSTIO.

An actus Fidei consistat in assensu?

1 LVtherani putant, actum fidei iustificantis pertinere ad voluntatem, & nihil aliud esse, quàm fiduciam de misericordia Dei, propter Christum. Contra quos disputat Bellarminus lib. 1. de iustificatione c. 4. & sequentibus. Catholici docent pertinere ad intellectum, & nihil aliud esse, quàm credere seu assentiri iis, quæ à Deo reuelata sunt. Et hoc sensu explicant illud Augustini lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. *Credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare.* De quo vide D. Thomam quæst. 2 art. 1.

2 Prima Conclusio. Actus fidei pertinet ad intellectum, & distinguitur à fiducia. Prior pars patet ex illo Hebr. 13. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Et 1. Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Posterior sequitur ex priori, quia si fides est in intellectu, necessario

distinguitur à fiducia seu spe, quæ est in voluntate. Et confirmatur ex illo 1. Corinth: 13. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Vbi fides distinguitur à spe & charitate. Item ex illo, Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Vbi actus fidei iustificantis dicitur esse, credere. At credere, non est idem, quod confidere seu sperare, quia multa credimus, quæ non speramus. Credimus enim, Christum esse filium Dei, quod tamen non speramus. Nam spes propriè est futurorum.

3 Dices 1. Fides tribuitur cordi, iuxta illud Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* At cor in scriptura sumitur pro voluntate: Ergo fides est in voluntate. Respondeo. Cor in Scriptura accipitur pro tota anima: Et quia tam intellectus, quàm voluntas sunt facultates animæ, ideo fit, vt aliquando sumatur pro intellectu, aliquando pro voluntate. V. G. Pro intellectu sumitur, Matth. 9. 4. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Pro voluntate vero, Matth. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

4 Dices 2. Fides opponitur diffidentiæ, iuxta illud Rom. 4. 20. *Non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide.* At diffidentia pertinet ad voluntatem: Ergo & fides. Respondeo. Diffidentia non accipitur ibi propriè, prout opponitur fiduciæ; sed sumitur pro incredulitate, quæ opponitur fidei. Nam græcè est ἀπιστία. Vnde Syrus vertit: *Nec de promissione Dei dubitauit, tanquam expers fidei.*

5 Dices 3. Fides in Scriptura accipitur pro fiducia, vt Iacobi 1. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Vbi fides opponitur diffidentiæ, seu hæsitationi. Respondeo. Aliqui concedunt nomen fidei accipi ibi pro fiducia, quod non est contra nos. Accipitur enim variis modis, vt c. 1. dictum est. Alij putant accipi pro fide Theologica, de qua hic agimus, quatenus habet adiunctam

ſpem ſeu fiduciam; vt hic ſit ſenſus: *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*, id eſt, firmiter ſperans ſe acceptrum quod poſtulat. Sicut etiam aliquando accipitur pro fide Theologica, quatenus habet annexam charitatem, vt Gal. 5. 6. *Fides, quæ per charitatem operatur.*

6 Secunda Concluſio. Actus fidei conſiſtit in aſſenſu, quo quis aſſentitur alicui propoſitioni à Deo reuelatæ, propter authoritatem Dei reuelantis. Hic actus habet duas proprietates. 1. Certitudinẽ & infallibilitatem, quæ oritur ex infinita Dei reuelantis ſapientia & bonitate, qui nec falli, nec fallere poteſt. 2. Obſcuritatem, quæ oritur ex ipſa reuelatione, quæ nobis non eſt euidens, ſed obſcura, iuxta ea, quæ cap. 1. quæſt. 3. dicta ſunt.

7 Tertia Concl. In actu fidei eſt triplex reſpectus circa Deum. Primus circa Deum, tanquã obiectum formale, propter quod credimus. Secundus circa Deum, tanquam obiectum materiale, quod credimus. Tertius circa Deum, tanquam finem vltimũ, in quem ordinatur actus credendi. Hinc dici ſolet, nos credere Deo, Deum, & in Deum. Deo quidem, vt authori narranti ſeu reuelanti. Deum verò, vt rem reuelatam. In Deum, tanquam in finem, in quem refertur actus fidei. Ita D. Thomas quæſt. 2. art. 2. ex Auguſtino ſerm. 181. de verbis Domini, vbi ſic habet: *Aliud eſt credere in illum; aliud credere illi; aliud credere illum. Credere illi, eſt credere vera eſſe, quæ loquitur. Credere illum, eſt credere, quia ipſe eſt Deus. Credere in illum, eſt diligere illum.* Et tract. 29. in Ioann. *Quid eſt credere in eum? Credendo amare.*

8 Dices, Ergo actus fidei non eſt in peccatoribus, ſed in ſolis iuſtis, quia ſoli iuſti diligunt Deum. Reſpondeo. Duplex hic difficultas eſt: Vna de mente Auguſtini: Altera de re ipſa. Aliqui putant Auguſtinum non loqui de dilectione charitatis, quæ eſt in ſolis iuſtis, ſed de pia affectione, quâ quis vult Deo credere, quæ etiam

est in peccatoribus. Sed non ita est. Nam Augustinus loquitur de vera dilectione, vt colligitur, partim ex verbis citatis, partim ex serm. 61. de verbis Domini, vbi clarè se explicat. *Ille*, inquit, *credit in Christum qui & sperat in Christum, & diligit Christum: Nam si fidem habet sine Spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, venit in eum Christus, & quodammodo unitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi & Spes accedat & charitas.* Itaque ex sententia Augustini, soli iusti credunt in Deum, non item peccatores seu impij.

9 Sed iam manet altera difficultas de re ipsa, An scilicet actus fidei sit in solis iustis? Dixi, actum fidei habere triplicem respectum. Tertius respectus explicatur his verbis, *Credo in Deum.* Si hoc idem est, quod diligere Deum, vt interpretatur Augustinus, tunc actus fidei non est in peccatoribus, quoad tertium respectum, licet sit quoad primum & secundum.

10 Dices. Ergo peccatores, ex sententia Augustini, non possunt recitare symbolũ fidei, & dicere, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Nam credere in Deum, ex sententia Augustini, idem est, quod diligere Deum. At peccatores non diligunt Deum: Ergo non credunt in Deum. Falso igitur dicunt: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Respondet D. Thomas q. 1. art. 9. ad 3. symbolum fidei recitari ex persona totius Ecclesiæ. Quod sic explico. Sicut Sacerdos, non ex propria, sed ex Christi persona dicit: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus:* ita etiam quilibet Christianus, non ex propria, sed ex totius Ecclesiæ persona, profitetur symbolum fidei, & dicit: *Credo in Deum Patrẽ omnipotentem.* Sufficit ergo ad veritatem illius professionis, si Ecclesia diligat Deum; etiamsi quilibet Christianus in particulari non diligat. Censetur autem Ecclesia diligere, quando boni, qui in Ecclesia sunt, diligunt.

II. QVÆSTIO.

An assensus Fidei sit realiter compositus?

1 ASsensus fidei, vt dictum est, fertur in rem à Deo reuelatam, & fertur in illam propter authoritatem Dei reuelantis. Est ergo quæstio, an in tali assensu sint duæ perfectiones realiter distinctæ, quarum vna significetur illis verbis, *Est assensus rei creditæ*: Altera illis, *Est assensus propter authoritatem Dei reuelantis*: Aliqui affirmant, asserentes priorem perfectionem esse essentialem, posteriorem accidentalem. Et hoc modo defendunt, assensum fidei esse naturalem in essentia seu substantia, quatenus est assensus huius aut illius rei: Supernaturalem verò in modo accidentali, quatenus est propter authoritatem Dei reuelantis. Ratio est, quia eadem res, (vt v. g. Christum fuisse crucifixum) potest credi, & propter authoritatem Dei reuelantis, & propter authoritatem hominis referentis. At in vtroque casu est planè similis assensus ex parte rei creditæ, quia in vtroque tendit assensus in eandem rem creditam. Differentia verò tantùm est ex parte modi credendi, quia in vno casu creditur res propter authoritatem diuinam, in altero propter humanam. Ergo in eodem assensu sunt duæ perfectiones distinctæ: altera ex parte rei creditæ; altera ex parte medij, cui assensus innititur.

2 Conclusio. Istæ duæ perfectiones in assensu fidei, non sunt realiter distinctæ, sed tantùm ratione: Et prior se habet per modum generis; posterior per modum differentiæ essentialis. Ratio est, quia assensus alicuius rei à Deo reuelatæ (vt verbi gratia assensus Trinitatis aut Incarnationis) secundum substantiam & essentiam, debet esse in aliqua specie essentiali, & debet in ea specie constitui per aliquam differentiam essentialem, vt notum est: sed huiusmodi differentia essentialis in assensu fidei non potest sumi ab obiecto

materiali, sed à formali: Obiectum autem formale est authoritas Dei reuelantis: Ergo perfectio, quæ sumitur ab authoritate Dei reuelantis, est differentia essentialis, per quam assensus fidei constituitur in sua specie essentiali. Minor patet ex communi doctrina Theologorum & Philosophorum, quia differentia essentialis in actionibus intellectus & voluntatis, non sumitur ab obiecto materiali intellecto aut volito, sed à formali ratione assentiendi aut amandi. Quod in actu fidei manifestum est. Nam si differentia essentialis illius actus sumeretur ab obiecto credito, sequeretur assensum fidei semper fore supernaturalem, quoties obiectum creditum est supernaturale; quod tamen falsum est. Potest enim aliquis credere supernaturalia mysteria Incarnationis & Eucharistiæ, propter motiua naturalia; & in tali casu assensus fidei non est supernaturalis, quia potest elici sine auxilio gratiæ, vt fit in dæmonibus & hæreticis. Ergo essentialis differentia talis actus non est sumenda ab obiecto credito, sed à motiuo credendi, quod in actu fidei est authoritas Dei reuelantis; ac proinde, credere propter authoritatem Dei reuelantis, non est perfectio accidentalis in actu fidei, sed differentia essentialis.

3 Nec obstat ratio in contrarium allata. Nam tametsi verum sit, eandem rem (vt v. g. idem mysterium Incarnationis) credi posse propter duo diuersa motiua, seu obiecta formalia, id est, propter authoritatem diuinam & humanam; tamen duo illi assensus eiusdem rei distinguuntur essentialiter, propter distincta obiecta formalia, quibus innituntur.

III. QVÆSTIO.

An assensus Fidei generetur per discursum?

1 SEnsus est, An ad assentiendum rebus fidei propter diuinam reuelationem, necessarius sit aliquis dis-

curſus, quo intellectus prius credat, talem rem à Deo reuelatam eſſe, & inde tranſeat ad alium actum, quo aſſentiatur rei à Deo reuelatæ? Negat Capreolus in 3. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad 3. contra ſecundam concluſionem, Melchior Canus lib. 12. de locis, cap. 3. Dominicus Bannes in 22. quæſt. 1. art. 1. dubit. 4. concl. 5.

2 Et probatur. 1. Quia lumen fidei æquè primo ac immediatè inclinat in omnia fidei obiecta, non autem in vnum propter alterum: Ergo non efficit aſſenſum vnum mediante altero. Secundo, quia in Angelis viatoribus fuit fides, & tamen in illis non poteſt eſſe diſcurſus, ex ſententia D. Thomæ; quia vnico ſimplici actu verſantur circa rem cognitam & rationem cognoſcendi. Tertio, quia potentia viſiua, vnica ſimplici viſione tendit in colorem & lumen: Ergo potentia intellectiua poteſt vnico ſimplici aſſenſu tendere in rem reuelatam & reuelationem. Quarto, quia in omni diſcurſu, principia ſunt certiora concluſione, iuxta illud Ariſtotelis: *Propter quod vnumquodque eſt tale, illud magis eſt tale:* Ergo ſi opus eſſet diſcurſu in actu fidei, iam ille actus, quo primo crederetur reuelatio, certior eſſet altero actu, quo crederetur res reuelata; quod tamen falſum eſt. Quinto, quia ſi duo actus neceſſarij eſſent ad credendum, eſſent etiam neceſſarij duo habitus, à quibus illi procederent. Sicut in ſcientiis naturalibus, alius eſt habitus, quo cognoſcuntur principia; & alius, quo cognoſcuntur concluſiones. Ergo pari ratione deberet eſſe vnus habitus, quo crederetur authoritas Dei reuelans; & alius, quo res à Deo reuelata. Hoc autem falſum eſt: Ergo & illud, ex quo ſequitur. Sexto, quia Theologi docent, hoc intereſſe inter aſſenſum fidei & aſſenſum Theologicum, quòd hic generetur per diſcurſum, ille non item.

3 Nota, duplicem eſſe diſcurſum. Alter fit ex propriis rei principiis vel effectibus. Alter ex ſola dicentis authoritate.

thoritate. Rursum, in vtroque duplex ordo seruari potest. Alter temporis, vt quando intellectus ex vna re cognita, successiuè transit ad aliam cognoscendam. Alter causalitatis, vt quando assensus vnius rei est causa vel ratio assensus alterius rei, licet vterque assensus sit simul tempore.

4 Prima Conclusio. Assensus fidei nunquam generatur per discursum, qui fit ex propriis rei principiis vel effectibus. Ratio est, quia formale obiectum fidei est authoritas Dei reuelantis, & ex illa sola pendet assensus fidei, vt fides est; non autem ex propriis rei principiis vel effectibus: Ergo quando discursus non fit ex authoritate Dei reuelantis, sed ex propriis principiis vel effectibus non potest esse assensus fidei, sed alterius virtutis intellectualis. Vt si quis probaret, Christum habere animam rationalem, hoc modo: Omnis homo habet animam rationalem: Christus est homo: Ergo habet animam rationalem. Nam in hoc discursu, proxima ratio assentiendi conclusioni, non est authoritas Dei reuelantis; sed res illæ, quæ ponuntur in præmissis.

5 Dices, Hæc conclusio, *Christus habet animam rationalem*, est de fide: Ergo assensus illius conclusionis, est assensus fidei: Ergo nititur authoritate Dei reuelantis. Respondeo. Dupliciter possumus assentiri illi conclusioni. Primo, propter præmissas positas in allato syllogismo; & sic non est assensus fidei, sed Theologicus, quia non nititur immediatè diuinâ reuelatione, sed præmissis à Deo reuelatis. Secundo, propter solam Dei reuelationem; & sic est assensus fidei.

6 Secunda Conclusio. Assensus fidei potest generari per discursum, qui procedit à diuina reuelatione ad rem à Deo reuelatam; ita vt prius naturâ generetur assensus diuinæ reuelationis, quàm assensus rei à Deo reuelatæ. Hæc conclusio est probabilis, quam tenent Marsilius in 3. quæst. 14. art. 1. Gabriel in 3. dist. 23.

quæſt. 2. art. 1. Durandus diſt. 24. quæſt. 1. Almaynus tract. 2. Moral. cap. 3. Vaſquez in 1. part. diſp. 5. cap. 3. Ratio eſt, quia quando creditur vnum propter aliud, poſſunt eſſe duo diuerſi aſſenſus in intellectu, quorum vnus ſit via ad alterum. (Sicut quando vnum diligitur propter aliud, poſſunt eſſe duo diuerſi actus, quorum vnus ſit cauſa alterius, vt patet in dilectione finis & mediorum.) At in fide, vnum creditur propter aliud, nempe res reuelata propter reuelationem: Ergo poſſunt eſſe duo diuerſi aſſenſus, alter reuelationis, alter rei reuelatæ: Et intellectus à priori poteſt progredi ad poſteriorem; ſiue ordine temporis, ſiue ordine naturæ & cauſalitatis. Et hoc clarum eſt in fide humana. Poſſum enim vno aſſenſu credere, Ciceronem hoc vel illud dixiſſe: & alio, verum eſſe, quod dixit. Imò poſſum vnum aſſenſum elicere, & alterum ſuſpendere: vt ſi credam quidem Homerum hoc vel illud dixiſſe; ſed tamen dubitem de authoritate dicentis, & ſic ſuſpendam poſteriorem aſſenſum. Et quanquã hoc poſterius non habeat locum in fide diuina (quia fide diuina non poſsum credere Deum hoc vel illud reuelaſſe, & ſimul dubitare de authoritate reuelantis) tamen illud prius locum habet. Nam poſſum vno actu credere omnia reuelata eſse à Deo, quæ habentur in libris Machabæorum: & alio, omnia illa vera eſse, propter diuinam reuelationem.

7 Tertia Concluſio. Hic diſcurſus fidei non eſt ſemper neceſsarius in quouis actu fidei, niſi virtualiter. Nam fieri poteſt, vt aliquis hodie credat omnia eſse reuelata à Deo, quæ habentur in epiſtolis D. Pauli. Si ergo cras legat vnam ſententiam in iiſdem epiſtolis, poteſt credere, ſententiam illam eſse veram, tametſi non eliciat nouum actum, quo prius credat ſententiam illam eſse reuelatam à Deo. Sufficit enim, quod ſemel crediderit omnia eſse diuinitus reuelata, quæ continentur in illis epiſtolis. Idem habet locum in electio-

ne mediorum, & intentione finis. Nam qui hodie formaliter intendit aliquem finem, potest cras sine noua eiusdem finis intentione, eligere media ad illum finem accommodata.

8 Dices, Qui eligit media, non eligit illa; nisi propter finem: Ergo semper necesse est, vt quando est electio mediorum, simul sit intentio finis. Idem ergo dicendum est de assensu reuelationis & obiecti reuelati. Respondeo. Finis potest dupliciter amari, vt dictum est cap. 1. quæst. 3. §. 16. Primo, secundum se formaliter, quatenus est obiectum voluntatis. Secundo, virtualiter, quatenus est ratio amandi media. Priori modo amatur per intentionem; posteriori per electionem. Similiter fit in discursu fidei. Nam reuelatio diuina in priori assensu habet se, vt obiectum, cui assentimur per fidem: in posteriori, vt ratio assentiendi rebus à Deo reuelatis.

9 Quarta Conclusio. Tametsi in fide possint esse duo distincti assensus: Alter, quo credimus Deum reuelasse aliquam propositionem: alter, quo credimus illam propositionem esse veram propter authoritatem Dei reuelantis; non tamen sunt suo distincti habitus, sicut contingit in scientiis naturalibus, vbi alius est habitus principiorum, & alius conclusionum. Ratio discriminis est, quia tunc constituuntur diuersi habitus, quando sunt diuersæ rationes assentiẽdi; quod fit in scientiis naturalibus, non autem in fide. Nam in scientiis naturalibus, ratio assentiendi primis principiis sunt ipsi termini incomplexi, quatenus cogniti & apprehensi. Illi enim faciunt, vt assentiamur propositioni complexæ. At ratio assentiendi conclusioni, est aliquid complexum, nempe ipsa principia in antecedente posita. Propter hæc enim assentimur conclusioni. Aliter res habet in fide. Nam ratio assentiendi diuinæ reuelationi non est diuersa à ratione assentiendi rebus à Deo reuelatis. Assentimur enim rebus à Deo reuelatis propter

reuelationem, & reuelationi propter seipsam. Simile est de fine & mediis.. Nam ratio amandi finem, non est distincta à ratione amandi media. Amamus enim media propter finem, & finem propter seipsum. Sicut ergo in voluntate est vnus tantum habitus circa finem & media; ita in intellectu est vnus circa reuelationem & rem reuelatam. Similiter, sicut non obstante vnitate habitus, sunt duo actus circa finem & media, nempe intentio finis & electio mediorum; ita etiam, non obstante vnitate habitus fidei, sunt duo assensus, quorum alter est reuelationis, alter rei reuelatæ.

10 Quæres, An illi duo assensus fidei sint distincti solo numero, an etiam specie? Aliqui putant, assensum reuelationis propter se, differre specie ab assensu obiecti reuelati propter reuelationem; sicut etiam putant intentionem finis specie differre ab electione mediorum. Alij rectius, sicut intentio & electio pertinent ad eandem virtutem & speciem, ita etiam assensum reuelationis, & assensum rei reuelatæ, iuxta ea, quæ diximus in priori tomo, tract.1.cap.3.quæst.2.

11 Quinta Conclusio. Inter illos duos assensus fidei, alter non est altero certior, sed ambo sunt æquè certi. Ratio est, quia certitudo assensus potissimum sumitur ex parte obiecti formalis: At idem est obiectum formale in vtroque assensu, nempe diuina reuelatio: Ergo necesse est, vtrumque esse æquè certum.

Dices: Certitudo posterioris assensus pendet à certitudine prioris: Ergo prior assensus est certior, quàm posterior, iuxta illud: *Propter quod vnumquodque est tale, illud est magis tale.* Respondeo. Hæc duo distinguenda sunt. 1. Assensus posterior pendet ab assensu priori, in fieri, seu existentia. Hoc verum est. 2. Assensus posterior pẽdet ab assensu priori in certitudine. Vel, certitudo vnius assensus pendet à certitudine alterius, in genere causæ formalis, seu rationis assentiendi. Hoc

falsum est. Nam vna & eadem est ratio assentiendi, cui vterque assensus innititur, nempe authoritas Dei reuelantis. Cum ergo certitudo vtriusque assensus sumatur ex hac ratione assentiendi, non potest certitudo vnius pendere à certitudine alterius, saltē in hoc genere causæ. Potest tamen pendere in genere causæ efficientis, si verum est, quod docent aliqui Philosophi, assensum antecedētis effectiuè concurrere ad assensum consequentis: aut saltem in genere causæ applicantis, quatenus assensus antecedentis applicat rationem assentiendi, à qua sumitur certitudo assensui consequentis.

12 Dices 2. Prior assensus est certus certitudine fidei: posterior non est certus certitudine fidei. Ergo non sunt æquè certi. Maior patet. Minor probatur, quia posterior assensus pendet à naturali notitia consequētiæ seu connexionis: Ergo non potest esse certior, quàm naturalis notitia, quâ cognoscimus consequentiam seu connexionem antecedentis & consequentis in discursu fidei. Respondeo. Posterior assensus, qui est consequentis, pendet quidem à notitia connexionis seu cōsequentiæ, vt notum est; non tamen à naturali notitia, sed supernaturali. Sicut enim notitia connexionis in discursu naturali pertinet ad lumen naturale; ita in discursu supernaturali pertinet ad lumen fidei, quod est supernaturale. Nam hoc lumen non solum tendit in obiectum reuelatum propter reuelationem; sed etiam in connexionem obiecti reuelati cum reuelatione.

13 Ad argumenta initio contra nos allata sic respondeo. Ad 1. Lumen fidei æquè primo & immediatè inclinat ad omnia obiecta materialia à Deo reuelata; prius tamen inclinat in obiectum formale, nempe in authoritatem Dei reuelantis, ac deinde in obiecta materialia propter reuelationem.

Ad 2. In Angelis potest esse discursus, vt multi docent cum Scoto, præsertim circa obiecta supernaturalia,

quorum non habebant proprias ſpecies, cum adhuc eſſent viatores.

Ad 3. Negatur conſequentia. Nam licet viſus poſſit vnico ſimplici actu per ſe tendere in lumen & colorem; non tamen intellectus poteſt vnico ſimplici actu per ſe tendere in reuelationem & rem reuelatam. Ratio eſt, quia lumen & color ſunt ambo per ſe & propter ſe viſibilia, nec vnum eſt ratio videndi aliud. Dicitur quidem color videri propter lumen, non tamen eo ſenſu, quaſi lumen ſit ratio videndi colorem, ſed quia color videtur per ſpeciem ſenſibilem, quæ à colore produci vel emanare non poteſt, niſi præſente lumine. At reuelatio & res reuelata non ſunt ambo per ſe & propter ſe credibilia, ſed vnum eſt ratio credendi aliud; ac proinde aſſenſus vnius ſupponit aſsenſum alterius.

Ad 4. Aſsenſus reuelationis non poteſt dici certior aſsenſu rei reuelatæ, vt explicatum eſt in 5. concluſione. Poteſt tamen aliquo modo dici præſtantior, quia ipſe non dependet ab alio, & tamen aſsenſus rei reuelatæ ab eo dependet: non quidem in genere cauſæ formalis, ſed efficientis aut applicantis, vt dictum eſt §. 11.

Ad 5. Reſponſum eſt in 4. concluſione.

Ad 6. Omnis aſsenſus Theologicus generatur per diſcurſum; non autem omnis aſsenſus fidei. Quamuis enim aſsenſus rei reuelatæ generetur per diſcurſum, non tamen aſsenſus reuelationis. Eſt & aliud diſcrimen, quod cap. 1. quæſt. 2. § 8. attigi. Nam aſsenſus Theologicus fertur in concluſionem, quæ non eſt immediatè in ſe reuelata, ſed tantùm per bonam conſequentiam deducitur ex aliqua præmiſsarum in ſe reuelata. Aſsenſus autem fidei, qui generatur per diſcurſum, fertur in concluſionem, quæ immediatè in ſe reuelata eſt.

IV. QVÆSTIO.

An assensus Fidei sit supernaturalis in sua substantia & essentia?

1 CErtum est, assensum fidei habere aliquam perfectionem supernaturalem, siue illa perfectio sit illi essentialis, siue accidentalis, de quo postea videbimus. Ratio est, quia non possumus elicere assensum fidei sine auxilio diuinæ gratiæ: Ergo in assensu fidei est aliquid, quod superat vires naturæ, & requirit causam supernaturalem. Antecedens patet ex Scriptura, Eph. 2. 8. *Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Et Philipp. 1. 29. *Vobis donatum est per Christum, vt in eum credatis.* Et Ioan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.*

2 Nunc quæstio est, An illa perfectio supernaturalis, quæ est in assensu fidei, sit ipsa essentia seu substantia assensus secundum se, an aliquis modus accidentalis ipsi superadditus. Priorem partem tenent Medina in 1. 2. quæst. 62. art. 2. Richardus in 3. dist. 23. art. 7. quæst. 2. Scotus ibidem quæst. 1. Molina in Concordia quæst. 14 dist. 7. Posteriorem, nonnulli alij.

Quis autem sit modus ille superadditus, in eo non conueniunt. Aliqui dicunt esse maiorem quandam certitudinem, quàm à natura esse possit. Alij rationem meriti, ad consequendam vitam æternam. Nos resoluemus hanc quæstionem iuxta ea, quæ diximus priori tomo. tract. 1. cap. 3. quæst. 5.

3 Prima Concl. Assensus fidei potest denominari supernaturalis ex duplici capite. Primo, ex parte obiecti formalis, cui innititur. Nam obiectū formale, cui innititur, est reuelatio diuina. Hæc autem est supernaturalis. Secūdo, ex parte principij, à quo producitur. Non enim producitur per solas naturæ vires, sed per auxilium gratiæ (vt ostensum est,) quod etiam est supernaturale.

4 Secunda Conclusio. Assensus fidei secundum speciem & essentiam suam est supernaturalis. Probatur ex vtroque capite iam assignato. Ex priori, quia omnes actus intellectus & voluntatis sumunt suam speciem & essentiam ab obiecto formali, vt est communis sententia: Ergo si hoc obiectū est supernaturale, sumunt ab eo speciem & essentiam supernaturalem. At formale obiectum assensus fidei est reuelatio diuina, quæ est supernaturalis: Ergo assensus fidei sumit ab ea speciem & essentiam supernaturalem.

5 Ex posteriori, quia assensus fidei habet aliquam perfectionem supernaturalem, secundum quam superat vires naturæ, & à principio supernaturali produci debet. At illa perfectio non est accidentalis: Ergo essentialis. Minor probatur, quia si esset accidentalis, vel esset maior quædam certitudo, vel ratio meriti. Neutrum dici potest.

6 Non primum, quia certitudo duobus modis potest esse maior. 1. Quoad speciem & essentiam, quia scilicet est altioris ordinis ac speciei. 2. Quoad intensionem accidentalem in eadem specie. Maior certitudo priori modo, est perfectio essentialis, quia constituit assensum in altiori specie essentiali. Si ergo assensus fidei est supernaturalis propter maiorem certitudinem priori modo sumptam, iam est supernaturalis quoad perfectionem essentialem, quod nos contendimus. Maior autem certitudo posteriori modo, est perfectio accidentalis. Si ergo assensus fidei esset supernaturalis propter talem certitudinem, sequeretur assensum fidei, qui haberet minorem intensionem certitudinis in eadem specie, non esse supernaturalem, ac proinde elici posse sine principio supernaturali, quod est falsum. Nam hinc vlterius sequeretur, gratiam non esse necessariam ad hoc, vt incipiamus credere, sed ad hoc solum, vt plenius & perfectius credamus; qui est error in

fide, vt docet August. in lib. de prædest. Sanctorum, c. 2. Vnde ibidem concludit, non solùm fidem perfectam, sed etiam inchoatam esse donum Dei. Ex quo sequitur, assensum fidei, etiam remissum, esse supernaturalem, ac proinde non esse tantùm supernaturalem secundum maiorem certitudinem in eadem specie.

7 Iam verò, quod assensus fidei non sit supernaturalis, propter solam rationem meriti, dupliciter probari potest. Primò, quia ratio meriti nihil aliud est, quàm quidem respectus seu relatio, quæ debet fundari in aliqua perfectione absoluta: At relatio per se, non requirit aliquam causam supernaturalem, à qua producatur, quia nunquam per se producitur, sed semper resultat ad productionem alicuius absoluti: Ergo præcisè propter rationem meriti, non requiritur auxilium gratiæ, sed propter aliquam perfectionem absolutam, in qua fundatur ratio meriti.

8 Secundò, quia vt actus imperati à voluntate, sint meritorij, siue supernaturales in ratione meriti, non necesse est, vt principium supernaturale infundatur illis potentiis, à quibus actus eliciuntur, sed satis est infundi voluntati, à qua imperantur, vt in Theologia notum est. At verò, ad eliciendum actum fidei, non solum requiritur principium supernaturale in voluntate, sed etiam in intellectu: Ergo actus fidei non tantùm est supernaturalis in ratione meriti, sed etiam in essentia & substantia.

9 Dices. Hæretici habent assensum fidei circa illa mysteria, in quibus conueniunt cum Catholicis: & assensus ille non differt essentialiter ab assensu, quem Catholici habent circa eadem mysteria; quia tam illi, quàm Catholici, assentiuntur illis propter reuelationem Dei. At assensus fidei, qui est in hæreticis, non est supernaturalis in essentia; Ergo nec assensus fidei, qui est in Catholicis. Respondeo. Assensus, quem habent hæretici circa

mysteria fidei, differt essentialiter ab assensu, quem habent Catholici. Licet enim tam illi, quàm Catholici, credant mysteria fidei, propter reuelationem Dei, non tamen eodem modo. Nam reuelatio Dei potest dupliciter spectari. 1. quatenus est credita fide diuina. 2. quatenus est credita fide vel opinione humana. Priori modo est formale obiectum fidei, non posteriori. Igitur Catholici credunt mysteria fidei propter reuelationem fide diuina creditam: hæretici, propter reuelationem fide vel opinione humana creditam. Vide infrà, cap. 11. quæst. 3.

V. QVÆSTIO.

An assensus fidei requirat præuium actum voluntatis supernaturalem.

1 CErtum est, assensum fidei ita esse liberum & voluntarium, vt sit in potestate credentis. quod colligitur ex illo Marci 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Vbi manifestè insinuatur, pendere à libera hominum voluntate, quod alij credant. Item patet ex Conc. Trident. sess. 6. c. 6. Et ratio est, quia experientia docet, quod facta sufficienti propositione fidei alij credant, alij nolint credere: quod non potest aliunde prouenire, quàm ex libera voluntate.

2 Hoc posito, duplex quæstio est. Vna, an ad hoc, vt assensus fidei sit voluntarius, necesse sit præcedere positiuam aliquam motionem voluntatis, quæ intellectum determinet ad assensum fidei? an verò sufficiat, voluntatem non contradicere? Altera; si requiritur motio voluntatis, an illa sit supernaturalis in essentia, non minùs quàm ipse assensus fidei, de quo præcedenti q actum est?

3 Prima Conclusio. Ad credendum fide Christiana, requiritur positiua motio voluntatis, vt per illam determinetur intellectus ad assensum fidei. Ita D. Tho-

mas quæstione 2. art. 1. ad 3. Porrò hanc motionem aliqui vocant imperium voluntatis, vt idem author quæst. 4. art. 5. Alij affectum credulitatis, vt Patres Concilij Arausicani, can. 5. Alij piam voluntatis affectionem, vel honestam credendi voluntatem, vt plerique recentiores. Apostolus Rom. 10. 16. appellat obedientiam, cùm ait: *Nec omnes obediunt Euangelio*, q. d. non omnes habent affectum seu voluntatem credendi Euangelio.

4 Ratio conclusionis est, quia facta sufficienti propositione mysteriorũ fidei, adhuc intellectus manet indifferens ad credendum. Nam mysteria fidei, quæ illi proponuntur, sunt obscura & ineuidentia, ac proinde non possunt illum conuincere seu determinare ad credendum. Ergo in tali casu debet aliunde determinari. Vel ergo à Deo, vel à voluntate, quia non datur tertium, à quo determinari possit. At non determinatur à Deo, quia alioqui actus credendi non esset liber, sed necessarius; ac proinde in homine iusto non esset meritorius, quod est absurdum.

5 Dices, intellectus potest seipsum determinare, propter motiua & argumenta, quæ præcedunt. Nam eiusmodi motiua euidenter ostendunt, mysteria fidei, quæ proponuntur, esse credibilia; Ergo conuincunt intellectum ad credendum: Ergo intellectus non indiget alio determinante. Respondeo. Aliud est, mysteria fidei, quæ proponuntur, esse credibilia: aliud, esse vera. Quamuis ergo intellectus propter motiua & argumenta præcedentia, euidenter cognoscat, mysteria esse credibilia, non ideò tamen sufficienter determinatus est, vt credat esse vera. Simile ferè est, quando proponuntur duæ opiniones contrariæ, quæ ambæ habent pro se magnos authores, & plausibilia argumenta. Tunc enim intellectus, propter huiusmodi motiua, euidenter cognoscit vtramque opinionem esse pro-

babilem & credibilem; & tamen ex eo non potest determinatè iudicare, hanc esse veram, & illam falsam, sed quasi suspensus hæret. Hæc igitur determinatio, in tali casu, debet fieri à voluntate.

6 Dices 2. Ergo actus credendi non est liber, sed necessarius. Sequela probatur ex dictis, quia actus credendi non esset liber, si intellectus ad eum determinaretur à Deo, vt ante argumentati sumus; Ergo etiam non est liber, si intellectus ad eum determinatur à voluntate. Est enim par ratio. Nam determinatio vtriusque habet eandem vim, quantum attinet ad libertatem impediendam. Respondeo. Non est par ratio. Nam actus credendi debet esse liber respectu hominis, in quo est. Hoc autem fit, quando intellectus humanus illum elicit ex libero voluntatis imperio, seu determinatione. Non autem fieret, si intellectus illum eliceret ex solo Dei imperio & determinatione. Esset quidem in tali casu liber, respectu Dei, quia per liberam Dei determinationem eliceretur ab intellectu; non tamen esset liber respectu hominis, quia non penderet ab vlla hominis libera determinatione vel imperio.

7 Secunda Conclusio. Motio voluntatis quæ requiritur ad credendum, ex duplici capite potest denominari supernaturalis, sicut supra dictum est in simili de assensu fidei. Primò, ex parte obiecti. Nam obiectum illius est supernaturale, nempe actus credendi, seu assensus fidei. Debet enim motio voluntatis, de qua agimus, sic exprimi: Volo vel imperio actum credendi supernaturalem. Vel sic: Appeto, & intẽdo assensum fidei supernaturalem. Secundo, Ex parte principij, à quo producitur. Non enim producitur à voluntate per solas naturæ vires, sed opus est auxilio gratiæ, quo excitetur & adiuuetur voluntas ad eliciendum talem actum. Ita definitum est contra Semipelagianos in Concilio Arausicano can. 5. & 6. vbi asseritur, initium fidei, & credu-

litatis affectum non posse esse sine dono gratiæ, & inspiratione Spiritus Sancti. Quod etiam multis scripturæ testimoniis confirmant Diuus Augustinus in libro de spiritu & littera, capite 33. & 34. Prosper contra Collatorem, cap. 6. Fulgentius de Incarnatione, cap. 18. Duo præcipua testimonia sunt hæc, Philipp. 1. 6. *Qui cepit in vobis, opus bonum perficiet.* Et cap. 2. 13. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

8 Ratio illorum Patrum est, quia si bona voluntas credendi, quę præcedit actum fidei, oriretur ex solis naturæ viribus, iam gratia fidei non daretur omnino gratis, sed potius bonæ voluntati retribueretur. Item haberet homo aliquid, quod non accepisset à gratia Dei, nempe bonam credendi voluntatem. Denique non videretur verum, quod Paulus asserit, *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis.* Vide plura apud Augustinum in lib de Prædestinatione Sanctorum, vbi confirmat hanc veritatem contra Semipelagianos, qui (vt referunt Hilarius & Prosper in Epistolis ad eundem Augustinum) asseruerunt, ante gratiam præcedere bonam voluntatem, qua homo propositis sibi mysteriis fidei, velit credere & sanari à peccatis. quod etiam sensit aliquando Augustinus, sed postea retractauit, partim loco citato, partim libro 1. Retractationum, cap. 23.

9 Dices, Quicquid intellectus solo lumine naturali iudicat esse honestum, hoc voluntas per solas naturæ vires potest appetere: At intellectus solo lumine naturali iudicat honestum esse, credere diuinæ authoritati reuelanti: Ergo voluntas potest talem actum credendi per solas naturæ vires appetere; ac proinde non opus est auxilio gratiæ ad eam motionem, qua voluntas determinat intellectum ad eliciendum assensum fidei. Respondeo: Minor potest dupliciter intelligi. Primò sic: Intellectus solo lumine naturali iudicat honestum esse, credere diuinæ authoritati, quatenus reuelat aliquid

via ac modo naturali. Secundo sic: intellectus solo lumine naturali iudicat honestum esse, credere diuinæ authoritati, quatenus reuelat aliquid via ac modo supernaturali. Priori sensu conceditur; posteriori negatur.

10 Dices 2. Nulla potest esse supernaturalis actio voluntatis, nisi præcedat aliqua supernaturalis actio intellectus: At nulla est supernaturalis actio intellectus ante assensum fidei: Ergo etiam nulla est supernaturalis actio voluntatis ante assensum fidei: Ergo motio voluntatis, qua intellectus determinatur ad assensum fidei, non est supernaturalis, sed naturalis. Maior patet ex communi illo axiomate, *Nihil est volitum, nisi prius cognitum.* Vnde sequitur, nihil esse volitum supernaturaliter, nisi prius cognitum supernaturaliter. Minor colligitur ex Conc. Trident. sess. 6. c. 8. vbi fides dicitur esse initium salutis: Ergo ante fidem nulla est actio supernaturalis; alioqui si esset, illa ipsa esset initium salutis. Respondeo. Solutio patebit ex sequenti quæstione.

11 Tertia Conclusio. Motio voluntatis, quæ requiritur ad assensum fidei, est supernaturalis in sua essentia & substantia. Probatur ex vtroque capite iam assignato. Ex priori; quia actus sumit suam speciem & essentiam ab obiecto: At obiectum illius motionis est supernaturale, vt dictum est: Ergo etiam motio in sua essentia & substantia est supernaturalis. Ex posteriori; quia illa motio habet aliquam perfectionem supernaturalem, secundum quam superat vires naturæ, & à principio supernaturali produci debet: At illa perfectio non est accidentalis, Ergo essentialis: Minor probatur, quia nulla accidentalis perfectio assignari potest, propter quam solam necessaria sit gratia. Potest autem assignari essentialis perfectio, propter quam necessaria sit gratia, nempe quæ sumitur ex obiecto formali, quod supernaturale est.

VI. QVÆSTIO.

An aliquod iudicium intellectus supernaturale præcedere debeat voluntatem credendi?

1 CErtum est, antequam voluntas possit velle actum credendi, necessario debere præcedere iudicium intellectus, quo quis iudicet prudenter ea credi posse, quæ proponuntur. Ratio manifesta est, quia voluntas non fertur in obiectum incognitum: Ergo si voluntas debeat appetere aliquod obiectum bonum, necessario debet præcedere cognitio obiecti boni.

2 Quæstio est, An hoc iudicium, quod præcedit voluntatem credendi, sit supernaturale? Aliqui putant, solis naturæ viribus elici posse. 1. quia secundum legem ordinariam, nulla cognitio supernaturalis præcedit ante fidem: sed illud iudicium, de quo agimus, non solum præcedit ante fidem, sed etiam ante voluntatem credendi: Ergo illud iudicium non est supernaturale. 2. si esset supernaturale, pertineret ad aliquem habitum supernaturalem: At nullus potest habitus supernaturalis assignari, ad quem pertineat: Ergo non est supernaturale. 3. vt res aliqua appetatur sufficit ea cognitio, quâ probabiliter ipsius bonitas cognoscitur; vt patet in ægroto, qui appetit medicamenta, quæ nonnisi probabiliter, ex authoritate Medici, cognoscit sibi esse vtilia. At, ex sola hominis authoritate possumus probabiliter cognoscere, honestum esse, Deo credere: Ergo ex illa sola cognitione probabili, quæ potest haberi naturaliter, potest voluntas excitari, vt velit Deo credere. 4 in omni actu supernaturali debet esse aliqua perfectio, quæ superet naturæ vires; At in illo iudicio, de quo agimus, nulla potest assignari perfectio, quæ superet naturæ vires: Ergo sine fundamento asserimus, iudicium illud esse supernaturale.

3 Prima Conclusio, Duo iudicia possunt præcedere

voluntatem credendi, quibus iudicemus mysteria fidei, quæ nobis proponuntur, esse credibilia. Vnum euidens, quod oritur ex motiuis, quæ intellectum conuincunt: Et hoc solis naturæ viribus haberi potest. Alterum obscurum, quod oritur ex illustratione diuina, & immediatè versatur circa credibilitatem mysteriorum fidei, non propter motiua, sed propter reuelationem Dei. Hoc posterius est supernaturale, & non potest elici sine gratia Dei. Probatur 1. ex illo 2. Corinth. 3. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quo loco vtitur Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. Et Concilium Arausicanum, cantic. 7. vbi sic habet: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, cogitare, vt expedit, aut eligere, siue prædicationi consentire posse contendat absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli, Non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, &c.*

4. Deinde ex Concilio Mileuitano, can. 4. vbi sic dicitur: *Vtrumque donum Dei est, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus: quia sicut scriptum est, Qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est: Charitas ex Deo est.*

5. Tertiò, ex Concilio Tridentino sessione 6. capite 5. vbi definitur, exordium iustificationis in adultis sumi à vocatione Dei, seu ab illuminatione, quæ ad intellectum pertinet. Hæc autem illuminatio præcedit voluntatem credendi. Idem docet Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum, capite decimo sexto, & aliquot sequentibus, vbi sæpè repetit, internam vocationem debere esse ante voluntatem credendi; Et per illam vocationem semper intelligit internam Dei inspirationẽ ac illustrationem, sine qua externa prædicatio non potest prodesse. De qua tractatu

tertio

tertio in Epistolam Ioannis, circa finem, sic scribit: *Sonus verborum nostrorum aures percutit; magister intus est. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: sed si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster.* Et iterum: *Magisteria forinsecus, adiutoria quædam sunt, & admonitiones. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet.* Et Diuus Gregorius hom. 20. in Euangelia: *Vnam*, inquit, *vocem omnes auditis: Cùm ergo vox dispar non sit, cur in cordibus dispar est intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia corda specialiter docet?*

6 Secunda Conclusio. Hoc iudicium, de quo agimus, in essentia sua supernaturale est. Ita Molina in Concordia qu. 14. art. 13. disp. 8. Vega lib. 6. in Conc. Trident. cap. 4. & alij in sequenti conclusione citandi. Ratio est, quia versatur circa obiectum supernaturale. Est enim iudicium, quo quis iudicat mysteria fidei esse credibilia propter reuelationem Dei. Et propterea non potest elici sine auxilio gratiæ, quod consistit in illuminatione intellectus, quæ immediate à Deo fit.

7 Hinc sequitur primo, aliquid requiri ex parte Dei, & aliquid ex parte hominis, vt assensus fidei eliciatur circa mysteria fidei. Ex parte Dei, requiruntur duo, nempe illustratio intellectus, & motio voluntatis: quæ ambo nomine gratiæ excitantis seu prœuenientis intelligi possunt. Ex parte hominis, requiruntur etiam duo, nempe iudicium credibilitatis, & voluntas credendi: qui duo actus effectiue procedunt, tum ab homine per intellectum & voluntatem, tum à Deo per illustrationem & motionem præuenientem.

8 Secundo sequitur, quomodo verum sit quod dici solet, Deum trahere homines ad fidem: et, homines sponte accedere ad fidem. Nam Deus dicitur eos trahere ad fidem, quatenus illustrat intellectum, & mouet voluntatem, vt intellectus iudicet esse credibilia quæ proponuntur, & voluntas velit ea credere. Similiter, homines di-

cuntur ſponte accedere ad fidem, quatenus à Deo illuſtrati & moti, ſequuntur Dei vocationem, & libere procedunt ad aſſenſum fidei. Vide Molinam loco citato, & Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & 6.

9 Tertia Concluſio. Hoc iudicium intellectus, quod requiritur ante voluntatem credendi, ex ſuo genere pertinet ad habitum fidei infuſum. Ita Ferrarienſis libro tertio contra Gentes, cap. 40. Caietanus in 22. quæſt. 1. articulo 4. ad 3. Dominicus Bannes, & Petrus Aragonius ibidem. Et colligitur ex Diuo Thoma, tum in eodem loco, tum articulo quinto ad primum. Suppono, hoc iudicium, quando elicitur ab homine infideli, qui primum accedit ad fidem, non produci effectiue ab habitu fidei, cùm talis habitus nondum in illo ſit, ſed à concurſu Dei ſupernaturali, qui ſupplet habitum fidei. Quando verò elicitur ab homine fideli, effectiue produci ab habitu fidei ſupernaturali, & hoc ſenſu dixi in concluſ. ex ſuo genere pertinere ad habitum fidei infuſæ.

10 Hoc poſito, probatur concluſio, quia fides infuſa non minus extenditur circa ſuum obiectum, quàm fides humana circa ſuum: At per humanam non ſolùm cognoſcitur obiectum in ratione veri, ſed etiam in ratione credibilis: Ergo etiam fides infuſa poteſt producere duos actus, quorum altero cognoſcantur myſteria in ratione veri: altero, in ratione credibilis. Minor probatur, quia fides humana ad omne id extenditur, quod creditur ob authoritatem humanam: ſed ob authoritatem hominis loquentis, non ſolùm iudicamus verum eſſe quod dicitur, ſed etiam credibile. Imò ex eo quod iudicamus aliquid eſſe credibile propter authoritatem teſtificantis, mouemur ad aſſenſum illius ſub ratione veri. Ergo idem, ſeruata proportione, dicendum eſt de fide infuſa.

11 Dices. Non videtur eſſe vlla proportio. Nam per fidem humanam cognoſcitur obiectum euidenter in ratione credibilis: per infuſam, obſcure. Reſpondeo. Propor-

tio non consistit in obscuritate & euidentia, sed in simili extensione obiectorum. Nam sicut fides humana non solùm versatur circa suum obiectum, quatenus verum, sed etiam quatenus credibile est, idque propter authoritatem testificantis: sic etiam fit in fide diuina. Illa autem differentia, quod vna obscure, altera euidenter cognoscat credibilitatem sui obiecti, ex eo oritur, quia possumus euidenter cognoscere hominem testificantem, cuius authoritas facit rem credibilem: non tamen euidenter cognoscimus Deum testificantem, & deo obscure cognoscimus rem esse credibilem propter ipsius authoritatem.

12 Ad argumenta initio allata sic respondeo. Ad 1. concedo quod secundum legem ordinariam nulla cognitio supernaturalis præcedat fidem. Sed tamen nomine fidei non solùm intelligo assensum, quo creduntur obiecta reuelata tanquam vera, sed etiam iudicium, quo iudicantur esse credibilia. Hoc enim iudicium iuuat ad assensum fidei, & ideo ad fidem reducitur.

Ad 2. Iam responsum est. Nam iudicium illud supernaturale pertinet ad habitum fidei infusæ.

Ad 3. Vt res aliqua appetatur amore naturali, sufficit probabilis cognitio, qua illius bonitas cognoscatur. Vt autem ametur amore supernaturali, requiritur cognitio supernaturalis.

Ad 4. In iudicio, de quo agimus, est aliqua perfectio, quæ superat naturæ vires, & sumitur ex obiecto, vt dictum est in secunda conclusione. Nam illud iudicium versatur circa mysteria fidei, quatenus sunt credibilia propter reuelationem Dei.

13 Superest vna difficultas. Nam si illud iudicium est obscurum, pertinens ad habitum fidei, ergo intellectus ad illud non necessitatur: Ergo supponit alium actum voluntatis, à quo intellectus determinetur ad hoc iudicium, & ille actus voluntatis necessario supponit aliud

iudicium intellectus, quia voluntas non potest ferri in incognitum: et sic dabitur progressus in infinitum. Respondeo. Intellectus non necessitatur ad illud iudicium ex euidentia rei, quia ponimus rem non esse euidentem, sed obscuram: Neque etiam determinatur à voluntate, vt bene probat obiectio, sed determinatur à gratia Dei præueniente, quam Deus in nobis operatur sine libero nostro consensu.

VII. QVÆSTIO.

An actus Fidei ita sit honestus, vt ex nulla mala circunstantia vitiari possit?

1 SVppono assensum fidei, de quo hactenus disputauimus, honestum esse ac laudabilem. Ratio est, quia omnis actus qui à Deo præcipitur, honestus est: & qui à Deo laudatur, laudabilis est. At actus fidei & præcipitur, & laudatur à Deo. (Marci 16. 16. & Ioan. 20. 29.) Ergo honestus & laudabilis est.

2 Quæritur, an ex se ita honestus sit, vt ex nulla mala circunstantia vitiari possit? Aliqui putant vitiari posse ex mala voluntate, vel ex circunstantia mali finis, vt Caietanus qu. 5. art. 2. Bartholomæus Medina in 1. 2. qu. 56. art. 3. quibus fauet D. Thomas in 2. 2. qu. 47. art. 13. ad 2. vbi asserit, hoc interesse inter fidem & prudentiam, quod prudentia necessario dicat ordinem ad appetitum rectum, non autem fides. Vnde colligit, prudentiam magis repugnare peccato, quàm fidem. Ratio huius sententiæ est, quia actus fidei elicitur ab intellectu, & imperatur à voluntate: Sed voluntas vel effectus credendi potest esse malus: Ergo etiam actus fidei potest esse malus. Minor probatur, quia affectus credendi potest esse ex malo fine. Nam si aliquis malo fine potest suscipere sacramenta, vt v. g. ob inanem gloriam, cur non possit etiam malo fine velle credere mysteria fidei? Et confirmatur, quia certum est, externam fidei confessionem

posse fieri ex intentione inanis gloriæ, vel lucri: Ergo idem dicendum est de interno assensu fidei.

3 Nihilominus probabilius est, actum fidei ex natura sua ita bonum & honestum esse, vt ex nulla mala circunstantia vitiari possit. Ita sentiunt Dominicus Bannes in 2.2. q.4. art.5. dub.2. & Gabriel Vasquez in 1.2. disp. 53. cap. 4 quibus fauet Augustinus in lib. de catechizandis rudibus, cap. 5. & D. Thomas quæst. 5. art. 2. ad 2. vbi dicit fidem, etiam informem, inclinare hominem ad credendum, secundum aliquem affectum boni. Ratio huius sententiæ est, quia actus fidei est talis naturæ, vt non possit produci in intellectu, nisi ex supernaturali imperio voluntatis, vt docet D. Thomas qu. 2. art. 9. & paulo ante, quæst. 5 à nobis demonstratum est. At imperium illud supernaturale, cùm sit ex gratia Dei, non potest esse nisi bonum & honestum: Ergo actus fidei, qui procedit ex tali imperio, semper est bonus & honestus.

4 Hinc etiam soluitur argumentum contrarium, quia homo non potest credere, nisi ex illo affectu credendi, qui procedit à gratia Dei: At ille affectus non potest esse malus. Nec est simile de susceptione sacramentorum, aut de externa fidei professione, quia voluntas suscipiendi aut profitendi, non necessario est supernaturalis, & ex Dei gratia, sicut voluntas credendi. Vnde suprà dictum est, & communiter dici solet, piam affectionem requiri ad credendum mysteriis fidei, quod satis insinuauit Christus, Ioan. 5. 44. cùm dixit Pharisæis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?*

5 Dices, Etiamsi actus fidei non possit esse malus ex malo fine, vt bene probatum est, tamen aliunde potest esse malus, nempe si alicui imponeretur præceptum non eliciendi talem actum. Nam in tali casu, is qui crederet, faceret contra præceptum: Ergo credendo peccaret. Ergo actus credendi esset malus. Respondeo. Is qui posito

eiusmodi præcepto, crederet, non peccaret ex eo, quod occurrente mysterio nostræ fidei, assensum illi præberet: sed ex eo, quod sponte applicaret animum ad cogitandum de mysteriis fidei.

6 Ad authoritatem D. Thomæ contra nos ciatam Respondeo, non esse contra nos. Non enim asserit, fidem non pendere ab appetitu recto, vt aliqui male interpretantur, sed *fidem in sui ratione* (vt ipse loquitur) *non importare aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum*, sicut facit prudentia. Nam fides, quando non est coniuncta cum charitate, non semper est causa bonorum operum, & ideo ab Apostolo vocatur mortua. (Iacobi 2. 17.) Prudentia vero semper est præceptiua bonorum operum. Hinc colligit fidem posse esse in eo qui peccat, prudentiam non item.

VIII QVÆSTIO.

Quomodo resoluatur actus Fidei?

1 ASsensus fidei potest quatuor modis resolui. 1. dispositiue, in extrinseca motiua, quæ disponunt hominem ad credendum. 2. directiue, in authoritatem Ecclesiæ proponentis, & dirigentis quid credendum sit. 3. formaliter, in authoritatem Dei reuelantis, quæ est ratio credendi. 4. effectiue, in Deum & habitum fidei, qui efficiunt actum credendi. Hi quatuor modi per totidem conclusiones explicandi sunt.

2 Prima Conclusio. Assensus fidei dispositiue resoluitur in extrinseca motiua, de quibus cap. 6. dictum est. Quod declaro hac interrogatione & responsione. Credisne omnia quæ Ecclesia Catholica ad credendum proponit? Credo. Nunquid antea fuisti hæreticus, vel Gentilis, vel Iudæus? Fui. Quid te primùm permouit & induxit vt velles fieri Catholicus? Miracula. Vel, consensus populorum ac gentium. Vel aliquod simile motiuum. Et hic sistitur in hoc genere resolutionis.

3 Dices. Possum vlterius progredi, & dicere, Gratia Dei me primùm permouit & induxit. Respondeo. Nos hîc agimus de motiuis extrinsecis, quæ tantùm dispositiue inducunt hominem ad credendum, non effectiue. At gratia Dei non est motiuum extrinsecum, sed intrinsecum: nec tantùm dispositiue, sed etiam effectiue mouet hominem ad actum credendi, vt in quarta conclusione dicendum est. Itaque non pertinet ad primum modum resolutionis, sed ad quartum.

4 Secunda Concluſ. Assensus fidei directiue resoluitur in authoritatem Ecclesiæ proponentis, & decernentis quid credendum sit. Quod sic explico. Quare credis hunc articulum, & non istum? quia Ecclesia proposuit mihi hunc ad credendum, & non istum. Vel in specie: quare credis purgatorium & sacrificium Missæ, quorum neutrũ credunt aduersarij? quia Ecclesia vtrumq; ad credendum mihi proposuit. quare non credis humanitatem Christi esse vbique? quia Ecclesia mihi non proposuit.

5 Porro hæc propositio Ecclesiæ dupliciter spectari potest. Primo, quatenus est quædam applicatio credendorum. Sicut enim ligna non possunt comburi ab igne, nisi igni applicẽtur per motum localem, ita articuli fidei non possunt credi ab homine, nisi illi applicentur per auditum, iuxta illud Rom. 10 17. *Fides ex auditu.* Secundo, quatenus est quædam infallibilis directio circa credenda. Nam Ecclesia infallibiliter decernit, quid credendum aut non credendum sit. In quo differt ab Ecclesia hæreticorum, quæ quidem proponit articulos fidei: sed propter defectum assistentiæ Spiritus Sancti, non potest infallibiliter diiudicare ac discernere qui articuli sint à Deo reuelati, & qui non sint. Vnde fit vt multos proponat, qui reuelati non sunt: & è contrario, multos non proponat, qui reuelati sunt.

6 Dices. Authoritas Ecclesiæ videtur pertinere ad motiua, quæ inducunt hominem ad credendum. Respon-

deo. Ecclesia dupliciter considerari potest. Primo, quatenus est collectio multorum hominum. Sic pertinet ad motiua. Nam consensus eorum hominum qui sunt in Ecclesia, inducit alios vt velint fidem Christianam amplecti. Secundo, quatenus est infallibilis in proponendo, & iudicando, propter assistentiam Spiritus Sancti. Sic sumitur hoc loco.

7 Tertia Conclusio. Assensus fidei formaliter resoluitur in primam veritatem reuelantem, vel in authoritatem Dei reuelantis. Nam si quæram, quæ est ratio formalis, propter quam credis articulos fidei? Respondebis, quia Deus, qui est prima veritas, reuelauit. Et hic sistitur.

8 Dices: Adhuc vlterius possumus progredi, hoc modo. Quare credis Deum hoc reuelasse? quia Ecclesia dicit. Respondeo. Si credis propter authoritatem Ecclesiæ, non est assensus fidei Theologicæ, sed alterius inferioris ordinis. Vbi obiter repetendum est quod c. 1. q. 2. §. 9. insinuaui, triplicem assensum fidei distingui posse. Vnum fidei diuinæ seu Theologicæ, vt, credo articulos fidei propter authoritatem Dei reuelantis: credo Deum hoc vel illud reuelasse: credo Deo reuelanti. Alterum fidei humanæ, vt, credo articulos fidei propter authoritatem Lutheri vel Caluini. Tertium fidei, quæ nec purè diuina, nec purè humana est, sed quasi media: vt, credo articulos fidei propter authoritatem Ecclesiæ. Primus assensus, de quo agimus, non resoluitur vlterius, sed sistit in solo Deo reuelante.

9 Dices 2. Sicut Deus est infallibilis in reuelando, sic etiam Ecclesia in proponendo: Ergo assensus, qui nititur authoritate Ecclesiæ, tam est infallibilis, quàm assensus, qui nititur authoritate Dei: Ergo vterque est assensus fidei diuinæ seu Theologicæ. Respondeo. Deus ex se & natura sua est infallibilis: Ecclesia non ex se, sed ex assistentia & directione Spiritus Sancti. Vnde infalli-

bilitas Dei est altioris ordinis, quàm infallibilitas Ecclesiæ. Nam hæc est creata, & ab alio dependens: illa increata & independens. Idem dico de assensu. Nam assensus qui nititur authoritate Dei, est infallibilis infallibilitate increata & independente. Assensus autem qui nititur authoritate Ecclesiæ, est infallibilis infallibilitate creata & dependente. Prior pertinet ad fidem diuinam, posterior non item.

10 Quarta Conclusio. Assensus fidei effectiue resoluitur in Deum & habitum fidei infusum. Nam Deus & habitus fidei infusus sunt duo principia, quæ cum intellectu effectiue concurrunt ad eliciendum actum fidei. Dices: Ad primum actum fidei, quem elicit gentilis vel hæreticus, quando conuertitur, non concurrit habitus à Deo infusus. Nam habitus non infunditur homini adulto, nisi præuio actu fidei, tanquam dispositione. Respondeo. Verum est. Nihilominus in tali casu necessaria est gratia actualis, quæ suppleat vicem habitus.

CAPVT IX.

De externo actu Fidei.

PEr externum actum fidei intelligitur externa confessio, qua quis significat internam fidem quam profitetur, iuxta illud Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* De hac confessione quæritur. 1. An sit actus fidei? 2. An sit necessaria ad salutem? 3. An in aliquo casu, præsertim ad vitandam mortem, liceat negare fidem? 4. An in simili casu liceat tacere vel dissimulare fidem? 5. An ob eandem causam liceat vsurpare ritus & vestimenta gentilium aut hæreticorum?

I. QVÆSTIO.

An Confessio sit actus Fidei?

RAtio dubitandi est, quia Confessio, qua quis externa voce profitetur quod in animo sentit, pertinet

ad virtutem veracitatis: ſicut è contrario, confeſſio qua quis externa voce profitetur, quod in animo non ſentit, pertinet ad vitium mendacij. At virtus veracitatis diſtinguitur à virtute fidei. Secundo, Ita ſe habet externa confeſſio fidei ad fidem, ſicut externa negatio fidei ad infidelitatem. At externa negatio fidei non eſt actus infidelitatis, quia poteſt aliquis negare fidem ex ſolo timore mortis, & non ex infidelitate: Ergo nec externa confeſſio fidei eſt actus fidei. Tertio, Hæc externa confeſſio, cùm ſit voluntaria, debet eſſe actus alicuius virtutis, quæ eſt in voluntate: At fides non eſt in voluntate: Ergo non eſt actus fidei.

2 Suppono duplicem eſſe virtutem fidei noſtræ: Vnam in voluntate, qua quis vult elicere actum fidei: Alteram in intellectu, qua immediate elicit internum actum fidei. De vtraque dicam capite ſequenti.

3 Prima concluſio. Externa confeſſio fidei, quando ſupponit internum fidei aſſenſum, eſt actus virtutis fidei, quæ eſt in intellectu. Ita Diuus Thomas quæſt. 3. art. 1. Ratio eſt, quia externa confeſſio ex natura ſua ordinatur ad internum aſſenſum, ſicut ſignum ad rem ſignificatam: Ergo habet eandem honeſtatem virtutis, quam habet internus aſſenſus. At internus aſſenſus habet honeſtatem virtutis fidei, quæ eſt in intellectu: Ergo etiam externa confeſſio fidei. Et confirmatur, quia quando externa confeſſio non eſt coniuncta cum interno aſſenſu (vt fit in homine infideli, qui falsò profitetur ſe fidelem) tunc non eſt actus honeſtus, ſed vitioſus: Ergo habet ſuam honeſtatem ab interno aſſenſu, cum quo coniungitur. Hæc autem honeſtas pertinet ad virtutem fidei, quæ eſt in intellectu, & deſumitur ab infallibili authoritate Dei reuelantis. Sicut enim honeſtum eſt interno aſſenſu credere ea, quæ à Deo reuelata ſunt propter ipſius authoritatem: ita etiam honeſtum eſt, eadem exterius confiteri.

4 Secunda Conclusio. Externa confessio fidei non solùm est actus virtutis fidei quæ est in intellectu, sed etiam virtutis fidei quæ est in voluntate. Ratio est, quia ab illa virtute imperatur. Cùm enim sit actus liber, necesse est vt vel eliciatur, vel imperetur à voluntate: At non elicitur à voluntate: Ergo imperatur. Rursum, cùm sit actus honestus, debet imperari ab aliqua virtute, quæ est in voluntate. Denique cùm habeat eandem honestatem, quam habet assensus fidei, debet imperari ab ea virtute, à qua imperatur assensus fidei. Hic autem imperatur à virtute fidei, quæ est in voluntate: Ergo & externa confessio.

5 Tertia Conclusio. Externa confessio fidei in duobus conuenit cum interno assensu fidei. Primo, quia vterque actus habet honestatem virtutis fidei, quæ est in intellectu. Secundo, vterque imperatur à virtute fidei, quæ est in voluntate. Similiter in duobus discrepat. Primo, quia externa confessio, cùm sit actus corporeus & sensitiuus, immediate elicitur ab externa potentia corporea & sensitiua. At internus assensus cùm sit intellectualis, immediate elicitur à virtute fidei, quæ est in intellectu. Secundo, internus assensus intrinsece honestus est: externa confessio solùm extrinsece, quatenus est signum interni assensus.

6 Ad 1. argumentum initio allatum respondeo, externam confessionem, quando coniuncta est cum interno assensu, pertinere ad virtutem veracitatis, & simul ad virtutem fidei. Nam is qui confitetur fidem Christianam, non solùm verax, sed etiam fidelis est. Sicut è contrario, qui negat fidem Christianam, non solùm mendax, sed etiam infidelis est.

Ad 2. Sicut externa confessio fidei pertinet ad fidem, quando coniuncta est cum interno assensu: sic etiam externa negatio fidei pertinet ad infidelitatem, quando coniuncta est cum interna infidelitate.

Ad 3. Externa confessio, quatenus est voluntaria, imperatur à virtute fidei, quæ est in voluntate, vt dictum est.

II. QVÆSTIO.

An confessio Fidei sit necessaria ad salutem?

1 PRima Conclusio. Externa confessio fidei est necessaria ad salutem necessitate præcepti affirmatiui, quo iubemur profiteri fidem Christi suo tempore. Ita Diuus Thomas qu. 3. art. 2. Et colligitur ex illo Rom. 10. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Quæ verba explicans D. Augustinus in libro de fide & symbolo, cap. 1. ait: *Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ.*

2 Secunda Conclusio. Hoc præceptum, cùm sit affirmatiuum, non obligat pro omni tempore, sed pro aliquo. Tunc obligat, quando confessio fidei necessaria est vel ad honorem Dei, vel ad vtilitatem proximi. Tunc non obligat, quando ex confessione fidei nulla expectatur vtilitas, sed tantùm turbatio infidelium. Tunc enim licet occultare fidem, vt notat D. Thomas art. 2. ad 3. Et hoc sensu interpretatur illud Matth. 7. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Hæc conclusio magis explicabitur quæst. 4.

III. QVÆSTIO.

An aliquando liceat negare Fidem, præsertim ad vitandam mortem?

1 REfert Eusebius lib. 6. hist. Ecclesiast. cap. 37. fuisse olim hæreticos, qui dicerent, non peccare eos, qui in persecutionibus negant Christum voce, dummodo cum corde confiteantur. Idem senserunt Priscillianistæ, & alij apud Valentiam qu. 3. p. 2.

2 Prima Conclusio. Nullo modo licitum est externa

voce negare fidem Christianam, ne quidem ad euitandam mortem. Ita Dominicus Bannes qu. 3. art. 2. dub. 1, & alii passim. Et colligitur ex illo Matth. 10. 33. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et Lucæ 9. 26. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Vnde Augustinus tract. 66. in Ioan. *Quanta*, inquit, *vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Et ratio est, quia nulla de causa licitum est mentiri. Mentiretur autem, qui externa voce negaret fidem Christi, quam interius profitetur. Deinde, quia datur præceptum affirmatiuum de confessione fidei, vt præcedenti quæstione dictum. At omne præceptum affirmatiuum includit negatiuum de actu contrario, vt patet inductione.

3 Secunda Conclusio. Nullo etiam modo licitum est negare se Christianum esse, propter eadem fere rationes. Primo, quia hoc esset negare Christum. Secundo, esset mendacium. Et hoc bene confirmat Augustinus exemplo Petri, qui grauiter peccauit contra confessionem fidei, cùm negaret se nosse Christum. Hinc sequitur, eos simili modo peccare, qui rogati an Christiani sint, respondent se esse Turcas, aut Iudæos, aut Gentiles, cùm reuera sint Christiani. Nam hoc ipso negant se Christianos esse.

4 Quæres, An is peccaret contra confessionem fidei, qui negaret se esse Sacerdotem aut Religiosum, si alioqui esset? Respondeo. Peccaret quidem mentiendo contra veritatem (& esset mendacium officiosum, ac veniale, si fieret sine damno alterius) non tamen peccaret contra cõfessionem fidei. Non enim negaret fidé, sed statum. Nec negaret se Christianum esse, cùm multi sint Christiani, qui non sunt Sacerdotes aut Religiosi: sed negaret se esse in tali statu vel ordine Christianorum. Ita Caietanus & Azorius apud Thomam Sanches lib. 2. Moralium, c. 4. n. 10.

IV. QVÆSTIO.

An aliquando liceat tacere Fidem, vel dißimulare?

1 ALiud est negare fidem, aliud tacere, dissimulare, occultare. Prius nunquam licet, vt dictum est. De posteriori disputamus. De quo potest esse duplex quæstio. Vna, An aliquis possit tacere aut dissimulare fidem, quando rogatur à Iudæis, Turcis, vel Gentilibus; an sit Christianus? vel ab hæreticis, an sit Catholicus aut Pontificius? Altera, An aliquis existens apud Gentiles vel hæreticos tempore persecutionis, possit fugere, vel sese occultare, ne cogatur respondere de rebus fidei, & periculum vitæ euadat?

2 Prima Conclusio. Is qui interrogatur ab infidelibus intuitu fidei ac religionis, an sit Christianus aut Catholicus, potest se habere 4. modis. 1. si aperte negat se esse talem. 2. si aperte confiteatur. 3. si penitus taceat. 4. si ambigue respondeat, aut interrogantem eludat hoc vel simili modo, quid ad te? quorsum me rogas? Nunc quæritur, quid in his casibus illi liceat, vel non liceat. Ac primo, non licet negare se Catholicum aut Christianum esse, vt suprà dictum est.

3 Secundo, si interrogatur à publica persona, non licet illi tacere, aut ambigue tergiuersari, sed tenetur aperte confiteri se Catholicum aut Christianum esse, etiam cum periculo vitæ. Si à priuata, potest tacere, aut eludere, nec opus est aperte confiteri se talem esse. Ita Sanches loco citato, n. 6. vbi citat Valentiam & alios authores pro hac sententia.

4 Prior pars colligitur ex illo Lucæ 9. 26. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* At qui tacet aut dissimulat quando à publica potestate interrogatur an sit Christianus, censetur erubescere confessionem Christi: Ergo in die Iudicij erubescet eum Christus. Et confirmatur, quia exstat

præceptum affirmatiuum de confessione Christi, vt q. 2. dictum est. At hoc præceptū debet in aliquo saltem casu obligare. Non est autem alius casus, in quo sit maior necessitas confitendi fidem, quàm quando quis publica potestate interrogatur de fide. Quod ex D. Thoma q. 3. a. 2. sic ostendo. Tunc tenemur confiteri fidem, quando id exigit honor Dei: At honor Dei id maxime exigit in dicto casu: Ergo in dicto casu maxime tenemur confiteri fidem. Minor probatur, quia honor Dei est coniunctus cum honore fidei Christianæ, cuius author est Deus: Ergo vbi honor fidei Christianæ exigit confessionem, ibi etiam honor Dei eam exigit. At honor fidei tunc maxime exigit confessionem, quando maxime periclitatur; quod fit, cùm Christianus à publica potestate interrogatur de fide. Nam si tunc confitetur fidem, ostendit se magnum honorem illi deferre, quippe quam tanti facit, vt coram persecutoribus audeat eam profiteri, & paratus sit, si necesse est, vitā & sanguinē pro ea profundere. Si non confitetur, ostendit se contēnere, & parui facere Christi fidem, quia non audet eā palam agnoscere, sed mauult iuratis illius hostib. subseruire, quàm fidei patrocinium suscipere.

5 Posterior pars colligitur ex differentia, quæ est inter publicam & priuatam personam. Nam publica habet ius & potestatem interrogandi, ac proinde interrogatus tenetur illi respondere. Non potest autem respondere, nisi quod verum est. Ergo si interrogatur an sit Christianus, tenetur respondere se Christianum esse. At priuati homines non habent ius & authoritatem interrogandi & examinandi alios de rebus ad se non pertinentibus, ac proinde interrogati, non tenentur illis respondere. Possunt ergo vel tacere, vel interrogationem eludere, eo modo, quo suprà dictum est. Neque suo silentio aut elusione significant se non audere fateri veritatem, sed se parui facere interrogationem eorum, quorum nihil interest scire quales ipsi sint.

6 Dices 1. Persona publica, de qua hic agimus, est princeps vel magistratus infidelis, qui non habet potestatem examinandi Christianos de sua fide: Ergo doctrina nostra nititur falso fundamento. Respondeo. Apud suos subditos, & in suo regno vel prouincia, censetur habere talem potestatem, ac proinde est possessor bonæ fidei. Vnde fit vt sine scandalo nemo possit illi resistere, aut potestatem eius contemnere. Et ex hoc capite tenentur Christiani respondere, interrogati de sua fide.

7 Dices: Sicut cedit ad honorem Dei, quando quis confitetur se Christianum esse apud personam publicam: sic etiam, quando apud homines priuatos. Nam vtrobique significat se magni facere suam fidem, & pro illa paratum esse mori. Ergo vtrobique tenetur confiteri fidem. Respondeo. Negatur consequentia. Nam licet in vtroque casu confessio fidei cedat ad honorem Dei, non tamen in vtroque casu est necessitas confitendi fidem. In priori quidem est, quia necesse est respondere ei, qui habet publicam potestatem interrogandi, non autem ei, qui non habet.

8 Vbi notandum est, non solùm per confessionem fidei, sed etiam per alios actus virtutum, præsertim religionis, honorem Deo exhiberi. Ex quo tamen non sequitur, nos semper obligari ad huiusmodi actus, qui cedunt ad honorem Dei: sed tunc solùm, quando occurrit necessitas præcepti. Verbi gratia. Cedit ad honorem Dei, si Sacerdos quotidie offerat Deo sacrificium, & tamen non tenetur id quotidie præstare, sed tunc solùm, quando ex præcepto obligatur.

9 Quæ dicta sunt, intelligi debent cum hac limitatione: Nisi vtilitas proximorum aliud exigat. Nam fieri potest vt Christianus, quando à priuatis hæreticis aut infidelibus interrogatur de sua fide, ex hac parte teneatur confiteri se Christianum esse, licet aliàs non teneretur. Idque in duobus potissimum casibus. Primo, si adessent

alij

alij Christiani, qui grauiter offenderentur aut scandalizarentur ex ipsius silentio vel dissimulatione. Secundò, si adessent hæretici aut infideles, qui benè affecti essent erga fidem Christianam, & propter alterum, qui non auderet eam profiteri, inciperent dubitare de illius veritate. In vtroque casu teneretur fateri se Christianum. Sic intelligendus est D. Th. q. 3. ar. 2. & Azor lib. 8. inst. moral. c. 27. q. 1. & Toletus lib. 4. Sum. c. 2.

10 Secunda Conclusio. Homo Christianus, tempore persecutionis, potest fugere vel se occultare, ne cogatur respondere de rebus fidei, & sic periculum vitæ euadat. Est communis sententia. Et colligitur ex illo Matth. 10. 23. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quod etiam confirmatur exemplo Pauli Apostoli, qui cum custodirentur portæ ciuitatis, per murum in sporta dimissus est, vt posset fugere. (Act. 9. 25. & 2. Cor. 11. 33.) Et ratio est, quia qui fugit in tali casu; non significat per suam fugam, se non esse Christianũ, vel negare velle fidem Christi; sed potius contrarium, se nolle fidem Christi negare, & ideo fugere periculum negandi. Vel certè, se cupere adhuc diutius viuere, vt possit fidem Christi propagare, quod omnino Paulum spectasse credibile est.

11 Potest tamen fieri, vt huiusmodi fuga propter aliquam circunstantiam fiat illicita: præsertim in Pastore vel Episcopo, qui ratione officij tenetur manere apud suos subditos tẽpore persecutionis, etiam cum periculo vitæ: idque ex duplici causa. Primò, ne subditi fideles, qui manent in persecutione, relinquantur sine Pastore, cuius præsentia tunc maximè necessaria est. Nam vt rectè argumentatur Nicolaus Papa (cap. Scisciteris, 7. q. 1.) Si gubernator nauis in tranquillitate non debet deserere nauim, multo minus in tempestate. Ex quo infert, neque Pastorem in periculis persecutionum debere suos subditos deserere. Secundò, quia fuga Pastorum

solet esse occasio minoris æstimationis fidei, vt insinuat D. Tho. q. 3. art. 2. ad 2. Nam infideles insultant Christianis, & contemnunt eorum religionem, quando vident eam à propriis Pastoribus, in casu necessitatis, non defendi.

V. QVÆSTIO.

An aliquando liceat vsurpare ritus aut vestimenta infidelium.

1 HActenus dictum est, quomodo Christianus debeat se gerere circa confessionem propriæ fidei. Nunc videndum est, an possit aliquando simulare alienam sectam. quod dupliciter fieri solet. Primò, externis verbis, vt si dicat se Arianum, aut Iudæum, aut Turcam, aut Gentilem esse. Hoc nunquam licet, vt suprà demõstratum est: tum, quia hoc esset negare fidem Christi; tum etiam, quia esset apertum mandacium in re graui. Secundò externis signis cuiusmodi ferè sunt hæc. 1. Adorare idolum, vel incensum illi offerre. 2. Orare cum hæreticis vel aliis infidelibus in publico loco. 3. Conciones eorum audire. 4. Sacramenta cum illis participare. 5. Carnes cum illis comedere diebus ab Ecclesia prohibitis. 6. Eorum vestimentis vti.

2 Est ergo quæstio, An liceat homini Christiano & Catholico, apud hæreticos vel alios infideles, vsurpare huiusmodi signa, vt occultet se Christianum & Catholicum esse, ne fortè cognitus occidatur. Aliqui generatim putant licere, modò fiat animo simulandi tantùm, sine interna voluntate profitendi falsam sectam & religionem. Ita Adrianus in 4. quæst. 1. de Baptis. in responsione ad 5. Argum. Et videtur esse sententia D. Hieronymi in cap. 2. ad Galat. vbi ait: *Vtilem esse simulationem, & assumendam in tempore.* Et excusat Apostolos, qui per simulationem vsurparunt ceremonias Mosaicas, quæ tamen erant non solum mortuæ, sed etiam mor-

liferæ, vt loquuntur Scholastici, id est, non solùm erant abrogatæ, sed etiam illicitæ.

3 Hæc sententia probatur primò, exemplo Iehu Regis Israelitarum, qui simulabat se velle sacrificium offerre idolo Baal, vt haberet occasionem occidendi omnes Sacerdotes Baal, qui erãt in templo congregati. (4 Reg. 10.19.) Quam ipsius simulationem etiam Deus approbauit, (vt notat Adrianus,) cùm dixit ad Iehu: *Studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* (ibidem, v. 30.)

4 Secundò, probatur exemplo Dauidis, qui immutãdo faciem suam coram Rege Achis, simulabat se stultum esse, vt euaderet periculum mortis, quod putabat se imminere. (1. Reg. 21. 13.) Vtroque exemplo vtitur Hieron: & ex illo Adrianus ad hanc sententiam confirmandam. Et subdit Hieronymus: *Nec mirum iustos homines aliqua simulare pro tempore ob suam & aliorum salutem, cùm & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit, vt condemnans in carne peccatum, nos in se faceret iustitiam Dei.*

5 Tertiò, Exemplo Elisæi Prophetæ, qui etiam approbauit simulationem in causa religionis. Nam, (vt habetur 4. Reg. 5. 19.) cùm Naamam Syrus, vt satisfaceret suo Regi Gentili, statuisset animo simulato in templo Remmon adorare, petiuit ab Elisæo, vt pro se oraret Deum, vt hæc culpa ipsi ignosceretur. Elisæus autem respondit: *Vade in pace.* quasi diceret; Poteris hoc bona conscientia facere, si non habes animum adorandi falsum Deum, sed tantùm simulandi adorationem.

6 Quartò, Accedit ratio, quia simulatio falsæ religionis, nec est contra præceptum affirmatiuum, nec contra negatiuum: Ergo nullo modo est peccatum. Prior pars patet, quia affirmatiuum non obligat, nisi in certis casibus, vt dictum est: Ergo si quis extra illos casus simularet falsam religionem, non peccaret contra illud præceptum. Posterior etiam patet, quia præceptum

negatiuum ſolum prohibet, ne quis neget fidem ex vera intentione negandi : At qui ſimulat falſam religionem, non intendit negare fidem, ſed ſolùm quærit aliquam vtilitatem, vel ſuam, vel aliorum : Ergo non peccat contra præceptum negatiuum.

7 Quintò, probatur à ſimili, quia in aliis rebus licet vti ſimulatione, quando non vrget præceptum confitendi veritatem, vt ſi quis non legitimè examinetur à Iudice, poteſt diſſimulare veritatem, & Iudicem eludere : Ergo idem licebit facere in rebus fidei, præſertim ſi fiat ſine ſcandalo.

8 Notat Valentia q. 3. p. 2. dubio 4. hanc opinionem non videri omnino improbabilem. 1. Propter authoritatem Hieronymi & Adriani. 2. Propter exempla & argumenta, quibus confirmata eſt. 3. quia tametſi videatur fauere ſententiæ Priſcillianiſtarum, & aliorum hæreticorum, de quibus q. 3. dictum eſt, multum tamen ab ea differt. Nam illi dicebant, in omni caſu licitum eſſe negare veram fidem, & falſam profiteri, etiam cum mendacio & periurio, vt refert Aug. partim in lib. contra mendac. c. 2. partim hæreſi 70. vbi citat hoc illorum dogma : *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* At Hieronymus, & Adrianus non defendunt mendacium, periurium, aut ſcandalum, ſed ſolam ſimulationem, quæ ſine illis eſſe poteſt.

9 Alij tamen authores non probant hanc opinionem generatim acceptam, ſed vtuntur diſtinctione. Nam externa ſigna, quibus ſimulari poteſt falſa religio, tametſi multa ſint, vt dictum eſt, poſſunt tamen reuocari ad duo capita. Quædam enim propriè ac ſpeciatim inſtituta ſunt ad cultum falſæ religionis : Alia verò, tametſi propria ſint infidelium, non tamen inſtituta ſunt ad cultum falſæ religionis, ſed ad alium finem. Docent igitur priora eſſe illicita, & contra confeſſionem fidei, non item poſteriora. Ita Alexander Alenſis, Anto-

ninus, Nauarrus, Bannes, & alij apud eundem Valentiam loco citato.

10 Vt hæc doctrina melius intelligatur, & ad particulares casus accommodari possit, sigillatim agendum est de illis ignis, quæ initio enumerata sunt, & simul contraria argumenta dissoluenda. Quod faciam per sequentia dubia.

11 Primum Dubium. An homini Christiano liceat per simulationem adorare idola, vel incensum illis adolere? Respondeo. Non licet. Probatur 1. ex illo 2. Corinth. 6. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Vbi Apostolus damnat omnem communicationem cum infideli, quatenus infidelis est; ac præsertim communicationem in cultu idololatrico, seu adoratione falsorum Deorum. Deinde exemplo Marcellini Pontificis, quem omnes fatentur grauissimè peccasse, quod ob metum mortis idolis sacrificauerit, vt constat ex Pontificali Damasi, ex Concilio Sinuessano, & ex epistola Nicolai primi ad Michaëlem. Tertiò, exemplo multorum Martyrum, qui potuissent per simulatam actionem sacrificandi aut adorandi effugere mortem: Et tamen mori maluerunt, quàm hoc facere, quia putarunt hanc simulationem esse prohibitam. Quartò, ex consuetudine Ecclesiæ. Nam olim tempore Origenis solebant Christiani studiosè vitare omnes externos ritus gentilium in festis & sacrificiis. Vnde cum Celsus hæreticus hoc illis exprobraret, defensi sunt ab Origene, libro 8. contra Celsum.

12 Et ratio est, quia nullo modo licitum est mendacium. At qui per fictionem vel simulationem adorat idola, committit mendacium, non quidem verbo, sed facto, quia significat se esse idololatram, cùm non sit: Ergo nullo modo hoc illi licet. Nec obstat exemplum

Naaman Syri, qui adorauit in templo Remmon. Nam ipsius adoratio non fuit ceremonia religiosa, de qua hîc agimus, sed politica, vt paulò post dicam.

13 Secundum Dubium. An liceat orare cum hæreticis, aut aliis infidelibus in publico loco? Respondeo. Si naturam rei spectes, non est per se malum, sed indifferens ire ad templa hæreticorum aut gentilium. Potest ergo, ratione circunstantiarum, vel benè, vel malè fieri. Malè quidem, si fiat vel animo profitendi falsam religionem, vel cum aliorum offensione & scandalo, vel denique cum nostro vel alieno periculo. Bene, si his omnibus seclusis, bona intentione oremus Deum; Et aliunde sit rationabilis aliqua necessitas, cur ibi potius, quàm alibi id præstare opus sit. Quod duplici exemplo declarari potest. Primò, exemplo Catholicorum, qui habitant permixti cum hæreticis. Nam si Princeps illorum sit hæreticus, & mandet, vt omnes subditi, cuiuscunque sint fidei, orationis causa ad idem templum conueniant; poterunt Catholici bona conscientia id præstare, modo Princeps non mandet hoc in odium aut detrimentum religionis, sed ob alium finem licitum ac honestum. (Ita Azor libro 8. instit moral. capite 27. quæstione 5.) Deinde, exemplo serui Christiani, qui apud Turcas, vel Gentiles captus est. Nam si Dominus illius velit vti ipsius seruitio, non solum domi, sed etiam in templo potest seruitium illi præstare: & dum præstat, simul animum, orandi studio, ad Deum attollere. Ita Azor ibidem, quæst. 7.

14 Et hoc fecit Naamam Syrus, quando adorauit in templo Remmon. Nam adoratio ipsius non erat actus religionis quo colebat falsum Deum; sed erat seruitium politicum, quod licitè præstabat suo Regi. Vnde magna fuit differentia inter ipsum & Regem. Nam adoratio Regis fiebat intuitu religionis. Cùm enim esset homo gentilis, colebat idolum externa adoratione, seu

genuflexione. Adoratio verò alterius fiebat intuitu obsequij ciuilis. Cùm ergo flectebat genu ante idolum, non alio animo faciebat, quàm vt suo Regi similiter genua flectenti, famulandi studio subseruiret. Ita Abulensis in librum quartum Regum, capite 5. quæstione 25. Lyranus ibidem circa textum, & Azor loco citato Pro quo notandum est, fuisse morem Regis Syriæ, vt inniteretur humeris alterius, siue in templo, siue in foro; & ideo famulum, cuius humeris innitebatur, debuisse ex officio hoc obsequium illi præstare, vbicunque Rex esset. Si ergo Rex vel staret, vel ambularet, vel genuflecteret, necesse erat famulum etiam stare, vel ambulare, vel genuflectere, non intuitu religionis, sed ratione politici obsequij, quod quilibet seruus tenetur exhibere suo Domino.

15 Dices: Si Naaman potuit adorare in templo Remmon, eo modo, quo iam explicatum est; quare ergo petiuit ab Elisæo, vt à Deo impetraret illi remissionem seu condonationem huius facti? Respondeo. Hoc ideo fecit, quia putabat esse peccatum. Elisæus autem respondit, non esse.

16 Tertium Dubium. An liceat conciones hæreticorum audire, præsertim in illis locis, vbi Catholici hæreticis permixti sunt? Ratio dubitandi est, quia talis ceremonia est instituta ad cultum falsæ religionis: Ergo semper est illicita, iuxta authores qui numero 9. citati sunt. Contrà verò est, quia multi viri boni sine scrupulo audiunt conciones hæreticas, quos damnare non possumus. Respondeo. Aliud est, habere conciones hæreticas, aliud, audire. Prius per se malum est, quia nunquam licet docere hæresim. Posterius ex se indifferens est, & potest benè ac malè fieri. Malè quidem, si fiat vel animo discēdi hæresim, vel cum scandalo aliorum, vel cum periculo subuersionis. Benè, si his malis secluſis, fiat in eum finem, vt hæreticorum

errores facilius ac securius refutentur.

17 Hinc patet, tametsi actio docendi hæresim per se instituta sit ad cultum falsæ religionis, & ideo semper illicita; tamen actionem audiendi conciones hæreticas non esse determinatam ad vnum finem, sed ad varios institui ac ordinari posse. Primo, ad cultum falsæ religionis. Sic illicita est. Secundò, ad confutationem erroris. Sic licita est, modo absit scandalum & periculum. Idem fit in contrario. Nam etiam audire fidem Christi, potest referri ad diuersos fines. Primò, ad discendam fidem Christi. Sic olim faciebant multi Iudæi & gentiles, qui à Christo & Apostolis conuertebantur. Secundò, ad oppugnandam fidem Christi. Sic faciebant Pharisæi, & nunc Prædicantes Lutherani ac Caluinistæ.

18 Quartum Dubium. An liceat Sacramenta cum hæreticis participare? Respondeo 1. Certum est, non licere cum Caluinistis & Lutheranis Eucharistiam participare, quia vel ipsi non habent verum Sacramentum Eucharistiæ, ex defectu Sacerdotum consecrantium: Vel, si aliquando habent, quod rarum est, docent peculiarem errorem fidei circa idem Sacramentum. Nam Caluinistæ negant Corpus & Sanguinem Christi realiter esse in Sacramento. Lutherani, concedunt quidem adesse, sed simul affirmant, manere substantiam panis & vini cum substantia Corporis & Sanguinis Christi. Si ergo Catholici cum illis communicarent, viderentur fauere ipsorum errori.

19 Respondeo 2. Etiam certum est, non licere Baptismum petere à Lutheranis aut Caluinistis extra casum necessitatis; quia licet ipsi verũ Baptismum administrent, adhibita legitima materia & forma cum intentione baptizandi, tamen cum eundem Baptismum possimus petere à Catholicis, impium & scandalosum est confugere ad hæreticos. Dixi, extra casum neces-

tatis. Nam si esset vrgens necessitas, & non adesset Catholicus, qui Baptismum conferret, liceret accipere ab hæretico. Ratio est, quia Baptismus, qui à Lutheranis & Caluinistis confertur, non est institutus ad cultum falsæ, sed veræ religionis. Est enim idem Baptismus cum nostro: nec in eo differunt Lutherani & Caluinistæ à nobis. Igitur in necessitate possumus illum ab ipsis petere.

20 Respondeo 3. Denique certum est, generatim loquendo, non licere Catholicis Matrimonium contrahere cum hæreticis. Primo, quia facerent contra apertam prohibitionem Ecclesiæ. (cap. *Caue.* & cap. *Non oportet.* 28. q. 1.) Secundo, præberent aliis scandalum. Tertio, se & liberos suos exponerent periculo subuersionis. Quarto, committerent sacrilegium, prophanando Sacramentum Matrimonij, dum illud hæreticis administrarent. Quæ omnia fusè prosequitur noster Serarius in peculiari tractatu, cui titulus est, *De Catholicorum cum hæreticis Matrimonio.*

21 Solet tamen speciatim disputari, An Catholici in Germania possint contrahere cum hæreticis, præsertim cum iam vsu id receptum sit. Affirmant Azor lib. 8. Inst. Moral. cap. 11. quæst. 5. & Sanches lib. 7. de Matrimonio disp. 27. nu. 5. qui citant pro se Nauarrum. Alij negant. Ego sic sentio: Catholicos in Germania posse aliquando excusari à tribus prioribus peccatis iam enumeratis. A primo, quia canones illi, qui prohibent talia Matrimonia, vel non sunt recepti in Germania, vel certè per contrariam consuetudinem abrogati. A secundo, quia in Germania cessat scandalum. A tertio, quia fieri potest, vt coniunx Catholicus sit tam firmus & fundatus in fide, vt non sit periculum subuersionis. Deinde, potest ab initio contractus excipere, vt proles Catholicè educetur. De quarto plus dubij est, an possint excusari à sacrilegio. Occurrunt duo modi excusandi. Vnus, si

Catholicus inculpabiliter ignoret contractum esse sacrilegum. Alter, si habeat certam spem de conuersione alterius, quod dupliciter fieri potest. Primo, ex parte Catholici, vt si ipse speret cum gratia Dei se effecturum, vt vxor hæretica conuertatur. Secundo, ex parte vxoris hæreticæ, vt si ipsa sic affecta sit, vt omnino cupiat esse Catholica. Hæc posterior spes sufficit ad licitè contrahendum. Sed de hac re plura in materia de Sacramentis.

22 Quintum Dubium. An liceat homini Catholico diebus ab Ecclesia prohibitis, comedere carnes in hospitiis hæreticorum, vt hoc modo dissimulet se esse Catholicum, ad vitandum periculum, quod illi creari possit, si cognosceretur esse Catholicus. Ratio dubitandi est, quia non licet negare veram fidem, & falsam profiteri. At si Catholicus tali tempore comederet carnes, iam ipso facto significaret, se non esse Catholicum, sed Lutheranum aut Caluinistam. Et confirmatur exemplo Eleazari, qui in simili casu, elegit mori potius quàm suillam carnem comedere, quæ Iudeis erat prohibita. (2. Machab. 6. 18.)

23 Respondeo. Catholicus in tali casu potest duobus modis se gerere. Primo potest prætexere aliam causam, cur velit abstinere à carnibus, vt v. g. debilitatem stomachi, vel nauseam, vel aliquid simile: modo fiat sine mendacio. Secundo, si vel non occurrit, vel certè non putatur sufficere huiusmodi excusatio, tunc distinguendum est. Nam si sit apud Lutheranos, vbi non est periculum vitæ, sed tantum irrisionis, debet abstinere à carnibus, & se Catholicum fateri: cùm irrisio non sit tanti momenti, vt propter illam debeat violari lex Ecclesiæ. Si autem sit apud Caluinistas, & maximè in Anglia, vbi viget persecutio, ita vt sine vitæ periculo non possit fateri se esse Catholicum; licebit illi, secluso scandalo, vesci carnibus, & hoc modo, ad vitandam mor-

rem, Catholicam fidem dissimulare. Ita Azor lib.8.cap. 27. quæst. 3.

24 Ratio est, quia esus carnium non est institutus ad professionem falsæ religionis, cùm sit per se indifferens: Nec abstinentia à carnibus instituta est ab Ecclesia ad discernendos Catholicos ab hæreticis, sed ob alium finem, nempe ad castigandam carnem, & immoderatam eius libidinem refrænandam. Lex autem humana non obligat cum periculo vitæ, quando vtilitas, quæ nascitur ex legis obseruatione, non est tanti momenti, quanti est vita hominis Catholici, vt in Tractatu de Legibus cap. 6. quæst. 4. explicatum est. In hoc autem casu, quæ vtilitas sperari potest, si Catholicus abstinendo à carnibus, prodat se Catholicum esse? Vix alia, quàm vt acuat in se furorem Caluinistarum, & cogatur alios Catholicos patefacere, ac in idem vitæ discrimen adducere. Sic in Anglia vsitatum est.

25 De Eleazaro fuit alia ratio. Primo, quia non erat lex humana, sed diuina, quæ prohibebat carnem suillam. Diuina autem magis obligat quàm humana. Secundo, publicè constabat, Eleazarum esse Iudæum: Et hoc agebatur, vt Iudaicam religionem, quæ erat vera, transgressione legis palam abiuraret: ex quo magnum scandalum apud alios Iudæos, qui præsentes aderant, fuisset secuturum, vt ipsemet fatebatur. Si nunc eodem modo constaret, aliquem esse Catholicum, & in odium Catholicæ religionis publicè iuberetur legem Ecclesiasticam violare, deberet mortem potius eligere, quàm id facere. Aliud est, quando id non constat: Et sine vllo scandalo & contemptu omittitur id, quod lege humana constitutum est.

26 Sextum Dubium. An liceat homini Christiano, quando inter infideles versatur, assumere vestem, vel aliud signum externum, quod proprium est hominibus illius sectæ, apud quos agit. V. g. An liceat in Turcia, assu-

mere habitum, qui Turcarum proprius est. Et sic de aliis. Idque eo solum fine, vt occultet se Christianum esse, ne fortè cognitus occidatur.

27 Nota, vestem (vel aliud signum externum) tribus modis posse esse propriam infidelium. Primo, vt sit propria alicuius falsæ sectæ, propter finem politicum, nempe, vt homines vnius sectæ, per vestem seu habitum sibi proprium, distinguantur ab hominibus alterius sectæ. Sic Turcæ gestant albam Tobaliam in capite, quam alij infideles non gestant. Et Iudæi, Romæ quidem, gestant flauum signum in pileo; Francfurti verò, flauum circulum in pallio, quo ab aliis, non modò Christianis, sed etiam infidelibus secernuntur. Secundo, vt sit propria alicuius falsæ sectæ, non propter finem politicum, sed ad eam ipsam sectam profitendam seu protestandam. Nam sicut inter Christianos, qui publicè gestant Rosarium, profitentur se Catholicos esse; sic inter infideles, qui gestant hunc vel illum habitum (quem ipsi norunt) profitentur se esse huius vel illius sectæ. Tertio, vt sit propria alicuius falsæ sectæ, ad cultum falso Deo exhibendum. Sic Mauri dicuntur habere specialem vestem, in qua est imago Mahumeti aut Lunæ, ad diuinum cultum destinatam.

28 Hoc posito, tres sunt probabiles opiniones. Prima est, Nullo modo, ne quidem ad mortem vitandam, licitum esse homini Christiano, assumere aliquam vestem vel habitum, qui sit proprius infidelium, quocunque tandem modo proprius sit: Et eos peccare mortaliter, qui assumunt. Ita Caietanus in 2.2. quæst. 3. art. 2. & Toletus lib. 4. Summæ, cap. 2. vbi dicit esse communem sententiam. Ratio est, quia qui gestat proprium habitum alicuius sectæ, profitetur se esse illius sectæ: sicut, qui Romæ gestat flauum signum in pileo, profitetur se esse Iudæum: Et qui in Turcia gestat albam Tobaliam in capite, profitetur se esse Turcam. At nun-

quam licitum est profiteri falsam sectam: Ergo nunquam licitum est gestare proprium habitum alicuius falsæ sectæ. Et confirmatur, quia perinde est, siue quis verbo, siue facto profiteatur falsam religionem: At verbo profiteri, nunquam licet: Ergo nec facto.

29 Altera est, Licitum esse homini Christiano, ad vitandam mortem (quando præceptum confessionis fidei non obligat) assumere proprium habitum alicuius falsæ sectæ, qui institutus est ad dignoscendam vnam sectam ab alia: Itemque, qui institutus est ab ipsis infidelibus ad falsam sectam profitendam vel protestandam: Non tamen, qui specialiter determinatus sit ad cultum vel honorem falsis Diis exhibendum. Ita Azor lib. 8. Instit. Moral. cap. 27. quæst. 4. & Thomas Sanchez lib. 2. Moral. cap. 4. num. 19. & sequentibus.

30 Prima pars probatur, quia talis habitus, tametsi proprius sit alicuius falsæ religionis, ad eam ab aliis discernendam, hoc tamen non habet ex natura sua, sed solùm ex ordinatione alicuius vel aliquorum hominum: Sicut quod flauum signum in pileo sit proprium symbolum Iudæorum, non est ex natura rei, sed ex solo mandato Pontificis, qui voluit, vt per hoc symbolum Iudæi, qui Romæ sunt, discernerentur ab aliis, qui Iudæi non sunt. Ergo ex natura sua manet indifferens ad aliquid aliud significandum. Imo, non obstante hoc Pontificis decreto, posset Rex Galliæ in suo regno ordinare, vt omnes Catholici vtantur eodem symbolo, quo ab Hugonottis distinguantur. Sicut ergo Catholici in Gallia per hoc symbolum non profiterentur se Iudæos esse, ita nec alij Christiani, qui vtuntur eodem symbolo ad periculum mortis euitandum.

31 Et confirmatur primo, quia si esset peccatum mortale, vti tali habitu, sequeretur hos omnes peccare mortaliter. Primo, Turcas, portando habitum Turcium. Secundo, Iudæos, portando flauum signum in pileo.

Tertio, Pontificem, mandando & ordinando, vt Iudæi portent eiusmodi signum. Qui enim mandat vt alius peccet mortaliter, etiam ipse peccat mortaliter. Quarto, Christianos, qui in suis triremibus vtuntur signis Turcarum, vt incolumes euadant. Quinto, Speculatores Christianorum Principum, qui in proprio Turcarum habitu, expiscantur arcana ipsorum consilia. Sexto, Catholicos, qui in bello contra Hugonottos, affigunt signa vexillis suis, quæ Hugonottorum propria sunt. Quis autem credat hæc omnia esse peccata mortalia?

32 Confirmatur 2. Ex differentia, quæ est inter voces & alia signa externa. Nam voces, generatim loquendo, ex natura sua institutæ sunt ad significandos animi conceptus. Quod autem hæc vox in particulari significat hunc animi conceptum in particulari, hoc quidem non habet ex natura sua, sed communi hominum placito seu consensu, qui in ista re constans est. At vestes & similia signa externa nullo modo ex natura sua instituta sunt ad falsam religionem significandam aut profitendam: Ergo ex natura sua sunt indifferentia ad aliquid aliud significandum. Sicut ergo ex sola voluntate paucorum determinata sunt ad falsam sectam significãdam, sic ex aliorum voluntate possunt determinari ad contrarium, vel diuersum significandum. Quidquid enim ex natura sua indifferens est ad multa, tam benè determinari potest ad vnum ex illis, quàm ad alterum.

33 Secunda pars probatur ex dictis, quia illa institutio infidelium, qua ipsi ordinãt, vt hæc vel illa vestis sit protestatio huius vel illius sectæ, non potest mutare naturam vestium, ac proinde non potest efficere, vt hæc vestis ex natura sua non maneat indifferẽs ad aliquid aliud protestandum. Sicut ergo, cùm ex se indifferens sit, potuit ab infidelibus deputari ad falsam sectam profitendam; ita potest à Christianis deputari ad aliquid aliud profitendum. Cur enim non liceat Christianis assumere

aliquam veſtem in bonum vſum, quam infideles aſſumunt in malum? Vbi notandum eſt, infideles peccare, quando vtuntur habitu, qui ab ipſis inſtitutus eſt ad profitendam falſam fidem: Non item, quando vtuntur habitu, qui vel ab ipſis, vel à Pontifice inſtitutus eſt ad diſcernendam vnam ſectam ab alia. Nam aliud eſt, externo ſigno profiteri falſam fidem, quod non licet: aliud externo ſigno diſtinguere vnam ſectam ab alia, quod licet.

34 Tertia pars probatur, quia omnis cultus, qui exhibetur falſis Diis, eſt idololatricus: Ergo qui per ſpecialem veſtem ad id deputatam, exhibet talem cultum, committit peccatum idololatriæ.

Dices: Licet huiuſmodi veſtis ſpeciali ratione ab ipſis infidelibus deputata ſit ad cultum idololatricum, nihilominus ex natura ſua manet indifferēs, vt iam dictum eſt: Ergo à Chriſtianis poteſt deputari ad alium vſum, in quo nullum ſit peccatum. Reſpondeo. Quando veſtis ex ſola voluntate infidelium deputatur ad malum vſum, tunc à Chriſtianis poteſt determinari ad bonum vſum. Et ſic intelligi debent, quæ ſupra dixi. Quando autem veſtis non ſolùm ex voluntate infidelium, ſed etiam per expreſſam formam vel effigiem determinatur ad cultum idololatricum, vt v. g. per effigiem idoli, vel falſi numinis, tunc à Chriſtianis non poteſt publicè vſurpari (niſi in comœdiis) quamdiu retinet illam formam vel effigiem ſibi impreſſam. Nam tunc, moraliter loquendo, non ſolùm ex intentione hominum, ſed etiam quodammodo ex parte rei, propter effigiem reipſa impreſſam, cenſetur determinari ad idololatriam.

35 Tertia opinio eſt quaſi media inter duas præcedentes. Et tria dicit. Primo, licitum eſſe Chriſtianis, ad vitandam mortem (quando præceptum confeſſionis fidei non obligat) vſurpare veſtem, quæ ſit propria infidelium, propter ſolum finem politicum, nempe ad

distinguendos homines vnius religionis ab hominibus alterius. In eo consentit cum secunda opinione. Secundo, Non esse licitum Christianis vsurpare vestem, quæ speciatim deputata sit ad cultum falsæ religionis. In eo consentit cum vtraque. Tertio, Nec esse licitum vsurpare vestem, quæ instituta sit ad falsam sectam profitendam vel protestandam. Quod est contra secundam opinionem. Et probatur ex dictis. Primo, quia perinde est, siue quis verbo, siue facto profiteatur falsam religionem: At verbo profiteri nunquam licet, vt concedunt authores 2. opinionis: Ergo nec facto. Maior est D. Thomæ quæst. III. art. 1. vbi sic ait: *Non refert autem, vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto.* Ergo à pari, Non refert, vtrum aliquis voce, vel alio externo signo profiteatur falsam sectam. Nec obstat differentia, quam assignant prædicti authores inter voces & alia signa externa. Tametsi enim metaphysicè & abstractè loquendo, vera sit; tamen moraliter, & in casu particulari non videtur habere locum. Nam sicut hæc vestis ex sola hominum voluntate determinatur ad hanc falsam sectam profitendam; ita etiam hæc vox ex solo hominum placito determinatur ad hunc animi conceptum significandum. Rursum, sicut hæc vestis ab alio determinari potest ad aliquid aliud profitendum; ita hæc vox ab alio determinari potest (quod sæpè fit) ad aliquid aliud significandum. Denique, sicut is, qui verbo vsitato profitetur sectam Turcarum, moraliter ab omnibus habetur pro Turca; ita etiam is, qui veste vel signo vsitato profitetur eandem sectam, similiter habetur pro Turca. Ergo moraliter loquendo, vix apparet differentia.

36 Secundo, quia nunquam licet vsurpare vestem, aut aliud signum externum, quod ad cultum falsæ religionis institutum est, vt etiam concedunt authores 2. opinionis: At vestis, quæ deputata est ad professionem seu protesta-

protestationem falsæ sectæ, consequenter deputata est ad cultum falsæ religionis. Ergo nunquam licet illam vsurpare. Minor probatur, quia ipsamet professio seu protestatio cuiuscunque religionis, ex natura sua ordinatur ad cultum eiusdem religionis. Nec vllus potest esse maior cultus alicuius sectæ vel religionis, (loquor de externo cultu, de quo solo hic agimus) quàm publica ipsius professio seu protestatio, externo signo facta, vt patet inductione.

Nam in veteri Testamento, præcipuus cultus fidei ac religionis Iudaicæ consistebat in sacrificiis & Sacramentis Mosaicis. Quare hoc? Quia per ipsa sacrificia & Sacramenta Mosaica profitebantur & protestabantur homines fidem ac religionem Iudaicam. Similiter in nouo Testamento, præcipuus cultus exhibetur fidei ac religioni Christianæ per Baptismum & sacrificium Missæ. Quare hoc? quia ipsa Baptismi susceptio, & sacrificij Missæ oblatio, est quædam realis professio fidei ac religionis Christianæ.

37 Vnde sic concludo: Omne signum vel ceremonia externa, quæ instituta est ad protestandam aliquam fidem vel religionem, ex natura suæ institutionis ordinatur ad cultum illius fidei ac religionis: At quædam vestes infidelium institutæ sunt ad protestandam falsam religionem: Ergo ex natura suæ institutionis ordinantur ad cultum falsæ religionis: Ergo nullo modo licet eas vsurpare. Hæc opinio sic explicata videtur esse probabilior.

38 Adhuc supereſt vna difficultas, similis præcedenti. In præcedenti quæsitum fuit, An liceat homini Christiano inter infideles versanti vsurpare aliquam vestem vel signum, quod est proprium infidelium? Nunc quæritur, An liceat homini Christiano inter infideles versanti, deponere aliquam vestem vel signum, quod est proprium Christianorum, vt sic dissimulet se esse Chri-

ſtianum. V.G. Si Turca in ſuo regno conſtitueret legem, vt omnes Chriſtiani, qui in illo regno ſunt, vtantur peculiari veſte, qua agnoſcantur eſſe Chriſtiani; an liceat alicui Chriſtiano, propter periculum mortis, eam veſtem deponere, ne agnoſcatur. Aliqui reſpondent cum hac diſtinctione. Si illa veſtis, vel aliud ſignum publica lege inſtitutum ſit, propter finem tantum politicum, nempe vt in Republica diſcernantur Chriſtiani ab infidelibus, tunc licet. Si autem publica lege inſtitutum ſit ad ſignificandam Chriſtianæ fidei profeſſionem, tunc non licet, præſertim ſi illa lex paſſim obſeruetur, & ſit in vigore. Ita Caietanus ſuprà. Ratio eſt, tum quia illa lex in tali caſu non debet negligi: tum etiam, quia habet vim interrogationis de fide, publica authoritate factæ. Qui autem publica authoritate interrogatur de fide, tenetur eam confiteri.

39 Alij rectius docent in vtroque caſu licere, ad vitandam mortem, modo abſit ſcandalum, & aliunde præceptum confeſſionis fidei non obliget. Ita Sanches loco citato, n. 29. & alij ab eo citati. Ratio ſumitur à contrario, quia ſi non liceret dimittere eiuſmodi veſtem aut ſignum, ad vitandam mortem, vel id eſſet propter legem, quæ præcepit vſum illius ſigni, vel certè quia lex illa habet vim interrogationis publica authoritate factæ, vt obiicitur. Non prius, quia lex humana non obligat cum periculo vitæ, vt ſuprà in ſimili caſu dictum eſt. Nec poſterius, quia lex, quæ aliquid abſolutè præſcribit, non cenſetur habere vim interrogandi: Alioqui in qualibet alia lege includeretur huiuſmodi interrogatio, quod eſt inauditum.

40 Vltimo loco reſpondẽdum eſt ad argumenta Adriani, quæ initio quæſt. §. 3. & ſequentibus allata ſunt.

Ad 1. Iehu per illam ſimulationem peccauit, vt apertè docet D. Thom. quæſt. 111. art. 1. ad 2. & D. Auguſt. lib. contra mendacium, cap. 2. vbi id confirmat ex illo

4.Reg.10.31. *Iehu non custodiuit, vt ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo.* Nec verum est quod Deus illam approbauerit: sed solum laudauit factum Iehu in eo quòd omnes Sacerdotes Baal occiderit, & domum Achab funditus deleuerit, vt ex contextu patet. Vnde D. Thomas & Augustinus affirmant, illum accepisse aliquantulum mercedem transitoriam regni temporalis, non pro illa simulatione, sed pro nonnulla obedientia, quam Deo exhibuit in delenda domo Regis Achab.

41 Ad 2. Dauid coram Rege Achis non simulauit falsam religionem, de qua hic agimus; sed stultitiam & morbum. An licitè, quæstio est. D. Thomas loco citato, tametsi asserat omnem simulationem esse peccatum, eo quod omnis simulatio sit mendacium; conatur tamen excusare Dauidem, quasi ipsius factum non fuerit propriè simulatio, sed fictio figuralis.

42 Ad 3. Adoratio Naaman Syri non fuit cerimonia religiosa, sed politica & licita, vt dictum est §.14. Ad 4. Simulatio falsæ religionis est contra præceptum negatiuum, quo non solum prohibetur externa negatio veræ fidei, aut externa professio falsæ fidei, quatenus coniuncta est cum interna intentione negandi aut profitendi, sed etiam quatenus secundum se sola spectatur.

43 Ad 5. Simulatio propriè sumpta semper est illicita, quia semper est mendacium, vt ex D. Thoma dictum est. Simulatio largè sumpta pro quacunque fictione, tunc est prohibita, quando est mendacium; secus, si non est mendacium. Semper autem est mendacium in materia religionis, quando fit per eas res, quæ institutæ sunt ad cultum falsæ religionis, quia in tali casu semper significat falsam religionem esse veram, & contrariam esse falsam. In aliis rebus non semper est mendacium, quia potest fieri per talia verba vel signa, quæ non sunt instituta ad falsum significandum.

Caput X.

De habitu Fidei.

1 Supponò duplicem esse habitum fidei supernaturalem: Vnum in intellectu, ad eliciendum assensum fidei: Alterum in voluntate, ad imperandum assensum fidei. Ita D. Thom. q. 4. art. 2. in corpore, & ad 2. Ratio est, quia omnis actus supernaturalis, secundum viam ordinariam, requirit habitum supernaturalem, à quo producatur: At assensus fidei, qui est in intellectu, est actus supernaturalis: Ergo requirit habitum supernaturalem in intellectu. Similiter actus voluntatis, quo imperatur assensus fidei, est supernaturalis, vt c. 8. q. 5. probatum est: Ergo requirit habitum supernaturalem in voluntate.

2 Hoc posito, quæritur 1. quomodo inter se differant isti duo habitus. 2. an prior habitus, qui est in intellectu, sit propriè virtus. 3. an etiam posterior, qui est in voluntate, sit propriè virtus. 4. quæ & qualis sit illa virtus.

3 Prima Conclusio. Habitus fidei, qui est in intellectu, tribus modis distinguitur ab habitu fidei, qui est in voluntate. Primo, ex parte actus. Nam actus prioris est, Credere seu assentiri: posterioris, imperare assensum. Secundo, ex parte obiecti materialis. Nam prior habitus immediatè versatur circa mysteria fidei, quibus assentitur: posterior circa assensum ipsum, quem imperat. Tertio, ex parte obiecti formalis. Nam prior tendit in mysteria fidei propter authoritatem Dei reuelantis. Posterior in assensum fidei, propter illius honestatem.

4 Secunda Conclusio. Habitus fidei, qui est in intellectu ad eliciendum assensum fidei, est virtus propriè dicta. Ita D. Thom. q. 4. art. 5. vbi tamen loquitur cum distinctione, asserens fidem formatam esse propriè virtutem; non autem fidem informem. Quod sic explico.

Fides potest duobus modis in nobis existere. 1. vt est coniuncta cum charitate, quod fit in homine iusto. 2. vt est separata à charitate, quod fit in homine peccatore, qui amissa per peccatum mortale charitate, retinet fidem, quamdiu Catholicus est.

5 Igitur fides, quæ est coniuncta cum charitate, dicitur formata & viua, quia charitas est vita animæ, ac proinde quando fides habet adiunctam charitatem, potest elicere operationes vitales, seu æternæ vitæ meritorias. Hoc sensu intelligitur illud Galat. 5. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, vt exponit Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 18.

6 Fides verò, quæ est separata à charitate, dicitur informis & mortua, quia sine charitate non potest habere operationes vitales seu meritorias. De hac loquitur Iacobus in Epist. sua canonica, cap. 2. 17. cùm ait: *Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa.* Et infrà: *Fides sine operibus mortua est.* Et iterum: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Et Augustinus loco citato; *Ipsam fidem non facit vtilem, nisi charitas: Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Et huiusmodi fidem habuerunt illi, de quibus dictum est, Ioan. 12. 42. *Multi ex Principibus crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

7 Itaque Diuus Thomas dicit, fidem coniunctam cum charitate, esse propriè virtutem, non autem separatam à charitate. Ratio ipsius est, quia actus virtutis debet esse perfectus: At actus fidei formatæ est perfectus non autem fidei informis: Ergo fides formata est virtus, non autem fides informis. Minorem probat, quia actus fidei est credere, seu assentiri rebus à Deo reuelatis, ex imperio voluntatis. Vt ergo hic actus sit perfectus,

duo requiruntur: Vnum ex parte intellectus, vt actus ille sit infallibilis, & nitatur diuina authoritate: Alterum ex parte voluntatis, vt actus ille ordinetur ad finem vltimum, & sit meritorius vitæ æternæ. Vtramque perfectionem habet actus fidei formatæ: Ergo fides formata est propriè virtus. Actus autem fidei informis habet quidem priorem perfectionem, non tamen posteriorem, & ideo fides informis non est propriè virtus. Hæc est sententia D. Thomæ. An autem hoc necessarium sit ad rationem virtutis, vt actus eius sit meritorius, patebit ex sequenti conclusione.

8 Tertia Conclusio. Habitus fidei, qui est in voluntate ad imperandum assensum fidei, est virtus propriè dicta, non minus, quàm habitus iustitiæ aut religionis, etiamsi non habeat adiunctã perfectionem extrinsecam, quæ oritur ex coniunctione charitatis. Ratio sumitur ex duobus principiis. Vnum est, quod omnis habitus, qui operatur circa aliquam materiam difficilem propter peculiarem honestatem, sit virtus propriè dicta. Sicut enim turpitudo pertinet ad vitium; ita honestas ad virtutem: Et sicut omnis habitus, qui operatur cum turpitudine, vitiosus est; sic omnis habitus, qui operatur cum honestate, virtuosus est. Alterum, quod ad rationem virtutis non requiratur, vt actus ipsius sit meritorius. Nam esse meritorium, est perfectio quædam accidẽtaria, quæ à virtute abesse potest. Hoc patet primo in virtutibus iustitiæ, temperantiæ, religionis, quæ sunt veræ virtutes, etiamsi non sint coniunctæ cum charitate, cum tamen sine charitate non sint meritoriæ. Deinde, in omnibus virtutibus beatorum in cœlo, quæ licet perfectissimæ sint, non tamen merendi vim habent.

9 Quid autem obiicitur, actum virtutis debere esse perfectum, verum quidem est, sed sufficit, si in suo genere sit perfectus. V. G. Actus virtutis, quæ est in intellectu, in suo genere perfectus est, quando perficit in-

tellectum, in ea materia, circa quam versatur. Similiter actus virtutis, quæ est in voluntate, in suo genere perfectus est, quando perficit voluntatem in ea materia, circa quam versatur. Perfectio intellectus est veritas: perfectio voluntatis, honestas operationis. Igitur virtus intellectualis est, quæ in aliqua materia perficit intellectum, vt à veritate aberrare non possit. Virtus voluntatis est, quæ in aliqua materia perficit voluntatem, vt ab honestate deficere non possit. Hinc sequitur, habitum fidei infusæ, qui est in intellectu, esse propriè virtutem, quia ita perficit intellectum circa mysteria fidei, vt in iis non aberret à veritate. Habitum autem opinionis & fidei humanæ, non esse propriè virtutem, quia non ita perficit intellectum, vt errare non possit. Ita D. Thom. q. 4. art. 5. ad 2.

10 Quarta Conclusio. Hæc virtus, quæ est in voluntate, ad imperandum assensum fidei, non est propriè charitas aut obedientia, sed peculiaris virtus à Deo infusa, quæ ab omnibus aliis distinguitur. Ita Molina in Concordia q. 14. art. 13. disp. 8.

11 Prima pars probatur, quia charitas inclinat ad diligendum Deum & proximum propter bonitatem Dei. At virtus, de qua agimus, inclinat ad assensum fidei, propter creatam ipsius honestatem; Ergo hæc virtus, ratione vtriusque obiecti, differt à charitate. Imo potest esse sine charitate, vt patet in Christiano peccatore, qui habet fidem sine gratia & charitate.

12 Secunda pars probatur, quia virtus obedientiæ, vt docet D. Thomas quæst. 4. art. 7. ad 3. versatur tantum circa materiam præceptam, quatenus præcepta est, seu quatenus habet rationem debiti. At virtus, de qua agimus, versatur circa assensum fidei, non quatenus præceptus est, sed quatenus in se honestus est, siue alioqui præceptus sit, siue non sit.

13 Tertia pars probatur ex dictis, quia illa virtus est pecu-

liaris & distincta ab omnibus aliis, quæ habet peculiare obiectum & peculiarem honestatem, propter quam fertur in obiectum. At virtus, de qua disputamus, est talis. Nam obiectum illius est assensus fidei, in quem tendit propter peculiarem honestatem, quæ est in illo assensu. Est ergo virtus ab aliis distincta.

14 Dices, Non videtur esse distincta ab obedientia. 1. quia passim vocari solet obedientia fidei, non solum apud Theologos, sed etiam in Scriptura, vt Rom. 1. 5. *Accepimus Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, id est, missi sumus, vt per nostram prædicationem ab omnibus gentibus obediatur fidei. Et 2. Cor. 9. 13. *Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in Euangelium Christi.* Et alibi. Deinde D. Thom. quæst. 4. art 2. ad 2. docet, voluntatem per hanc virtutem fieri promptam ad obediendum. Et 3. p. quæst. 7 art. 3. ad 2. ait, meritum fidei in eo consistere, quod homo ex obedientia Dei assentitur illis, quæ non videt. Respondeo. Virtus fidei, de qua agimus, non est obedientia propriè dicta, vt probatum est: potest tamen vocari obedientia fidei, quia habet quandam similitudinem cum obedientia. Nam sicut obedientia nititur authoritate iubentis & præcipientis; ita hæc virtus authoritate dicentis seu reuelantis.

15 Dices 2. Assensus fidei potest imperari vel à charitate, vel ab obedientia, vel à religione: Ergo non opus est peculiari virtute, quæ sit distincta ab illis. Respondeo. Quando assensus fidei imperatur propter propriam honestatē, quam in se habet, tunc opus est peculiari virtute, de qua hic agimus. Si autē imperetur propter aliam honestatem, quæ sit propria charitatis, aut obedientiæ, aut religionis, potest etiam ab alia virtute imperari, nempe ab ea, propter cuius honestatem imperatur. quod etiam locum habet in actibus aliarum virtutum, vt constat ex priori tomo, tract. 1. c. 3. q. 6.

CAPVT XI.

De subiecto Fidei, seu de habentibus Fidem.

QVæritur primò, An fides maneat in beatis. 2. An maneat in damnatis 3. An maneat in hæreticis, qui aliqua credunt, & alia non credunt. 4. An sit maior in vno Catholico, quàm in alio. 5. An Catholicus certò possit cognoscere se habere fidem. De fide Angelorum alibi dictum est.

I. QVÆSTIO.

An Fides maneat in beatis.

1 HOc intelligi potest vel de actu, vel de habitu fidei. Et quidem certum est, si aliquis actus fidei manet in beatis, manere etiam habitum: si nullus manet, nec habitum manere. Esset enim otiosus, si maneret sine omni actu. Igitur de actu disputandum est.

2 Aliqui putant nullum penitus actum fidei exerceri à beatis in cœlo. Ita D. Thomas in 1. 2. quæst. 67. art. 3. in fine, vbi generatim sic concludit: *Vnde impossibile est quòd fides maneat simul cum beatitudine in eodem subiecto.* Et colligitur ex illo 1. Corinth. 13. 9. *Cùm venerit, quod perfectum est*, q. d. Cùm venerit intuitiua Dei visio, quæ clara & perfecta est, tunc cessabit fides, quæ obscura & imperfecta est. Et infrà: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, id est, Nunc cognoscimus mysteria fidei obscurè, tũc cognoscemus per claram visionem. Et 2. Cor. 5. 6. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*, id est. Nunc quidẽ ambulamus per fidem: at post hanc vitam non ambulabimus per fidem, sed per visionem. Idem sentit August. lib. 14. de Trinit. cap 2. cùm ait: *Neque iam fides erit* (nempe in cœlo) *qua credantur quæ non videntur, sed species, qua videantur quæ credebantur.*

3 Contrarium videtur docere Irenæus libro 2. aduersus hæreses, cap. 47. vbi differens de quibusdam, quæ sunt obscura in scripturis, sic ait: *Commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro; vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo: sicut & Apostolus dixit, Reliquis partibus destructis, hæc tunc perseuerare, quæ sunt, fides, spes, & charitas.* Et lib. 4. c. 25. *Paulus inquit, omnibus cæteris euacuatis, manere fidem, spem, dilectionem.* Et Tertul. in lib. de Patientia, circa finem: *Dilectio nunquam excidet: nam cætera euacuabuntur, consumabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio.*

4 Prima Conclusio. Certum est, in beatis non manere actum fidei circa Deum. Hoc benè probant testimonia ex Apostolo citata. Et ratio est, quia beati clarè & intuitiuè vident Deum: clara autem & intuitiua visio excludit obscuram & abstractiuam fidei cognitionem circa idem obiectum.

5 Secunda Conclusio. An etiam circa alia obiecta, extra Deum, possit esse actus fidei in beatis, non conuenit inter Scholasticos. Aliqui affirmant, vt Vasquez in tertia parte, disputatione quinquagesima tertia, capite tertio, numero decimo septimo. Cui fauent Durandus & Argentinas in 3. distinct. 31. quæst. 3. & 4. Item Irenæus & Tertullianus locis citatis. Ratio est, quia beati non vident intuitiuè resurrectionem mortuorum & diem Iudicij, sed obscurè credunt propter authoritatem Dei reuelantis: Ergo saltem respectu illorum obiectorum habent actum fidei.

6 Alij nihilominus contrarium tenent. Ratio est, quia duobus modis potest aliquid cognosci propter authoritatem Dei reuelantis. 1. Propter authoritatem & reuelationem Dei fide creditam, seu obscurè cognitam: Et hoc fit per actum fidei in hac vita. 2. Propter authoritatem & reuelationem Dei intuitiuè visam, seu clarè

cognitam : Et hoc fit per actum multo nobiliorem, quàm sit actus fidei ; sed tamen distinctum ab actu visionis beatificæ. Hinc rectè inferunt, impossibile esse vt aliquis clarè videat Deum reuelantem, & simul habeat actum fidei. Nam actus fidei innititur Deo reuelanti, non viso, sed credito. De qua re dictum est capite 1. quæst. 3.

7 Quæres, An ergo nullo modo fieri possit, vt aliquis videns Deum, simul habeat actum fidei ? Respondeo cum distinctione. Si quis clarè videret Deum, & non reuelationem Dei, posset habere actum fidei Si autem clarè videret & Deum, & reuelationem Dei, non posset habere actum fidei. Vide quæ dicta sunt loco citato.

II. QVÆSTIO.

An Fides maneat in damnatis ?

AFfirmat Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. Et probatur primò ex illo Iacobi 2. 19. *Tu credis, quia vnus est Deus : Benè facis : Et dæmones credunt, & contremiscunt.* q. d. Benè quidem facis credendo; sed hoc non sufficit ad salutem sine operibus. Nam etiam dæmones credunt, sicut tu, & tamen illa fides non sufficit illis vt saluentur. Secundò, ex Patribus, qui iuxta testimonium iam citatum, comparant fidem peccatorum cum fide dæmonum, quasi nihil ab ea differat : ac nominatim Augustinus, tum alibi, tum in lib. de fide & operibus, c. 14 vbi sic habet: *Iacobus tam vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus comparet.* Tertiò, quia fides non amittitur, nisi per actum infidelitatis : at multi sunt dánati, qui nullũ habuerũt actũ infidelitatis in via : Ergo illi saltem non amiserunt fidem. Quartò, debet esse aliquod discrimen inter dãnatos fideles & infideles : at nullum potest esse, nisi fides. Hanc sententiam putat Valentia (disputatione 1. quæstione 5. parte 2.) esse probabilem, neque

à ſcriptura & ſanctis Patribus alienam. Nihilominus ſit.

2 Prima Concluſio. Nec habitus, nec actus fidei ſupernaturalis manet in damnatis. Ita D. Thomas quæſt. 5. art. 2. ad. 2. Et Auguſt. lib. 9. de Ciuitate Dei, c. 21. Ratio eſt, quia habitus fidei eſt donum Dei, quod natura ſua ordinatum eſt ad beatitudinem comparandam: At damnati exciderunt omni ſpe beatitudinis comparandæ: Ergo, ratione ſui ſtatus, non debent habere fidem. Deinde, actus fidei non poteſt elici ab intellectu, ſine pio voluntatis affectu, vt ſuprà, c. 8. oſtenſum eſt: In damnatis autem non poteſt eſſe pius voluntatis affectus, cum ſint obſtinati in malo, (1. p. tract. 3. cap. 5.) Ergo nec actus fidei.

3 Dices, Damnati habent affectum ad cognoſcendam veritatem, qui affectus in ſe bonus eſt; quia veritas, in quam fertur, habet rationem boni. Reſpondeo. Aliud eſt, habere bonum affectum naturalem, qui oritur ex inclinatione naturali: aliud, habere bonum affectum ſupernaturalem, qui oritur ex gratia Dei. Priorem habent damnati, tametſi vitiatum propter adiunctam voluntatis obſtinationem in malo; poſteriorem, de quo hic agimus, non habent. Vide Caietanum, quæſt. 5. art. 2. & Valentiam loco citato.

4 Secunda Concluſio. Quamuis dæmones non habent fidem ſupernaturalem, vt probatum eſt, credunt tamen aliqua fidei myſteria per aſſenſum quendam naturalem, qui non oritur ex pio affectu, ſed ex vi & pondere argumentorum, quibus intellectus illorum conuincitur ad credendum. Ita D. Thom. art. 2. in corpore, & Auguſtinus loco citato. quo ſenſu intelligendum eſt illud Iacobi, *Dæmones credunt & contremiſcunt.*

5 Vbi nota, duo ſpectari poſſe in aſſenſu fidei ſupernaturalis. Vnum eſt, honeſtas ipſius actus. Alterum eſt, obiectum, quod per illum actum cognoſcitur. Si ſpectemus honeſtatem actus, certum eſt fidem Chriſtianam,

etiam illam, quæ sine operibus est, multò esse præstantiorem, quàm sit fides dæmonum. Nam altera est supernaturalis, voluntaria, honesta: altera verò naturalis, coacta, & prauis circunstantiis vitiata. Si autem spectemus obiectum, potest esse par ratio fidei dæmonum, & fidei Christianæ, quæ sine operibus est. Vtriusque enim potest esse idem obiectum materiale, circa quod versatur.

6 Hinc facile soluuntur argumenta initio proposita. Ad 1. Respondeo, Iacobum in eo solam comparare fidem dæmonum cum fide peccatorum, quod neutra sufficiat ad salutem, quia vtraque est sine operibus & charitate. Tametsi aliunde sit disparitas, quia vna est supernaturalis, voluntaria & honesta; altera non item. Ad 2. eodem modo. Ad 3. Habitum fidei in damnatis corrumpi per subtractionem diuini influxus; sicut etiam in beatis. In his quidèm, quia non indigent: in illis, quia digni non sunt. Ad 4. fideles damnatos distingui ab aliis per characterem Baptismi. quamquam, quid opus est curiosè inquirere distinctionem, vbi nullus est ordo, & omnes miseri sunt?

III. QVÆSTIO.

An Fides maneat in hæreticis?

1 DVrandus in 3. dist. 23. q. 9. putat, in eis manere habitũ fidei. Et probatur 1. quia qui ex Catholico fit hæreticus, eadem facilitate credit quædam mysteria quâ ante credebat: Ergo per eundem habitum fidei. 2. quia credit illa propter solam reuelationem diuinam, quæ est formalis ratio fidei. 3. quia habitus potest consistere cum aliquo actu contrario.

2 Rectius sentit D. Thomas, quæst. 5. articul. 3. habitum fidei amitti per quemlibet actum infidelitatis, ac proinde, qui vel in vno articulo hæreticus est, non retinere habitum fidei. Et hoc manifestè colligitur ex

Scriptura, 1. Timot. 1. 19. *Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander.* Et ibid. c. 6. 3. *Si quis aliter docet, superbus est, & nihil sciens.* Et infrà in eodem capite: *Deuita prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt.*

3 Ex quibus testimoniis sequitur, hæreticos circa fidem naufragare, id est, fidei naufragium seu iacturam facere: sicut naufragantes solent facere iacturam suorum bonorum temporalium. Item, nihil scire, id est, nihil verè credere per fidem Christianam. Denique circa fidem excidere, id est, fidem amittere, vel à fide aberrare.

4 Idem patet ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 15. vbi contra hæreticos sic habet: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur; sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Quibus verbis duo asseruntur. 1. Gratiam iustificantem amitti per quodlis peccatum mortale. 2. Fidem amitti per quemuis actum infidelitatis. Vnde sequitur, hæreticos, qui vel in vno articulo infideles sunt, omnem fidem amisisse.

5 Consentit Augustinus in libro de fide & symbolo, cap. 10. *Hæretici*, inquit, *de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant.* Et quæst. 11. in Matt. *Qui falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, hæreticus est, & foris est animo, quamuis corporaliter intus esse videatur.* Vnde sic concludo: Qui errat in aliqua parte doctrinæ Fidei, est extra Ecclesiam. At extra Ecclesiã nulla est Fides: Ergo talis non habet vllã Fidem.

6 Et ratio est, quia sicut Fides humana nititur authoritate hominis asserentis; ita Fides diuina nititur authoritate Dei reuelantis, vt sæpè dictum est. At, qui in vno puncto non vult sequi authoritatem hominis asserentis, quasi ea fallax sit, censetur quoque in aliis punctis non

magni eam facere, sed fallacem putare: Ergo idem, seruata proportione, de authoritate Dei reuelantis statuendum est.

7 Dices. Hæretici non dubitant de authoritate Dei reuelantis, quasi ea fallax sit; sed dubitant de quibusdam articulis, an ipsi à Deo reuelati sint, necne. Nam si crederent à Deo reuelatos esse, statim præberent illis assensum. Sed quia putant, non esse à Deo reuelatos, ideò non præbent assensum, Respondeo. Hæretici dubitant de vtroque, & de authoritate Dei reuelantis, & de quibusdam articulis, an à Deo reuelati sint, necne. quod sic ostendo. Authoritas Dei reuelantis potest dupliciter spectari. Primò, speculatiuè & abstractiuè secundum se. Sic certum est, de ea dubitari non posse. Secundò, practicè & respectu nostri, quatenus scilicet nobis proponitur ab Ecclesia, seu à Pastoribus Ecclesiæ. Et sic hæretici de ea dubitant, quia non admittunt iudicium Ecclesiæ, sed sequuntur propriam phantasiam & persuasionem. Itaque affirmant eos articulos à Deo reuelatos esse, non quos Ecclesia dicit esse reuelatos, sed quos ipsi ex priuato spiritu, id est, ex propria persuasione iudicant esse reuelatos. Hoc docet quotidiana experientia. Nam si in simili casu quæras à Catholico, an Epistola Iacobi sit canonica, necne? Respondebit Catholicam esse, quia Ecclesia Catholicam esse definiuit. Si idem quæras à Lutherano & Caluinista, alter affirmabit Catholicam esse, alter negabit. quare? An propter authoritatem Ecclesiæ? Non; quia vterque contemnit iudicium Ecclesiæ. An propter authoritatem Lutheri & Caluini? Non; quia vterque dicit, Lutherum & Caluinum fuisse homines, & errare potuisse. Quid ergo vtrunque mouet? Propria phantasia & persuasio, vel potius superbia, quia plus sibi arrogant, quàm vel Ecclesiæ, vel suis præceptoribus, Luthero & Caluino.

8 Ad argumenta initio allata pro Durando, sic respon-

deo. Ad 1. Facilitas illa, quâ hæreticus credit quædam mysteria fidei, non oritur ex habitu fidei infuso, quo ipse caret, sed ex pristina consuetudine, quam contraxit. Ad 2. Hæreticus credit aliqua mysteria fidei, non propter reuelationem diuinam ab Ecclesia propositam, & per se creditam, vt nos facimus; sed propter eandem reuelationem ex propria persuasione creditam & acceptatam. Ad 3. Habitus fidei potest cõsistere cum actu infidelitatis, si solùm spectemus naturam rei, quia non habent formalẽ inter se repugnantiam: Non tamen potest cum eo consistere, spectata Dei voluntate, qua vult auferre habitum fidei propter actum infidelitatis.

IV. QVÆSTIO.

An Fides sit maior in vno Catholico, quàm in alio?

1 HOc dupliciter intelligi potest. Primò, extensiuè, an fides vnius Catholici extendat se ad plura mysteria credendi, quàm fides alterius? Secundò, intensiuè, an fides vnius sit intentior, quàm fides alterius? Vel, an à promptiori voluntate imperetur in vno, quàm in alio?

2 Prima Conclusio. Fides vnius potest extensiuè esse maior, quàm fides alterius. Ita D. Thomas quæst. 5. art. 4. Ratio est, quia vnus potest plura mysteria explicitè credere, quàm alius: quo pacto Apostoli plura crediderunt, quàm Prophetæ: Et Theologi plura credunt, quàm rustici. Imò fieri potest, vt vnus idémque homo successiuè, nunc plura, nunc pauciora credat, prout magis vel minus instruitur circa res fidei.

3 Secunda Conclusio. Fides vnius potest etiam intensiuè esse maior, quàm fides alterius: idque duobus modis. Primò, ex parte intellectus. 2. Ex parte voluntatis. Ita D. Thomas ibidem. Et probat ex duobus scripturæ testimoniis. Matthæi 14. 31. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Et capite 15. 28. *O mulier, magna est fides tua.* Et ratio est,

est, quia habitus fidei non minus potest intendi, quàm alij habitus: sicut ergo alij habent maiorem intensionem in vno, quàm in alio, sic etiam habitus fidei. Idem de actu dicendum est. Nam quanto habitus est intensior, tanto potest habere intensiorem actum.

4 Quæres: In quo consistat hæc maior intensio? D. Thomas docet, ex parte intellectus consistere in maiori certitudine & firmitate: Ex parte voluntatis, in maiori promptitudine seu deuotione. De priori parte responsionis difficultas est. Nam fides non potest esse certior in vno, quàm in altero, quia certitudo illius sumitur ab infallibili Dei reuelatione, quæ respectu omnium credentium æquè infallibilis est. Repeto quod suprà, capite 2. dictum est, triplicem esse certitudinem: Vnam obiecti, alteram cognitionis, seu assensus: tertiam subiecti. Igitur certitudo assensus fidei non potest esse maior in vno, quàm in alio, propter rationem allatam. Certitudo autem subiecti, quæ est quædam firmitas, quâ intellectus per actum reflexum iudicat se non falli in assensu fidei, potest esse maior in vno, quàm in altero. Et sic videtur esse intelligendus D. Thomas. Nam expresse loquitur de certitudine subiecti, quam etiam firmitatem appellat.

5 Porro Conclusio nostra, in qua dicimus, fidem posse intensiuè maiorem esse in vno, quàm in alio, intelligenda est de intensione graduum, tam in habitu fidei, quàm in actu. Fieri autem potest, vt fides, quoad hanc intensionem, sit maior in vno, quàm in altero; licet in vtroque habeat eandem certitudinem cognitionis seu assensus. Simile est in charitate. Nam in vno potest habere plures gradus intensionis, quàm in altero, licet in vtroque sit æquè perfecta quoad gradus essentiales.

6 Quæres 2. An fides, sicut in vno potest intensiuè esse maior, quàm in alio, ita etiam in eodem possit successiuè crescere seu augeri? Respondeo. In homi-

ne iusto potest augeri per actus meritorios sicut & charitas. Difficultas est, an etiam in peccatore, qui non habet actus meritorios. Aliqui putant, etiam in peccatore posse augeri fidem, non quidem meritoriè, sed dispositiuè, quatenus peccator potest cum auxilio Dei elicere actum fidei intensiorem, quàm sit ipse habitus fidei, & ita se disponere per illum actum, vt Deus infundat illi habitum intensiorem. Ita Bannes quæst. 5. artic. 4. & Valentia quæstione 5. p. 4. Ratio illorum est, quia peccator per vnum actum fidei potest se disponere, vt de nouo infundatur illi habitus fidei, sine habitu charitatis: Ergo etiam per alium actum potest se disponere, vt habitus fidei augeatur. Nam plus est, fidem infundi, quàm augeri: Si ergo potest se disponere ad prius, poterit etiam ad posterius. Alij contrà sentiunt, habitum Fidei nec meritoriè, nec dispositiuè augeri in peccatore: Et falsum esse, peccatorem per vnum actum posse se disponere, vt de nouo infundatur illi habitus Fidei sine habitu charitatis: eo quod putent habitum Fidei nunquam infundi sine habitu charitatis. quod etiam docet D. Thomas in 1.2. quæst. 62. art. 4. vbi quærit, an Fides sit prior spe & charitate? Et respondet cum hac distinctione; actum Fidei priorem esse actu spei & charitatis: Habitum verò Fidei simul infundi cum habitu spei & charitatis. Et in 3. p. q. 85. art. 6. vbi dicit in virtutibus non attendi ordinem temporis, quantum ad habitus, quia omnes simul incipiunt esse in anima; sed solum quantum ad actus. Res in vtramque partem probabilis est, & nihil certi determinari potest.

V. QVÆSTIO.

An aliquis certò possit cognoscere se habere Fidem.

1 HOc intelligi potest vel de habitu, vel de actu Fidei. De habitu non est magna difficultas. Nemo enim potest certò cognoscere, se habere habitum Fidei

supernaturalem. Ratio est, quia certa cognitio potest esse triplex in homine Christiano. Vna euidenter certa. Altera obscurè, certa certitudine Fidei. Tertia obscurè certa, certitudine Theologica. At nullo horum modorum potest quis esse certus se habere habitum Fidei supernaturalem.

2 Non primo, quia nulla apparet euidentia circa habitum Fidei infusum ac supernaturalem. Non enim per se euidenter notus est, vt constat. Nec aliunde euidenter conuinci potest, dari huiusmodi habitum in nobis. Non quidem ex actu Fidei, quia actus produci potest sine habitu. Nec etiam ex promptitudine & facilitate credendi, quia illa promptitudo prouenire potest, vel ab auxilio Dei actuali, vel ab habitu Fidei acquisito. Qualis habitus manet in hæreticis, qui à Fide defecerunt.

3 Nec secundo, quia non est certum certitudine Fidei, dari habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, qui immediatè à Deo infundantur, vt multi Theologi docent: Ergo multo minus certum est certitudine Fidei, dari huiusmodi habitus in hoc vel illo homine singulari. Et confirmatur à simili. Nam si alicui certum non esset, Petrum existere in rerum natura, non etiam certum esset, existere in hac vel illa ciuitate.

4 Nec tertio, quia certitudo Theologica oritur ex duabus præmissis, quarum vna certa est certitudine euidenti; altera certitudine Fidei. At non possunt dari duæ huiusmodi præmissæ, ex quibus certò aliquis colligat se habere habitum Fidei: Ergo non potest esse certus certitudine Theologica de habitu Fidei.

5 Maior difficultas est de actu Fidei. De quo iuxta triplicem certitudinem iam assignatam, triplex opinio est. Nam aliqui putant, posse alicui certum esse certitudine euidenti, quod habeat actum Fidei; vt Bonauentura in 3. dist. 23. dubio 4. circa textum, & Vega

lib. 9. super Concilium Tridentinum, cap. 37 Alij, posse certum esse certitudine Fidei, vt Medina in 1. 2. quæst. 112. art. 5. dub. 2. Alij denique, certitudine Theologica, vt postea videbimus.

6 Prima Conclusio. Potest aliquis euidenter cognoscere, se habere aliquem actum credendi, quo assentiatur articulis Fidei propter reuelationem Dei: non tamen potest euidenter cognoscere, se habere actum credendi supernaturalem, & infallibilem, qui in sola reuelatione diuina, per fidem credita, innitatur. Prior pars est communis, & probatur experientiâ; quia sicut euidenter cognoscimus, & in nobis ipsis experimur, an credamus alicui homini referenti aliquam historiam; ita etiam euidenter in nobis experimur, an credamus mysteria Fidei, quæ à Deo reuelata sunt. Hoc sensu intelligendus est Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 1. cum ait: *Fidem porro ipsam, quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus.* Et infrà: *Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cuius est, sed eam tenet certissima scientia, clamátque conscientia.* Vbi confert Fidem cum anima: Et ait nos aliter videre Fidem nostram, quàm animam: quia animam tantùm cognoscimus ex motibus & coniecturis; Fidem vero, certissimâ scientiâ.

7 Posterior pars est Scoti in 3. dist. 23. quæst. vnica. §. *Sed quid dicis.* Et probatur, quia nemo potest euidenter cognoscere, se habere assensum Fidei supernaturalem & infallibilem, nisi prius euidenter cognoscat, illud verum esse, cui assentitur: At nemo potest euidenter cognoscere vera esse mysteria, quibus assentitur: cùm Fides sit *substantia rerum non apparentium:* (Hebr. 11. 1.) Ergo nemo potest euidenter cognoscere, se habere assensum Fidei supernaturalem & infallibilem.

8 Secunda Conclusio. Potest aliquis certo cognoscere, certitudine Theologica, se habere actum Fidei su-

pernaturalem & infallibilem, qualis à Deo præcipitur. Ratio est, quia certitudo Theologica est, vt suprà dixi, quando quis aliquid concludit ex vna propositione reuelata, & altera euidente: sed potest aliquis ex vna propositione reuelata, & altera euidente concludere, se habere actum Fidei supernaturalem, vt patet in hoc syllogismo: quicunque vult credere mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata, facit hoc per gratiam Dei excitantem, ac proinde habet actum Fidei supernaturalem: At ego volo credere mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata: Ergo facio hoc per gratiam Dei excitantem, ac proinde habeo actum Fidei supernaturalem. Maior est de Fide, vt ostensum est capite octauo, quæst. 5. Minor est euidens, quia qui aliquid serio vult ac desiderat, euidenter in se experitur se id velle ac desiderare. Igitur, quod legitimè concluditur ex tali maiore & minore, debet esse certũ certitudine Theologica.

9 Dices, Hic syllogismus solum procedit de pio affectu credendi seu assentiendi, qui est in voluntate: non autem de ipso assensu, qui est in intellectu; de quo tamen hic agimus. Respondeo. Verum est. Sed tamen duo isti actus connexi sunt. Nam qui ex pio affectu vult assentiri mysteriis Fidei, si assentitur, non potest habere alium sensum, quàm qui ab illo pio affectu imperatur: At non alius assensus ab illo imperatur, quàm assensus supernaturalis & infallibilis. Vnde sic concludo: quicunque ex pio & supernaturali affectu credit mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata, habet actum credendi supernaturalem; At ego ex pio & supernaturali affectu credo mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata: Ergo habeo actum credendi supernaturalem.

10 Tertia Conclusio. Licet aliquis possit certus esse certitudine Theologica, se habere assensum Fidei supernaturalem, vt dictum est; non tamen certitudine Fidei. Ratio est, quia nihil creditur Fide diuina, nisi

quod à Deo reuelatum est, cum assensus fidei debeat niti authoritate Dei reuelantis: Non est autem reuelatum à Deo, me habere assensum fidei supernaturalem; Ergo hoc non possum credere fide diuina, ac proinde non possum esse certus certitudine fidei, me habere talem assensum.

11 Dices 1. Apostolus docet, vnumquemque fidelem certum esse de sua fide, vt patet ex illo 2. Cor. 13. 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Respondeo primò. Potius contrarium inde sequitur. Nam si Corinthij, ad quos scribebat Apostolus, fuissent omnino certi de sua fide, quid necesse erat ipsos hortari, vt se examinarent & explorarent, an haberent fidem, necne? Deinde, Etiamsi fuissent certi de sua fide: non tamen sequitur, fuisse certos certitudine fidei. Potuissent enim esse certi certitudine experimentali, de qua in 1. concl. dictum est. Denique, videtur esse alius sensus Apostoli. Non enim determinatè affirmat, Corinthios habere fidem, sed loquitur conditionatè, hoc modo: Si agnoscitis Christum, & eius fidem profitemini, facile animaduertetis, illum per suam virtutem & potentiam, quam quotidie in vobis exercet, posse vos punire propter vestra peccata. Hic sensus colligitur ex contextu, qui sic habet: *Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate: Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Iesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* quasi dicat. Si iterum ad vos venero, non monitis tantùm, sed etiam pœnis vos coercebo. Et se ipsa experiemini, virtutem Christi in me & per me

operari. Tametsi enim Christus in passione sua ostendit se infirmum & mortalem; tamen post resurrectionem ostendit se potentem & impassibilem, suámque potentiam ac virtutem multis miraculis & prodigiis confirmauit. quod vos ipsi, si modo fidem Christi profitemini, non potestis negare, quia quotidie fiunt apud vos multa in nomine Christi, quæ nisi diuina virtute fieri non possunt. Vide Bellarminum lib. 3. de Iustificatione, c. 9. ad 11. vbi eodem ferè modo Apostolum interpretatur.

12 Dices 2. Conclusio, quæ deducitur ex vna propositione reuelata, & altera naturaliter euidente, creditur per fidem, vt docent Melchior Canus lib. 6. de Locis, cap. vltimo ad 10. Andreas Vega lib. 9. super Concil. Trident. cap. 39. & plures alij: At quilibet fidelis potest ex vna reuelata & altera naturaliter euidente deducere, se habere assensum fidei supernaturalem, vt in 2ª concl. dictum est: Ergo potest hoc per fidem credere, & per consequens potest de eo esse certus certitudine fidei. Respondeo. Maior vera est, quando conclusio, quæ deducitur ex vna propositione reuelata & altera euidente, essentialiter continetur & includitur in reuelata. Quo pacto in hac reuelata, *Christus est homo*, continetur ista, *Christus est animal*. Vnde in hoc syllogismo: (Omnis homo est animal: Christus est homo: Ergo Christus est animal. Maior est euidens lumine naturali: Minor est de fide) Conclusio essentialiter continetur in minore, de fide, ac proinde ipsa etiam est de fide.

13 Quod tamen rursus distinguendum est. Nam talis conclusio potest dupliciter spectari. Primò, quatenus infertur ex præmissis per legitimam consequentiam: Et sic præcisè non est de fide, neque assentimur illi per assensum fidei, sed per assensum Theologicum. Secundò, quatenus assentimur illi, non propter syllogisticā cōsequentiam, sed præcisè propter reuelationem. Tametsi enim in se immediatè reuelata non sit, tamen in altera præ-

missarum est reuelata. Et sic possumus illi assentiri per assensum Fidei, præsertim si ab Ecclesia, tanquam de Fide credenda proponatur. Itaque prior assensus est quædam quasi conditio præuia ad posteriorem assensum eliciendum. Atque ita intelligendi sunt Canus & Vega, vt notat Vasquez in 1. p. disp. 5. c. 3. n. 7. & 8.

14 Hæc doctrina ad solutionem obiectionis sic debet accommodari. In hoc syllogismo (quicunque vult credere mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata, facit hoc per gratiam excitantem, ac proinde habet actum Fidei supernaturalem : Ego volo credere mysteria Fidei, tanquam à Deo reuelata : Ergo facio hoc per gratiam, & habeo actum Fidei supernaturalem.) Maior est de Fide : Minor est euidens : Conclusio, tametsi legitimè sequatur ex præmissis, non tamen continetur essentialiter in maiori de Fide, ac proinde non est de Fide. Nam in hac, *Omnis homo volens credere, habet actum Fidei supernaturalem*, non includitur essentialiter ista, *Ego habeo actum Fidei supernaturalem.*

15 Dices 3. quilibet Catholicus est certus certitudine Fidei, Deum esse trinum & vnum : Ergo eadem certitudine certus est, suum assensum, quo credit Deum esse trinum & vnum, esse verum & infallibilem. Nam si non esset certus de veritate & infallibilitate sui assensus, non posset esse certus de veritate & infallibilitate propositionis, cui assentitur. Respondeo. Negatur prima consequentia, quia de veritate obiecti certus est per ipsum assensum Fidei : De veritate autem assensus Fidei, non potest esse certus, nisi per actum reflexum, quo iudicat se non errare in suo assensu. Hic autem actus reflexus sæpè est fallibilis & incertus. Nam etiam hæretici per actum reflexum solent firmissimè iudicare se non errare in suo assensu, & tamen errant. Vide quæ cap. 2. quæst. 1. dicta sunt de triplici certitudine obiecti, cognitionis, & subiecti.

16 Dices 4. Quilibet Catholicus tam est certus de sua fide, vt potius paratus sit negare omnem rationem, quàm recedere ab eo, quod credit; alioqui non esset verè Catholicus: Ergo habet certitudinem supra omnem certitudinem de sua fide; & consequenter habet certitudinem fidei. Nam illa superat omnem aliam certitudinem in hac vita. Respondeo. Quilibet Catholicus habet certitudinem fidei de obiecto quod credit, vt benè obiicitur: non tamen habet certitudinem fidei de suo assensu, quo credit, vt paulo ante explicatum est. V. G. Habet certitudinem fidei de mysterio Trinitatis & Incarnationis; non tamen de assensu, quo credit illa mysteria.

17 Dices 5. Si Catholicus non haberet certitudinem de sua fide, posset esse dubius de sua fide: At qui dubius est in fide, infidelis est. Respondeo. 1. Si nullam haberet certitudinem de sua fide, tunc posset esse dubius. Habet autem aliquam certitudinem, nempe vnam euidentem, & alteram Theologicam, vt in 1. & 2. concl. dictum est: Non tamen certitudinem fidei. Deinde, Nomen fidei accipitur aliter in maiori, aliter in minori. In maiori sumitur pro assensu fidei: in minori, pro articulis fidei. Non sequitur autem, Si quis sit dubius, an habeat assensum fidei supernaturalem, esse etiam dubium, an articuli fidei sint veri.

18 Dices 6. Ille, qui aliquid scit, hoc ipso quod scit, etiam scit se scire. Ergo similiter, qui aliquid credit, hoc ipso quod credit, etiam credit se credere: Ergo habet certitudinem fidei de sua fide. Hoc argumentum insinuat D. Thomas in 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2. cum ait: *Quicunque habet scientiam vel fidem, certus est se habere.* Respondeo. Hoc intelligendum est iuxta 1. conclusionem. Nam sicut is, qui actu scit, experitur in se actum sciendi: sic is, qui actu credit, experitur in se actum credendi. Non tamen experitur, an actus ille sit super-

naturalis & infallibilis, necne. Tametsi aliunde id possit cognoscere, iuxta 2. conclusionem.

Caput XII.

De necessitate Fidei ad salutem.

1 Solent Scholastici distinguere duplicem necessitatem respectu salutis seu vitæ æternæ: Vnam medij, seu finis; Alteram præcepti. Ita Durandus, Paludanus, Dominicus Sotus, Melchior Canus (apud Vasquezium in 3. par. disp. 169. cap. 1.) Vasquezius ipse ibidem, Suares in 3. parte, tomo 3. quæst. 65. art. 4. in Commentario, Bellarminus lib. 2. de Pœnitentia, cap. 8. Thomas Sanches lib. 2. Moralium, cap. 2. Bannes in 2. 2. quæst. 2. art. 8. dub. 1. Non tamen eodem modo explicant. Ego sic explico.

2 Illud dicitur necessarium necessitate medij, quod secundum legem ordinariam ita necessarium est, vt sine illo salus obtineri non possit. Quo pacto Baptismus reipsa susceptus, est necessarium medium ad salutem, respectu infantium, quia infantes sine illo saluari nullo modo possunt secundum legem ordinariam. Item, dolor de peccatis, respectu adultorum, existentium in peccato mortali. Denique gratia Dei, respectu omnium, tam adultorum, quàm infantium. Illud autem dicitur necessarium necessitate præcepti, quod quidem necessarium est propter obligationem præcepti, tamen cessante obligatione præcepti non est necessarium. Vnde si quis vel propter ignorantiam, vel propter aliam legitimam causam, non faciat id, quod hoc modo necessarium est, potest nihilominus saluari.

3 Est autem duplex discrimen inter has duas necessitates. Vnum, Quæ priori modo sunt necessaria, nullo modo omitti possunt, siue culpabiliter, siue inculpabiliter; siue scienter, siue ignoranter. Et si omittantur, salus obtineri non potest. Quæ vero posteriori modo sunt

neceſſaria, non quidem poſſunt omitti culpabiliter; ſi tamen omittantur ſine culpa, poteſt ſine illis obtineri ſalus. Alterum, Quæ priori modo ſunt neceſſaria, ſæpe non ſunt in noſtra poteſtate, vt auxilia gratię pręuenientis: quæ autem poſteriori ſunt in noſtra poteſtate, deſinunt etiam neceſſaria eſſe neceſſitate præcepti.

4 Aliqui ex prædictis authoribus, faciunt trimembrem diuiſionem, hoc modo. Quædam ſunt neceſſaria neceſſitate medij tantum, vt gratia excitans ſeu præueniens, quæ non eſt in noſtra poteſtate. Quædam neceſſitate præcepti tantum, vt confeſſio peccatorum. Quædam vtroque modo, vt dolor de peccatis reſpectu adultorum, qui mortaliter peccarunt. Ita Vaſquez & Bannes loco citato. Quanquam Bellarminus videatur aliter ſentire, cum ait: *Ea omnia, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medij, cenſentur neceſſaria neceſſitate præcepti.* Sed prior ſententia probabilior eſt, quia quod non eſt in noſtra poteſtate, non cadit ſub præceptum, ac proinde nec eſt neceſſarium neceſſitate præcepti. At gratia præueniens non eſt in noſtra poteſtate, quia præuenit conſenſum liberum voluntatis, ſicut motus primo primi: Ergo non cadit ſub præceptum, ac proinde non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, cum tamen ſit neceſſaria neceſſitate medij.

5 Dices, Ipſa obſeruatio præceptorum Dei eſt medium ad ſalutem neceſſarium: Ergo neceſſitas præcepti non differt à neceſſitate medij. Reſpondeo. Tametſi generatim loquendo, obſeruatio præceptorum ſit quoddam medium neceſſarium ad ſalutem, quia qui non obſeruat præcepta, non poteſt ſaluari; tamen quando ſpeciatim loquimur de neceſſitate medij, quatenus diſtinguitur à neceſſitate præcepti, certum eſt, obſeruationem præceptorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Ratio eſt, quia hoc propriè vocamus neceſſarium neceſſitate medij, quod poſitiuè con-

currit ad ſalutem; quo pacto gratia præueniens, baptiſmus, dolor de peccatis, & ſimilia poſitiuè concurrunt ad iuſtificationem. Obſeruatio autem præceptorum præcisè ſumpta, quatenus talis eſt, non concurrit poſitiuè, ſed negatiuè, quia ſolum efficit, ne impediatur aut amittatur iuſtificatio. Ita Vaſquez ibidem. Nec obſtat, quod aliquando ſit meritoria augmenti iuſtitiæ; quia hoc non habet ex ſe, quâ talis eſt, ſed quatenus in homine iuſto coniuncta eſt cum gratia & charitate.

6 His præmiſſis diſputandum eſt, An Fides ad ſalutem neceſſaria ſit vtraque neceſſitate, tam medij, quàm præcepti. Loquor autem de Fide, quoad actum internum, qui conſiſtit in aſſenſu; non autem, quoad actum externum, qui conſiſtit in confeſſione Fidei. Nam de neceſſitate huius, cap. 9. diſputatum eſt. Ac primo agam de neceſſitate præcepti. Deinde de neceſſitate medij.

De neceſſitate Fidei, ex parte præcepti.

7 Prima Concluſio. Duo ſunt præcepta Fidei, quoad actum internum. Vnum affirmatiuum, quod obligat nos ad credendum myſteria Fidei. Alterum negatiuum, quod obligat nos ad non diſſentiendum à myſteriis Fidei, neque de veritate ipſorum dubitandum. Inter vtrumque magna differentia eſt. Nam affirmatiuum non obligat nos, vt credamus explicitè omnia & ſingula obiecta, quæ à Deo reuelata ſunt, neq; vt credamus quolibet tẽpore, ſed tantum, vt credamus certa quædam obiecta, ac certo quodam tempore. Negatiuum verò reſpicit omnia obiecta, & omne tempus, quia ſemper prohibitum eſt, diſſentire à quocunque obiecto, quod ſufficienter proponitur, tanquam à Deo reuelatum.

8 Secunda Concluſio. Præceptum affirmatiuum, tametſi non obliget ad omnia obiecta explicitè credenda, vt dictum eſt; obligat tamen ad credenda explicitè

omnia mysteria in Symbolo comprehensa. Hæc conclusio non est omnino certa, quia multi docent satis esse credere illa, ex quibus pendet Christianæ Fidei institutio; cuiusmodi sunt existentia Dei Creatoris, mysterium Trinitatis, Incarnationis, Passionis Christi, ac remissionis peccatorum, absque aliis quæ in Symbolo continentur. Ita Medina lib. 4. de recta in Deum Fide, cap. 6. Richardus in 3. dist. 25. q. 2. Gabriel ibidem, q. 1. art. 2. quibus fauet D. Thomas ibidem quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 2. asserens, non esse de necessitate salutis, vt homo credat explicitè omnes articulos Fidei. Sed forte loquitur de necessitate medij, non præcepti.

9 Alij putant satis esse credere explicite illa mysteria, quæ solenni ritu in Ecclesia celebrantur. Ita Durandus in 3. dist. 25. quæst. 1. n. 9. Bonauentura ibidem, quæst. 3. & alij, quos citat Sanchez lib. 2. Moral. cap. 3. n. 5. Ratio est, quia Ecclesia per solennem illum ritum videtur significare illa mysteria esse ad salutem necessaria; non item reliqua.

10 Nihilominus pro nostra conclusione facit D. Thomas quæst. 2. art. 5. circa finem, Bannes ibidem dub. 2. Valentia q. 2. p. 3. assert. 2. Toletus lib. 4. Summæ, c. 2. & plures alij. Quibus fauet Catechismus iussu Pij V. editus, vbi habentur hæc verba: *Quæ primum Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ sancti Apostoli diuino spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt.* Et Augustin. serm. 135. de tempore, statim ab initio: *Symbolum*, inquit, *est regula Fidei vestræ breuis & grandis. Breuis, numero verborum: grandis pondere sententiarum.* Et serm. 181. de tempore: *Apostoli certam regulam Fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolorum duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocauerunt: per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam conuincerent prauitatem.* Et plura ibidem in eandem sententiam. Videatur Gratianus in Decreto,

de Consecrat. dist. 4. can. Symbolum, & can. Baptizandos oportet, & can. Non liceat.

11 Dices, Non solum obligatur Christianus ad sciendum & credendum ea, quæ sunt in symbolo, sed etiam ad credendum ea, quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, Confessionem sacramentalem: itemque ad illa, quæ pertinent ad Decalogum. Respondeo. Hæc obligatio non oritur ex præcepto Fidei, sed ex præcepto religionis, iustitiæ, & aliarum virtutum. Nos autem hic solum agimus de obligatione præcepti Fidei.

12 Tertia Conclusio. Hoc præceptum affirmatiuum, quod obligat ad credendum explicite omnes articulos Fidei, qui continentur in Symbolo, est partim naturale, partim diuinum positiuum, partim Ecclesiasticum. Naturale, quatenus refertur ad illa obiecta, quorum Fides est necessaria necessitate medij. Diuinam, quatenus refertur ad alia, quorum Fides est tantum necessaria necessitate præcepti. Ecclesiasticum, quatenus obligat fideles ad discendum Symbolum. Et videtur initium sumpsisse ab ipsis Apostolis. Nam constat circa annum Christi 360. fuisse in vsu, vt patet ex Concilio Laodicensi, can. 46. qui sic habet: *Baptizandos oportet Fidei symbolum discere, & quinta feria vltimæ septimanæ vel Episcopo, vel Presbytero reddere.* Et refertur apud Gratianum loco citato.

13 Dices: Quomodo potest dari præceptum naturale de virtutibus supernaturalibus, cuiusmodi est Fides, de qua agimus? Respondeo. Naturale non sumitur hic, quatenus opponitur supernaturali, sed quatenus idem est quod necessarium, & opponitur libero. Et sic potest dari præceptum naturale, id est, necessarium de actu Fidei supernaturali. Hoc autem discrimen est inter præceptum naturale & liberum; quod liberum immediatè pendeat ex sola voluntate Dei, volentis obligare. Naturale ex ipsis rerum naturis oritur: quod in proposito

ſic explico. Ex eo, quod homo creatus eſt ad beatitudinem ſupernaturalem, & Deus non velit illi dare ſufficientia media ad illum finem acquirendum, niſi ſuppoſita fide; neceſſariò oritur obligatio in homine ad habendam fidem, ſine qua finis haberi non poteſt.

14 Contra ea, quæ nunc dicta ſunt, illud obiici poteſt, quod dici ſolet à rudibus & ſimplicioribus Chriſtianis, qui interrogati, quid credant, reſpondent ſe credere, quod Eccleſia credit. Quo reſponſo inſinuant, non eſſe neceſſarium ad ſalutem, explicitè credere omnes articulos in Symbolo comprehenſos, ſed ſufficere, ſi implicitè eos credant. Tunc autem cenſentur implicitè credere, quando in confuſo credunt ea, quæ Eccleſia credit; etiamſi in particulari nihil diſtinctè credant, niſi Deum & Chriſtum. Et ita ſentiunt aliqui Canoniſtæ apud Sanchium lib. 2. Moral. c. 3. n. 3. Reſpondeo. Hæc ſententia eſt erronea, vt notat idem author ex Valentia quæſt. 2. par. 4. poſt 2. aſſertionem. Itaque dicendum eſt, omnes quidem obligari ad expreſſe credendum articulos Symboli; ſed tamen rudiores, qui non poſſunt omnes & ſingulos in particulari capere vel addiſcere, excuſari à peccato, ſi eos implicitè & in vniuerſali credant: quod tunc fit, quando explicitè credunt vera eſſe omnia, quæcunque ab Eccleſia credenda proponuntur. Ita Guilielmus Pariſienſis, & alij apud Valentiam loco citato.

De neceſsitate Fidei ex parte medij.

1 Quæritur primo. An fides ſupernaturalis ſit medium ad ſalutem neceſſarium. Secundo, quarum rerum fides ſit neceſſaria neceſſitate medij: Ac nominatim, an fides Incarnationis. Tertio, an fides Trinitatis. Quarto, an fides aliorum myſteriorum. Ex quibus quæſtionibus refutabitur eorum error, qui putant ſufficere, ſi quis credat vnum eſſe verum Deum, & nemini faciat iniu-

riam: etiamsi nihil sciat de Trinitate, aut de Christo, aut de aliis Fidei mysteriis. Vnde inferunt, vnumquemque in sua Fide saluari posse, modò seruet decalogum.

I. QVÆSTIO.

An Fides supernaturalis sit medium ad salutem necessarium.

1 ALiqui negant, asserentes hominem adultum posse iustificari, si naturaliter cognoscat & amet Deum, & habeat inuincibilem ignorantiam Fidei supernaturalis. Ita Andreas Vega lib. 6. in Conc. Trident. cap. 20. & 21. Dominicus Soto lib. 2. de natura & gratia, cap. 11. in prima editione, quam tamen sententiam postea retractauit in altera editione, & lib. 4. Sent. dub. 1. quæst. 2. artic. 3. & in speciali retractatione, in fine eiusdem libri.

2 Probatur primo ex illo Rom. 2. 13. *Non auditores legis sed factores iustificabuntur apud Deum.* Et mox sequitur: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Vnde sic concludo: Illi fiunt iusti & salui coram Deo, qui seruant legem: At Gentiles ex sola cognitione Dei naturali seruant legem: Ergo ex sola cognitione Dei naturali fiunt iusti & salui. Ergo Fides supernaturalis non est medium ad salutem necessarium. Quod etiam confirmat Christus in Euangelio, Matth. 19. 16. Nam rogatus à quodam adolescente: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* non respondit, Fidem supernaturalem esse necessariam; sed solum dixit: *Serua mandata.* Quod intellexit de mandatis Decalogi, quæ solo lumine naturali cognita sunt.

3 Secundo, quia in statu naturæ, qui durauit ab Adamo vsque ad legem Mosaicam, iustificabantur homines per solam cognitionem Dei naturalem. Ideo enim dicebatur status naturæ, quia homines, qui viuebant in illo statu, non habebant cognitionem Dei supernaturalem,

ralem, sed purè naturalem. quod etiam insinuat D. Thomas in 1. 2. quæstione 98. articulo 5. ad 3. cùm ait: *Gentiles perfectius & securius salutem consequebantur sub obseruantiis legis, quàm sub sola lege naturali: & ideo ad eas admittebantur. Sicut etiam nunc laici transeunt ad clericatum, & seculares ad religionem, quamuis absque hoc possint saluari.* quasi dicat. quamuis Gentiles poterant olim saluari per solam legem naturalem, tamen securius saluabantur per legem Mosaicam. Sicut etiam nunc, tametsi laici possint saluari in suo statu, tamen securius saluantur in statu clericali, si seruent ea, quæ pertinent ad illum statum.

4 Tertio, quia si fides supernaturalis esset medium necessarium ad salutem, sequeretur, multos homines, qui habent inuincibilem ignorantiam fidei, non habere sufficiens medium ad salutem, quod repugnat bonitati & prouidentiæ Dei.

5 Prima Conclusio. Actus fidei supernaturalis est medium necessarium ad salutem, respectu hominis adulti; nec vllus vnquam sine tali actu potuit iustificari. Est communis sententia, vt notat Sanches libro 2. Moralium, capite 2. num. 3. Et probatur 1. ex Scripturis, quia Apostolus in Epistolis ad Romanos & Galatas vbique inculcat necessitatem fidei. Et Hebr. 11. 6. ait: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ex quo colligit, Enoch habuisse fidem, hoc modo: Nemo potest placere Deo sine fide: Enoch placuit Deo: Ergo habuit fidem. quod autem loquatur de fide supernaturali, quæ innititur obscuræ Dei reuelationi, & quæ est dispositio ad iustificationem, patet ex toto cap. citato. Et ex fine cap. præcedentis, vbi ait: *Iustus ex fide viuit.*

6 Secundo, ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur: *Baptismus est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Et cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis:*

sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.

7 Tertio, ex Augustino, serm. 38. de tempore. *Ad veram*, inquit, *beatitudinem peruenire volentibus, primo omnium fides est necessaria.* Et paulò post: *Fides namque est bonorum omnium fundamentum: humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Similia habent alij Patres apud Valentiam, quæstione secunda, parte 2.

8 Ratio à priori sumitur ex diuina voluntate, quâ statutum est, vt gratia iustificationis nulli adulto conferatur, nisi mediante fide. Hæc autem voluntas nobis innotescit ex allatis Scripturæ, Conciliorum & Patrum testimoniis.

9 Secunda Conclusio. Actus fidei supernaturalis, qui est medium necessarium ad salutem, non solum est ille, quo creditur aliquid supernaturale, sed etiam, quo creditur aliquid, quod naturaliter demonstrari potest. Ita Diuus Thomas articulo 3. & 4. Prior pars probatur, quia fides Incarnationis, Trinitatis, & quorundam aliorum mysteriorũ supernaturalium, est medium ad salutem necessarium, vt patebit ex sequentibus quæstionib. Posterior probatur, quia existentia Dei naturaliter demonstrari potest: sed fides existentiæ Dei semper fuit medium necessarium ad salutem, vt docet D. Thom. q. 16. art. 1. vbi asserit hanc propositionem: *Deus est*, esse primam ac principalem inter omnia credibilia. Et apertè colligitur ex illo Hebræorum 11. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Vbi illa particula, *Quia est*, significat existentiam Dei, vt explicat Chrysostom. hom. 22. in illum locum, & passim alij.

10 Et ratio duplex est. Vna, quia omnia mysteria fidei

supponunt Deum existere: Ergo vt omnia certò ac infallibiliter credantur, necesse est, etiam certò ac infallibiliter credi existétiam Dei, in qua reliqua omnia fundantur. Existentia autem Dei non potest certò ac infallibiliter cognosci aut credi per cognitionem aut fidem humanam, quæ errori obnoxia est: Ergo necesse est, vt credatur per fidem diuinam & supernaturalem, quæ certa ac infallibilis est. Hanc rationem insinuat Chrysostomus loco citato, cùm ait: *Nisi credamus* (de scilicet supernaturali) *quod Deus sit, labuntur nobis omnia, & non stant.* Altera, quia quidquid creditur fide supernaturali, hoc creditur propter authoritatem Dei reuelantis. Hoc enim est formale obiectum fidei. In hoc autem obiecto intrinsecè includitur existentia Dei; ita vt impossibile sit, credere aliquid propter authoritatem Dei reuelantis, quin simul implicitè credatur, Deum existere.

11 Tertia Conclusio. Hæc fides supernaturalis, quam dixi esse medium necessarium ad salutem, potest haberi ab omnibus adultis, etiam Gentilibus, quantum est ex parte Dei, nisi ipsimet impediant. Ita sentiunt omnes illi Theologi, qui docent nullum infidelem sine sua culpa ignorare posse mysteria fidei, quæ ad salutem necessaria sunt, vt Alexander, Antissiodorensis, Albertus, Gabriel, Bonauentura, Adrianus, & alij apud Vasquez in 1. 2. disp. 120. cap. 1. Et colligitur ex illo Ioan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, Christus illuminat omnem hominem, quantum in ipso est; ac proinde qui non illuminantur, ideo non illuminantur, quia oblatũ lumen non volunt admittere, vt interpretantur omnes Græci, quos sequitur Maldonatus in illum locum. Eodem sensu dictum est ab Apostolo 1. Timoth. 2. 4. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Scilicet, quantum in ipso est, modò ex parte nostra non sit defectus.

Hoc clarius intelligitur ex illo Ephes. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.*

12 Hinc sumitur ratio conclusionis, quia media, quæ ad salutem requiruntur, sunt inter se subordinata, & vnum datur mediante alio. Vnde qui benè vtitur vno medio, quod ipsi à Deo offertur, paulatim accipit maiora, donec ad finem perueniat. Qui autē non benè vtitur, non est dignus maiora accipere, & suâ culpâ à Deo deseritur. V. g. Homo adultus, qui nihil de fide audiuit, solet frequenter à Deo illustrari & excitari ad obseruationem legis naturæ, quæ in Decalogo comprehensa est. Si obseruat hanc legem, vlterius iuuatur & promouetur à Deo, donec ad fidem & iustificationem perueniat, iuxta illud Rom. 2. 13. *Factores legis iustificabuntur apud Deum.* Si non obseruat, meritò deseritur à Deo, iuxta illud Rom. 1. 21. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

13 Ad argumenta initio allata sic respondeo. Ad 1. Apostolus loquitur de gentilibus ad fidem Christi conuersis, vt plerique interpretantur apud Vasquez in 1. 2. disp. 190. cap. 15. Illa autem particula, *naturaliter*, non opponitur ibi gratiæ, sed legi scriptæ in tabulis, vt sensus sit; Gentiles, qui non habent legem Mosaicam in tabulis scriptam, sicut Iudæi habebant, loco legis scriptæ vsos fuisse lumine naturali, adiuto tamen per gratiam, & sic legem obseruasse. Vide plura apud Vasquez loco citato. Illud porro, *Seruata mandata*, similiter intelligendum est de homine, qui habet auxilium gratiæ.

14 Ad 2. Status naturæ non excludebat gratiam, sed legem Mosaicam & Euangelicam. Solemus enim distinguere tres status: Vnum naturæ: Alterum legis Mosaicæ: Tertium legis Euangelicæ. Et quamuis aliqui hunc tertium, per excellentiam, vocent statum gratiæ; tamen in omni statu gratia fuit necessaria ad salutē. Nec D. Thomas dicit, Gentiles saluari potuisse, per solam

legem naturalem, ſed ſub ſola lege naturali, id eſt, in illo ſtatu, in quo nondum erat lex Moſaica aut Euangelica, ſed tantum naturalis, non tamen ſine gratia.

15 Ad 3. patet ſolutio ex 3. concluſione. Sequimur enim eorum ſententiam, qui affirmant, neminem poſſe habere inuincibilem ignorantiam fidei; ſed ſi quis ignoret fidem, ſuâ culpâ ignorare, vt explicatum eſt.

16 Dices: Adhuc videtur manere difficultas in duobus caſibus. Primo, quia ſi aliquis infidelis ex inſpiratione & motione Dei inciperet ſeruare legem naturæ & ſubito moreretur antequam perueniret ad fidem, quid de illo fieret? Si ſaluatur, iam fides non eſt neceſſaria ad ſalutem. Si non ſaluatur, iam non habet ſufficiẽs medium ad ſalutem, & quidem ſine ſua culpa. Secundo, ſi aliquis puer Gentilis, cum primum incipit vti ratione, baptizaretur, & mox exſpiraret, quid de illo dicemus? Non poterit ſaluari, ſi fides neceſſaria eſt, quam non habet. Nec poterit damnari, quia accepit gratiam baptiſmi, & per illam factus eſt hæres vitæ æternæ.

17 Reſpondeo. Quando diſputamus de eo, quod ſemel à Deo præuiſum & ordinatum eſt, tunc non oportet adferre caſus, qui tantum poſſibiles ſunt, ſed qui reipſa contingent aut contigerunt. Hoc patet in ſimili materia de prædeſtinatione. V. g. Deus ab æterno præuidit Iudam fore proditorem, & ideo ab æterno illum reprobauit. Si iam aliquis quæreret, quid futurum fuiſſet de Iuda, ſi eo tempore, quo erat in gratia Dei, ſubito exſpiraſſet. Saluari non poterat, quia erat reprobatus. Nec damnari, quia erat iuſtus & gratus Deo. Hæc, inquam, quæſtio non eſt ad rem. Ratio eſt, quia Deus nihil ordinat ab æterno, niſi ex certa præſcientia futurorum. Qui ergo vellet ponere caſum, in quo, quæ Deus præſciuit futura, non fierent, proculdubio tolleret Dei præſcientiam & ordinationem. Idem ergo dicendum eſt ad duos caſus propoſitos. Deus ab æterno decreuit nul-

lum ſaluare adultum, niſi per fidem & hoc ſimul præſciuit futurum. Vnde, ſi aliquis reipſa ſaluatur, certum eſt non fieri ſine fide. Et ſi aliquis ſine fide moritur certum eſt eum non ſaluari. An autem aliter fieri poſſet per extraordinariam Dei potentiam, non diſputamus.

18 Hoc in genere. Nunc ad primum caſum in particulari reſpondeo, Deum non permiſſurum ſecundum legem ordinariam, vt aliquis adultus, qui cum actuali Dei gratia ſeruat legem naturalem, moriatur ſine fide, quia Deus non deſerit hominem bonæ voluntatis in neceſſitate, quando non prius ab homine deſeritur.

Ad 2. Si puer Gentilis, de quo agitur, baptizatus ſit poſt inceptum vſum rationis, vel habuit fidem ante baptiſmum, vel non habuit. Si habuit, ſaluabitur iuxta illud Marci 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Si non habuit, non ſaluabitur, iuxta id, quod ſequitur: *Qui vero non crediderit, damnabitur.* Hic ſuppono ex 3. parte, duos eſſe effectus baptiſmi, nempe characterem, & gratiam iuſtificantem. Adultus, qui baptizatur ſine fide, poteſt accipere characterem, non tamen gratiam iuſtificantem.

II. QVÆSTIO.

An Fides Incarnationis ſit neceſſarium medium ad ſalutem?

1 TRia includuntur in myſterio Incarnationis. Primum eſt, munus Redemptoris & Mediatoris inter Deum & hominem. Alterum, Diuinitas huius Mediatoris. Eſt enim verus Deus & verus homo per hypoſtaticam vnionem perſonæ Verbi cum humanitate. Tertium, paſſio & mors eiuſdem Mediatoris, quâ immediatè redemit humanum genus. Quando ergo quærimus, An fides myſterij Incarnationis ſit medium neceſſarium ad ſalutem, hæc tria quærimus, An ſcilicet ſit neceſſarium ad ſalutem, credere vnum Mediatorem, verum Deum &

hominem, qui sua morte redemerit genus humanum? Potest autem intelligi quæstio, vel de fide explicita, vel de implicita. Item, vel de tempore, quod præcessit promulgationem Euangelij, vel quod secutum est.

2 Prima Conclusio. Explicita fides Mediatoris seu Redemptoris semper fuit necessaria ad salutem, tam in veteri, quàm in nouo Testamento. Loquor de fide, quæ sit explicita respectu Mediatoris seu Redemptoris præcisè, licet non sit explicita respectu Diuinitatis & passionis eiusdem Mediatoris: ac proinde de tali fide, qua quis credit, saltem in confuso, Deum prospexisse nobis de aliquo Mediatore, per quem liberari possimus à peccato, licet non credat in particulari, hunc Mediatorem esse Deum & hominem, qui sua morte liberat nos à peccatis. Hoc sensu docent hanc conclusionem Alexander 3.p.q.82.memb.3.art.1. Albertus in 3.dist.25.art.1. Bonauentura ibid.art.1.quæst.2. Scotus q.1.Gabriel q.1.art.2.conc.3.

3 Et probatur 1. ex Scriptura, quia Apostolus in epist. ad Romanos nihil aliud conatur ostendere, quàm quod nemo possit iustificari, nisi per fidem in Christum; ac proinde nec cognitionem naturalem, nec legem Mosaicam sufficere ad salutem & iustificationem. Et in epist. ad Galatas, cap. 3. 22. ait: *Scriptura conclusit omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Vnde sic argumentor: Hæc fides in Christum, quæ iuxta Apostolum necessaria est ad iustificationem, debet explicitè versari circa aliquid, quod est in Christo: Ergo vel circa munus Redemptoris, vel circa Diuinitatem, vel circa mortem & passionem. At non semper requiritur explicita fides circa Diuinitatem aut mortem Christi, vt in sequenti conclusione probabo: Ergo vt minimum requiritur explicita fides circa munus Redemptoris seu Mediatoris.

4 Secundo, probatur ex Augustino, epist. 89. ad Hilarium, quæst. 3. & epist. 157. ad Optatum, & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7. vbi expresse docet, iustos veteris Testamenti non fuisse liberatos, nisi per eandem fidem Mediatoris, per quam & nos liberamur. Et hoc confirmat ex illo 2. Cor. 4. 13. *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* Item ex illo Act. 15. 11. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

5 Tertio, probatur ratione, quia Deus non vult nos saluare sine nostro labore & cooperatione. Vult enim vt quæramus & desideremus Medicum, qui nos sanet à corruptione peccati. At non possumus quærere & desiderare Medicum, nisi aliquo modo illum cognoscamus: Nec possumus illum certò cognoscere in hac vita, nisi per fidem: Ergo hæc fides est nobis ad salutem necessaria.

6 Secunda Conclusio. Explicita fides diuinitatis & mortis Christi non fuit necessaria necessitate medij in veteri Testamento. Est communis sententia Scholasticorum in 3 d. 25. Et probatur, quia illa mysteria, quorum fides explicita fuit necessarium medium ad salutem, procul dubio fuerunt communiter nota fidelibus Iudæis, quos Deus ante Christi aduentum voluit habere sufficiens medium ad salutem, & eam mysteriorum fidei cognitionem, sine qua non poterat esse salus. Quod autem Messias, qui expectabatur à Iudæis, futurus esset verus Deus, & pro hominibus moriturus, nõ fuit Iudæis communiter notum; nec ipsis Pharisæis, qui doctiores erant, vt colligitur ex illo Galat 3. 23. *Priusautem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelandá erat.* Vbi loquitur Apostolus de fide diuinitatis & mortis Christi, quæ in veteri Testamento non erat reuelata. Vide August. lib. 19. contra Faust. c. 14.

7 Quæres, An nullus in veteri Teſtamento explicitè crediderit diuinitatem & mortem Chriſti? Aliqui affirmant Sibyllas credidiſſe, vt Auguſtin. lib. 13. contra Fauſt. c. 15. Aliqui Iobum & Sibyllas, vt D. Thomas q. 2. art. 7. ad 3. Alij Adamum & Enoch. quæ omnia probabilia ſunt.

8 Tertia Concluſio. An autem explicita fides diuinitatis & mortis Chriſti, ſit medium neceſſarium ad ſalutem in nouo Teſtamento, non conueniunt Theologi. Tres ſunt opiniones. Prima ſimpliciter negat, quam ſequitur Vega lib. 6. ſuper Conc. Trid. c. 19. Medin. l. 4. de recta in Deum fide, c. 20. & nonnulli alij recentiores. Ratio eſt, quia perfecta dilectio Dei, & contritio peccatorum, ſunt proximæ diſpoſitiones ad iuſtificationes, quibus poſitis, infallibiliter ſequitur iuſtificatio. Hæ autem diſpoſitiones poſſunt eſſe ſine explicita fide diuinitatis & mortis Chriſti: Ergo ſine eadem fide poteſt eſſe iuſtificatio. Minor patet, quia illæ diſpoſitiones fuerunt in iuſtis veteris Teſtamenti ſine explicita fide diuinitatis & mortis Chriſti. Nec mirum, quia ex ſola fide vnius Dei & æternæ beatitudinis poteſt excitari dilectio Dei, & deteſtatio peccatorum, quatenus ſunt contra Deum.

9 Altera opinio diſtinguit, aſſerens fidem explicatam Chriſti, non quidem eſſe medium neceſſarium ad iuſtificationem, (in quo conſentit cum præcedenti opinione) eſſe tamen neceſſarium ad beatitudinem. Ita Canus in Relect. de Sacramentis in genere, p. 2. q. 2. concl. 3. & Bannes in 2. 2 q. 2. art. 8. dub. 3. concl. 1. & 2. Ratio ſumitur ex quibuſdã Scripturæ teſtimoniis, quibus ſignificatur neceſſitas Fidei Chriſti ad beatitudinem, quæ citabimus paulo poſt pro 3. opinione, ad probandam neceſſitatem eiuſdem Fidei ad iuſtificationem. Eſt ergo.

10 Tertia opinio probabilior, poſt promulgationem Euangelii, fidem explicitam Chriſti Mediatoris, Diuinitatis, mortis & reſurrectionis, eſſe medium in re ne-

ceſſarium, non ſolùm ad beatitudinẽ, ſed etiam ad iuſtificationem illorum, qui habent vſum rationis, & qui per diſpoſitiones liberas & ſupernaturales conſequuntur remiſſionem peccatorum. Ita Valentia q. 2. p. 4. aſſer. 3. circa initium, vbi citat Hugonem Victorin. Alexand. Albertum, Bonauenturam & alios.

11 Et probatur 1. ex Scriptura. Marci 16. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et ſequitur, *Qui non crediderit, condemnabitur*, id eſt, qui non crediderit Euangelio, ad quod prædicandum mittebantur Apoſtoli. Fides autem Euangelij includit fidem diuinitatis, humanitatis & mortis Chriſti, per quam redempti ſumus. vt patet ex ſeqq. Ioan. 3. 14. *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et infrà. *Qui non credit in eum, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Et Ioan. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et Act. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionẽ peccatorũ accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Et Rom. 3. 22. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum.* Et cap. 10. 9. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.* Et Galat. 2. 16. *Non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.*

12 Ex his teſtimoniis ſic concludo: Nemo adultus poteſt iuſtificari, aut remiſſionem peccatorum conſequi, ſine explicita fide Chriſti. Fides autem Chriſti in eo potiſſimum conſiſtit, vt credas Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, qui pro noſtra ſalute mortuus eſt, & reſurrexit. Hoc enim eſt fundamentum totius fidei Chriſtianæ, ſine quo in nouo Teſtamento nemo poteſt iuſtificari: Non quod ex natura rei id neceſſarium ſit, ſed quia Deus ſic ordinauit.

13 Hinc soluitur ratio primæ opinionis. Nam dilectio & contritio, quæ sunt vltimæ dispositiones ad iustificationem, nemini conferuntur in nouo Testamento, sine fide diuinitatis & mortis Christi: idque non ex natura rei, sed propter liberam Dei ordinationem, vt dictũ est.

14 Quod autem secunda opinio distinguit inter iustificationem & beatitudinem seu vitam æternam, frustrà est. Nam si explicita fides diuinitatis & mortis Christi non esset necessaria ad iustificationem, non esset etiam necessaria ad vitam æternam. Ratio est, quia vt aliquis secundum legem ordinariam possit consequi vitam æternam, satis est, si sit filius Dei adoptiuus, & consequenter habeat ius ad vitam æternam. At per iustificationem fit Filius Dei adoptiuus, & acquirit ius ad vitam æternam: Si ergo ad hoc non requiritur explicita fides diuinitatis & mortis Christi, nec ad vitam æternam requiritur; quod est contra authores illius opinionis.

III. QVÆSTIO.

An Fides Trinitatis sit neceſſarium medium ad ſalutem?

1 PRima Conclusio. Explicita fides Trinitatis non fuit necessarium medium ad salutem in veteri Testamento. Est communis sententia. Et probatur 1. quia mysterium Trinitatis nunquam fuit apertè reuelatum ante Christi aduentum, ac proinde non fuit communiter cognitum à fidelibus Iudæis: Ergo fideles Iudæi poterant saluari sine explicita ipsius fide & cognitione. Secundò, quia explicita fides Incarnationis non fuit tunc necessaria ad salutem, vt dictum est: Ergo nec Trinitatis. Videtur enim esse par ratio.

2 Secunda Conclusio. Explicita fides Trinitatis est necessarium medium ad salutem in nouo Testamento. Ita D. Thomas q. 2. art. 8. Valentia quæst. 2. p. 5. asser. 2. & plerique alij. Et probatur 1. quia explicita Fides Incarnationis est necessaria in N. T. vt suprà dictũ

est: Ergo etiam explicita fides Trinitatis, sine qua illa haberi non potest. Nemo enim potest credere mysterium Incarnationis, nisi credita Trinitate personarum. Secundò, quia Baptismus, qui est Sacramentum fidei Christianæ, debet conferri in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. (Matth. 28.19.)

3 Dices 1. Multi rustici sunt ita rudes, vt non possint intelligere, quomodo in vna Deitatis natura sint tres personæ realiter distinctæ. Respondeo. Non requiritur, vt intelligant, sed vt credant. Nam fides non tam consistit in notitia, quàm in assensu. Vnde rectè de huiusmodi hominibus dixit Augustinus in lib. contra Epistolam Fundamenti, cap. 4. *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et tract. 40. in Ioannem: *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* Et serm. 189. de Tempore: *Accepto baptismo hoc dicimus: Fidelis factus sum: Credo, quod nescio.* Et ratio est, quia in eo, qui credit, sunt hæc duo. 1. Apprehensio. 2. Iudicium, seu assensus. Apprehensio non est fides, sed aliquid fidem præcedens. Iudicium verò non oritur ex euidentia rei, sed ex sola authoritate dicentis; & ideò per illud iudicium non propriè intelligimus, sed credimus, iuxta illud Augustini in lib. de vtilitate credendi, cap. 11. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, authoritati.*

4 Dices 2. Multi in nouo Testamento iustificati sunt antequam crederent Trinitatem aut Incarnationem, vt Cornelius Centurio. (Act. 10.1.) & Eunuchus Reginæ Æthiopum (Act. 8.27.) & Lydia purpuraria (Act. 16. 14.) Respondeo. Si iustificati sunt post auditum ab Apostolis Euangelium, non sine fide Christi iustificati sunt: Et hoc videtur sentire Augustinus de Cornelio in lib. de prædest. sanct. cap. 7. Si autem ante promulgationem Euangelij fuerunt iusti, iam cessat obiectio contra nostram doctrinam, quia nos tantùm loquimur de iis, qui

iuſtificantur in nouo Teſtamento poſt ſufficientem Euangelij promulgationem.

IV. QVÆSTIO.

An Fides alicuius alterius myſterij ſit medicum neceſſarium ad ſalutem?

1 EX dictis conſtat, expliciram fidem exiſtentiæ Dei, Incarnationis & Trinitatis, eſſe medium neceſſarium ad ſalutem in nouo Teſtamento. Nunc quæritur, an præter hæc tria, neceſſe ſit aliquid aliud credere, neceſſitate medij. Nam de neceſſitate præcepti, iam ante actum eſt.

2 Prima Concluſio. Præter illa tria myſteria, neceſſe eſt etiam explicitè credere, Deum eſſe remuneratorem vitæ æternæ, iuxta illud Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Deinde neceſſaria eſt explicita fides omnium articulorum Symboli, non in re, ſed in voto. Nemo enim poteſt iuſtificari, niſi habeat propoſitum ſeruandi omnia præcepta: ſed præceptum eſt, vt credantur omnes articuli in Symbolo comprehenſi, vt ſuprà dictum eſt: Ergo nemo poteſt iuſtificari ſine propoſito ſeruandi hoc præceptum: Ergo fides explicita omnium articulorum, ſaltem in voto ſeu propoſito neceſſaria eſt. Denique neceſſaria eſt implicita fides eorundem articulorum. Nam illa continetur in illo actu, quo credimus vera eſſe, quæ à Deo reuelata ſunt. Hic autem actus planè neceſſarius eſt ad iuſtificationem, vt patet ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. c. 6.

3 Secunda Concluſio. Qui credit ea, quæ iam dicta ſunt, & errat circa alia quædam dogmata, quæ alioqui non ſunt creditu neceſſaria neceſſitate medij; non poteſt ſaluari, niſi depoſito errore. Eſt contra quoſdam politicos, qui putant Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas ſaluari poſſe, ſi credant præcipua fidei myſteria,

licet in aliis non rectè sentiant. Sed falso. Nam semper ab Ecclesia pro hæreticis habiti sunt, non solùm qui errant circa Trinitatem & Incarnationem; sed etiam, qui admissa Trinitate & Incarnatione, errarunt circa peccatum originale, circa necessitatem gratiæ, circa Ecclesiam, circa Sacramenta: Et sic deinceps.

4 Et ratio est, quia hoc tempore, duo necessaria sunt, vt credamus aliquid fide diuina seu supernaturali, de qua agimus. Vnum est reuelatio Dei. Nihil enim creditur fide diuinâ, nisi quod à Deo dictum seu reuelatum est. Alterum, propositio Ecclesiæ. Nam vt aliquid credatur, debet nobis proponi, non priuata, sed publica authoritate, tanquam reuera à Deo reuelatum. Non enim est cuiusvis priuati hominis determinare & proponere, quæ à Deo reuelata sunt, sed Ecclesiæ, quæ errare non potest. Est enim *columna & firmamentum veritatis* (1. Timoth. 3. 15.) *& portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* (Matth. 16. 18.) Nunc sic argumentor: Ille non habet veram fidem, qui non est paratus credere omnia, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia ad credendum proposita: Sed qui negat aliquem articulum, etiam minimum, etiamsi dicat se alios acceptare, non est paratus credere omnia, quæ à Deo reuelata, & ab Ecclesia ad credendum proposita sunt: Ergo non habet veram fidem. At sine vera fide saluari nemo potest: Ergo, &c.

Caput XIII.

De vitijs Fidei oppositis, ac primum de infidelitate in communi.

HActenus actum est de virtute Fidei. Nunc agendum est de vitiis oppositis. Ac primùm generatim de infidelitate, cuius species sunt Paganismus, Iudaismus, & hæresis. Ad quas reuocari possunt Apostasia, & Blasphemia. De quibus omnibus agit D. Thomas

quæst. 10. 11 12. 13. & 14. Et quidem de infidelitate quæritur 1. An omnis infidelitas sit peccatum. 2. quot sint species peccati infidelitatis. 3. an liceat communicare cum infidelibus. 4. an liceat eos ad Fidem vel baptismum compellere. 5. an liceat illorum ritus tolerare. 6. an liceat eorum terras vi occupare. 7. an possit illis permitti dominium in Christianos.

I. QVÆSTIO.

An omnis infidelitas sit peccatum?

1 SOlet distingui duplex infidelitas. Vna purè negatiua, qualis est in multis gentilibus, qui nihil vnquam audierunt de Fide. Altera contraria, qualis est in illis, qui quidem audiuerunt de Fide, sed tamen vel contemnunt illam, vel contradicunt; vt sunt hæretici, Turcæ, Iudæi, & multi Gentiles, quibus Fides Christiana sufficienter promulgata est. Nunc quæritur, an prior infidelitas, nempe purè negatiua, sit peccatum contra Fidem? Nam de posteriori constat, peccatum esse. Solutio pendet ex alia quæstione, an scilicet in gentilibus possit esse inuincibilis ignorantia nostræ Fidei? Si potest, iam illorum infidelitas non est peccatum. Si non potest, iam peccant non credendo.

2 Aliqui putant, nullum gentilem inuincibiliter, seu sine sua culpa, ignorare nostram Fidem: vt Alexander, Albertus, Gabriel, Bonauentura, & alij quidam apud Gabrielem Vasquez in 1. 2. disp. 120. cap. 1. Et probatur primo ex illo communi axiomate; *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem.* Fides autem est necessaria ad salutem: Ergo Deus nemini illam denegat, nisi qui non facit quod in se est. Ergo denegat propter culpam.

3 Secundò, quia alioqui sequeretur alterum è duobus: Vel aliquem posse saluari sine Fide, vel salutem illi esse impossibilem. Vtrumque falsum est. Sequela patet,

quia si aliquis potest inuincibiliter ignorare fidem, vel poterit saluari, vel non poterit. Si poterit, iam sine fide saluabitur. Si non poterit, iam salus erit illi impossibilis.

4 Tertiò, Faciamus aliquem esse, qui habeat inuincibilem ignorantiam fidei, & nunquam peccauerit mortaliter. quid de illo futurum est? Non potest saluari, quia fidem non habet. Nec potest damnari, quia non peccauit mortaliter.

5 Quartò, Apostolus Rom. 10. 18. videtur supponere, quod nemo possit se excusare propter ignorantiam, cum Euangelium vbique sufficienter prædicatum sit: *Nunquid*, inquit, *non audiuerunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

6 Prima Conclusio. Potest aliquis inuincibiliter, & sine culpa ignorare mysteria fidei Christianæ; & in tali casu infidelitas illius non est peccatum contra fidem. Ita D. Thom. quæst. 10. art. 1. Vasquez loco citato, cap. 3. & alij, quos ibidem adducit. Et colligitur ex illo Ioan. 15. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* quod explicat Augustinus (tract. 89. in Ioannem) de peccato infidelitatis. Et dicit eos, quibus Christus prædicatus non est, habere excusationem; *non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.*

7 Ratio conclusionis est, quia tunc aliquis censetur inuincibiliter rem aliquam ignorare, quando nihil vnquam de illa vel audiuit, vel cogitauit, vel per industriam humanam audire vel cogitare potuit: At multi sunt gentiles hoc tempore, qui nihil vnquam audiuerunt vel cogitarunt de fide Christi, neque in illis locis, vbi viuunt, moraliter audire vel cogitare potuerunt: Ergo censentur inuincibiliter ignorare fidem Christi. Et confirmatur exemplo eorum gentilium, qui vixe-

runt

runt tempore Christi, ante promulgationem Euangelij. Illi enim sine dubio inuincibiliter ignorabant Euangelium. At eadem est ratio de iis quibus hoc tempore non est promulgatum Euangelium.

8 Secunda Conclusio. Tametsi infidelitas in eo qui inuincibiliter ignorat fidem, non sit peccatum, vt dictum est, nihilominus est pœna peccati. Ita D. Thomas loco citato, & Augustinus epist. 109. ad Sixtum, circa medium, vbi tractat illud Rom. 1. 18. *Reuelatur ira Dei*, & tandem concludit, *ignorantiam in illis qui intelligere noluerunt, peccatum esse: in eis autem qui non potuerunt, pœnam peccati esse.* Ratio sumitur ex axiomate suprà allato: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem:* Ergo etiam non denegat fidem. Si ergo alicui eam denegat, hoc ideo est, quia homo non facit quod in se est: Ergo denegat in pœnam alicuius peccati. Hoc sensu, cap. 12. quæst. 1. concl. 3. dictum est, fidem Christi posse haberi à gentilibus, quantum est ex parte Dei, nisi ipsimet impediant. Nam si ipsi facerent quod in se est, Deus non deesset illorum conatibus, sed paulatim perduceret eos ad fidem. Nunc autem, quia plerique non faciunt quod in se est, ideo ipsi per sua peccata impediunt quominus ad fidem perducantur. Et consequenter infidelitas illorum est pœna alicuius peccati.

9 Dices, Si est pœna alicuius peccati, ergo est culpabilis. Si est culpabilis, ergo est peccatum, & non tantùm pœna peccati. Et confirmatur, quia sicut peccatum est in nostra potestate, sic etiam id quod sequitur ex peccato. At infidelitas negatiua sequitur ex peccato: Ergo est in nostra potestate, ac proinde culpabilis. Respondeo. Pœna potest duobus modis dici culpabilis. 1. quia oritur ex culpa seu peccato. 2. quia ipsa per se est culpa seu peccatum. Priori modo concedo infidelitatem negatiuam esse culpabilem: posteriori, nego. Addo, tametsi peccatum sit in nostra potestate, non tamen omne quod sequitur ex

peccato, censeri esse in nostra potestate, nisi fuerit aliquo modo præuisum, aut saltem potuerit præuideri & cauari. Hoc autem non fit in proposito. Nam Gentiles, qui nihil vnquam audiuerunt de Fide, non possunt præuidere se propter peccatum incursuros pœnam spiritalem, quæ consistit in negatione vel carentia Fidei Christianæ.

10 Ex dictis facile respondeo ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad 1. nihil aliud concluditur ex communi illo axiomate, quàm quod hîc dicimus, nempe infidelitatem Gentilium esse pœnam peccati: & eos ideo ignorare mysteria Fidei, quia non faciunt quod in se est.

11 Ad 2. Vtrumque verum est: Et, Neminem saluari sine Fide: Et, Vnumquemque posse saluari, si faciat quod in se est. Nam si id faciat, consequetur Fidem: si Fidem habeat, saluari potest, si aliunde sibi non desit.

12 Ad 3. Nullus adultus, qui est sine peccato mortali, discedit ex hac vita sine Fide. Nam si est sine peccato, facit quod in se est: si facit quod in se est, Deus non denegat illi necessaria ad salutem.

13 Ad 4. Apostolus ibi agit contra Iudæos, qui putabant Euangelium Christi ad se solos pertinere, non autem ad Gentiles: Et sibi solis factam esse promissionem salutis, non item aliis. Dicit ergo: *Non est distinctio Iudæi & Græci.* (Per Græcum intelligit omnes Gentiles.) *Nam idem Dominus omnium* (tam Gentilium quàm Iudæorum) *diues in omnes qui inuocant illum.* Poterant obiicere Iudæi, Gentiles non posse inuocare Deum, eo quod nihil audiuissent de Deo. Respondet Apostolus: *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum.* Quæ verba desumpta sunt ex Psalmo decimo octauo. Et possunt dupliciter intelligi. Primo, literaliter de cœlis, quorum sonus iam inde ab exordio mundi exiuit in omnem terram. Et omnes homines, tam Gentiles, quàm Iudæi, semper potuerunt ex aspectu, motu, & maiestate cœlorum, tanquam ex viua

concionatoris prædicatione, agnoscere Deum Creatorem, & illum inuocare, vt patet Rom. 1. 20. Nihil ergo ex hac parte plus habent Iudæi quàm Gentiles. Secundò, mystice de Apostolis, qui ad prædicandum Christi Euangelium, non solùm ad Iudæos, sed etiam ad Gentiles missi sunt, iuxta illud Marci 16. 15. *Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et quamuis hæc prædicatio inchoata sit ab Apostolis, tamen ab eorum successoribus debuit perfici, & adhuc quotidie perficitur.

14 Igitur ex loco Apostoli nihil concludi potest contra nostram doctrinam. Nam ex priori sensu, hoc solùm sequitur, Gentiles non habere inuincibilem ignorantiam veri Dei, quod certissimum est. Ex posteriori deducuntur hæ duæ propositiones, quæ ad rem faciunt. Vna, Gentiles non habere inuincibilem ignorantiam Christianæ Fidei (quæ multo plura includit, quàm fidem veri Dei) saltem pro eo tempore, quo illis Euangelium est prædicatum. Altera, Gentiles posse habere inuincibilem ignorantiam Christianæ fidei, pro eo tempore, quo nihil adhuc audiuerunt de Euangelio. Non enim omnibus & singulis, eodem tempore, sed successiue nunc his, nunc illis prædicatum est Euangelium, & adhuc prædicatur. Nec obstat illud verbum præteriti temporis, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ponitur enim præteritum pro futuro, more prophetico, vt plerique interpretantur, vt hic sit sensus: Prædicatio Apostolorum & successorum exibit in omnem terram.

II. QVÆSTIO.

Quot sint species peccati infidelitatis?

1 OStensum est, infidelitatem negatiuam, qualis est in quibusdam Gentilibus, qui nihil vnquam audiuerunt de fide Christi, non esse peccatum, sed tantùm infidelitatem contrariam, qualis est in iis, qui vel

contemnunt, vel repugnant Fidei, quæ illis sufficienter proposita est. Nunc quæritur, quot sint species contrariæ infidelitatis? & quomodo inter se distinguantur? & quæ illarum sit grauissimum peccatum?

2 Prima Conclusio. Infidelitas contraria, quæ opponitur Fidei, diuiditur in tres species, nempe in Hæresim, Iudaismum, & Paganismum. Ita D. Thomas quæst. 10. art. 5. & alij passim. Ratio est, quia tot sunt species alicuius vitij, quot modis contingit ipsum virtuti repugnare, vt patet in virtute morali, cui propterea duo vitia contraria sunt, quia duobus modis contingit vitium illi repugnare, nempe per excessum, & defectum. At infidelitas potest tribus modis repugnare Fidei Christianæ: Ergo tres sunt species infidelitatis. Minor patet, quia vel potest repugnare Fidei nondum receptæ, & tunc est Paganismus: vel Fidei susceptę in figura, & tunc est Iudaismus: vel Fidei susceptæ in veritate, & tunc est Hæresis. Quid sentiendum sit de Apostasia & Blasphemia, dicemus infrà suo loco.

3 Secunda Conclusio. Hæ tres species infidelitatis non distinguuntur essentialiter in ratione malitiæ seu peccati. Ita colligitur ex D. Thoma art. 5. ad 1. Ratio est, quia sicut virtus Fidei in eo consistit, quod aliquis credat diuinæ authoritati reuelanti. Hæc autem contradictio est eiusdem naturæ in Gentili, Iudæo & Hæretico, licet non habeat vbique easdem circunstantias, vt explicabo in sequenti conclusione. Et confirmatur, quia formalis ratio peccati non est aliquid positiuum, sed priuatiuum, vt suppono ex Tractatu de peccato: At in Hæresi, Iudaismo & Paganismo non sunt diuersæ priuationes essentialiter distinctæ: Ergo neque diuersæ malitiæ. Minor patet, quia priuationes vnius eiusdémque formæ non possunt essentialiter distingui: Sed prædictæ priuationes sunt vnius eiusdémque formæ, nempe illius bonitatis quę est in assensu Fidei: Ergo non distinguuntur essentia-

liter: Ergo Paganismus, Iudaismus & Hæresis non sunt vitia essentialiter distincta.

4 Tertia conclusio. Hæ tres species infidelitatis distinguuntur accidentaliter secundum magis & minus in eadem specie, id est, secundum maiorem & minorem oppositionem cum authoritate diuina. Ratio est, quia cæteris paribus, in Hæresi maior est oppositio cum Fide quàm in Iudaismo, & maior in Iudaismo quàm in Paganismo. Ibi enim maior est oppositio cum veritate Fidei, vbi est maior contemptus diuinæ authoritatis: Et ibi est maior contemptus diuinæ authoritatis, vbi maiora sunt fundamenta credibilitatis rerum à Deo reuelatarum. At hæc omnia maiora sunt in Hæreticis quàm in Iudæis, & in his quàm in Paganis. Nam Hæretici agnoscunt Messiam venisse, quod non agnoscunt Iudæi: & hi agnoscunt vetus Testamentum, quod non agnoscunt Pagani.

5 Quarta Conclusio. Inter has tres species infidelitatis grauissimum peccatum est hæresis. Ita D. Thomas art. 6. Et colligitur ex illo 2 Petri 2. 21. *Melius illis erat non cognoscere vitam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est.* Ratio patet ex dictis, quia licet in omni casu malum sit aduersari Fidei, tamen pessimum est aduersari Fidei susceptæ in manifesta veritate, quod faciunt Hæretici, cùm Iudæi solùm aduersentur Fidei susceptæ in figura, & Pagani nullo modo susceptæ.

6 Dices, Pagani errant circa plura, quàm Iudæi: & hi circa plura, quàm Hæretici: Ergo Paganismus est maxima infidelitas, & Hæresis minima. Respondeo. Hoc verum est extensiue, quoad plura obiecta materialia: non autem intensiue, quoad maiorem contemptum diuinæ authoritatis.

7 Quinta Conclusio. Præter illas tres species quas habet infidelitas, quatenus opponitur Fidei, potest habere

alias infinitas, quatenus respicit varios errores in materia Fidei. Ita D. Thomas art. 5. Ratio est, quia alius potest esse error circa Trinitatem, alius circa Incarnationem, alius circa iustificationem, alij circa alios articulos. Hoc sensu dicimus multas esse hæreses in mundo, aliam Arij, aliam Macedonij, aliam Pelagij, aliam Donati, & sic deinceps. Hæc autem distinctio est tantùm materialis, quia tantùm sumitur ex diuersitate articulorum: non autem formalis, quia non sumitur ex diuerso contemptu authoritatis Dei reuelantis.

III. QVÆSTIO.

An liceat communicare cum infidelibus?

1 HÆc quæstio cum sequentibus intelligitur de infidelibus non baptizatis, cuiusmodi sunt Gentiles & Iudæi. Nam de Hæreticis speciatim agendum est sequenti capite. Potest autem intelligi de triplici communicatione. 1. An liceat communicare cum infidelibus in rebus & actionibus politicis. 2. An etiam in iis quæ pertinent ad cultum infidelitatis seu falsæ religionis. 3. An liceat illos admittere ad cultum Fidei Christianæ.

2 Prima Conclusio. Licitum est communicare cum infidelibus in rebus politicis ac ciuilibus. Est communis sententia. Et colligitur ex illo 1. Cor. 7. 12, *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et cap. 10. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate.* Hîc concedit Apostolus duplicem communicationem cum infidelibus: Vnam in matrimonio, Alteram in cibo & potu. Hæ autem videntur esse præcipuæ inter eas, quæ solent fieri in rebus & actionibus ciuilibus: Ergo si hæ duæ licitæ sunt, reliquas omnes licitas esse verisimile est. Excipio tamen casum, si quis ex tali communicatione timeret periculum defectionis à Fide. Tunc enim deberet abstinere, quia eodem præcepto quo prohibetur de-

fectio, prohibetur etiam periculum defectionis, & consequenter communicatio, in qua est tale periculum.

3 Secunda Conclusio. Nullo modo licitum est communicare cum infidelibus, in iis rebus & actionibus, quę directe pertinent ad cultum infidelitatis. Est etiam communis sententia. Et colligitur ex illo 2. Cor. 6. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Et ex aliis quæ dicta sunt c. 9. qu. 5. §. 11. & sequentibus.

4 Tertia Conclusio. Licitum est infideles admittere ad prædicationem verbi Dei, non tamen ad sacrificium Missæ. Ita D. Thomas in 3. par. qu. 80. art. 4. ad 4. Et definitum est in Concilio Carthaginensi 4. can. 84. qui sic habet: *Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue Iudæum, siue Hæreticum, vsque ad Missam Catechumenorum.* Quæ verba referuntur apud Gratianum, cap. Episcopus, de Consecratione, dist. 1.

5 Dices: Si infideles possunt admitti ad nostras concliones & Ecclesias, quare nos vicissim non possumus admitti ad ipsorum conuenticula? Respondeo. Hoc perinde est ac si dicam: Si licet audire veritatem, cur non similiter errorem? Aut, si licet facere quod honestum est, cur non etiam quod turpe est? In nostris concionibus proponitur veritas Euangelij: in conuenticulis infidelium, error superstitionis & idololatriæ.

IV. QVÆSTIO.

An liceat infideles ad Fidem compellere?

1 INfideles alij subiecti sunt Principibus Christianis in temporalibus, alij non sunt. De vtrisque quæritur primò: An ad Fidem compelli possint à Prælatis Ecclesiæ, qui habent iurisdictionem spiritalem. Secundò: An à Principibus Christianis, qui habent iurisdictionem ciuilem. Tertiò: An saltem compelli possint, ne impediant fructum & prędicationem Euangelij.

2 Prima Conclusio. Prælati Ecclesiæ, qui habent iurisdictionem spiritalem, non possunt infideles compellere ad Fidem vel Baptismum suscipiendum. Ita D. Thomas quæst. 10. art. 8. & alij passim. Et colligitur ex illo 1. Cor. 5. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.* Vbi per eos qui foris sunt, intelligit infideles, qui sunt extra Ecclesiam: & per eos qui intus sunt, intelligit fideles qui sunt in Ecclesia. Vnde sic argumentor. Prælati Ecclesiæ non habent potestatem iurisdictionis in infideles, qui sunt extra Ecclesiam: ergo non possunt eos iudicare, aut pœnis ad fidem compellere. Dices: ergo nec hæreticos possunt compellere, quia & illi sunt extra Ecclesiam. Respondeo. Hæretici sunt extra Ecclesiam, quoad internam vnionem, quæ fit per Fidem: sunt tamen subiecti Ecclesiæ quoad iurisdictionem, ratione baptismi, vt dicam cap. 15. qu. 1.

3 Secunda Conclusio. Principes Christiani, qui habent iurisdictionem temporalem, non possunt etiam vllos infideles, ne quidem eos qui ipsis subiecti sunt in temporalibus, directe ad Fidem vel baptismum compellere. Ita D. Thomas art. 8. ad 2. Ratio est, quia potestas & iurisdictio illorum Principum ordinatur tantum ad finem naturalem, nec extendit se ad ea quæ sunt ordinis supernaturalis. At susceptio Fidei & baptismi non pertinet ad finem naturalem, sed ad supernaturalem: ergo potestas & iurisdictio Principum sæcularium ad eam se non extendit. Et confirmatur, quia in Principibus sæcularibus vel est tantùm iurisdictio ciuilis, vel etiam ecclesiastica. Si tantùm ciuilis, non extendit se nisi ad ciuilia & politica, qualis non est susceptio Fidei aut baptismi. Si etiam ecclesiastica, non potest exerceri, nisi in illos qui subiecti sunt Ecclesiæ: At infideles, de quibus agimus, non sunt subiecti Ecclesiæ, cùm sint foris, seu extra Ecclesiam, vt argumentatur Apostolus.

4 Dixi in conclusione, Principes seculares non posse directe compellere infideles ad Fidem vel baptismum, quia indirecte possunt. Et quidem duobus modis. Primo, negando illis ius habitandi in suis prouinciis, nisi audiant prædicationem Euangelij. Ratio est, quia quod quis absolute & sine conditione negare alicui ipsie potest, hoc multo magis negare potest sub honesta aliqua conditione. At Principes Christiani possunt absolute negare infidelibus ius habitandi in suis prouinciis: Ergo etiam possunt negare sub hac conditione, Nisi velint audire prædicationem Euangelij. Secundo, imponendo illis maiora tributa, quàm aliis subditis Christianis, (manendo tamen intra limites iustitiæ) vt hac ratione alliciantur ad Fidem Christianam, quando vident maiori benignitate agi cum Christianis, quàm cum aliis. De hac re vide Gratianum cap. Iam verò, 23. quæst. 6.

5 Dices 1. Paterfamilias in parabola Euangelica præcipit seruo vt exeat in vias, & compellat intrare ad cœnam quoscunque inuenerit. (Lucæ 14. 23.) Ergo omnes infideles compellendi sunt intrare in Ecclesiam, quod fit per Fidem & baptismum. Respondeo. Per illos qui ad cœnam intrare compelluntur, non significantur infideles, de quibus hîc agimus, sed hæretici & schismatici, qui ratione baptismi pertinent ad iurisdictionem Ecclesiæ, & compelli possunt, vt redeant ad vnitatem Corporis Christi. Ita exponit Augustinus epist. 50 ad Bonifacium. Si tamen intelligantur etiam infideles, tunc compellere non accipitur pro violenta compulsione, sed partim pro vehementia amoris Christi, quo desiderat omnes ad Fidem conuerti, partim pro vehementia miraculorum, quibus vsi sunt Apostoli ad conuertendos infideles. Hanc explicationem insinuat D. Thomas qu. 22. de Veritate, art. 9. ad vlt.

6 Dices 2. Infideles vi legis diuinæ obligantur ad Fidem & baptismum: Ergo Principes Christiani, qui sunt

cuſtodes legis diuinæ, poſſunt eos cogere ad id faciendum, ad quod obligati ſunt. Reſpondeo. Negatur conſequentia, quia Principes Chriſtiani non poſſunt eos cogere per iuriſdictionem Eccleſiaſticam, cùm infideles non ſint ſubiecti Eccleſiæ, vt ex Apoſtolo dictum eſt: Nec per iuriſdictionem ciuilem, quia illa non extenditur niſi ad ciuilia & policica.

7 Dices 3. Suſceptio Fidei & baptiſmi non cedit in detrimentum infidelium, ſed in commodum: Ergo nulla fit illis iniuria, ſi ad illam compellantur. Reſpondeo. Suſceptio Fidei & baptiſmi, quæ ſpontanea eſt, non cedit in detrimentum illius qui ſponte ſuſcipit Fidem & baptiſmum. Cogi autem & compelli ad ſuſceptionem Fidei & baptiſmi, eſt magnum grauamen illius qui compellitur: Et quidem grauamen contra iuſtitiam, ſi fiat ab eo, qui non habet poteſtatem compellendi, quam non habet Eccleſia reſpectu infidelium. Poteſt declarari ſimili exemplo. Votum caſtitatis ſponte ſuſceptum non cedit in detrimentum vouentis, ſed in commodum. Cogi autem ad vouendam caſtitatem ab eo qui poteſtatem non habet, eſt iniurioſum ei qui cogitur.

8 Dices 4. Deus aliquando per terrores compellit homines ad Fidem, quo pacto compulit Saulum (Act. 9. 4.) Ergo non peccant Principes, ſi idem faciant. Et confirmatur exemplis optimorum Principum, qui in hac re Deum imitati ſunt. Nam Siſebutus Rex compulit Iudæos ad baptiſmum, vt habetur in Concilio Toletano quarto, canone 55. & refertur apud Gratianum, cap. De Iudæis, diſtinctione 45. vbi etiam vocatur Rex religioſiſſimus. Similiter Conſtantinus Imp. iuſſit claudi omnia templa Paganorum, vt habetur L. Nemo, C. de Paganis. Et ideo laudatur ab Auguſtino, epiſt. 48. Denique Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, ante annos centum & aliquot, iuſſit omnes Iudæos ex Hiſpania, qui non conuerterentur, excedere.

9 Respondeo primo generatim. Non omnia quæ facit Deus, possunt imitari Principes. Nam Deus habet plenam iurisdictionem in omnes homines, quam Principes Christiani non habent, respectu infidelium in negotio Fidei. Secundo speciatim. Sisebutus Rex non laudatur propter factum, sed propter zelum. Imò, in eodem capite, vbi refertur hoc ipsius factum, expresse prohibitum est, ne deinceps Iudæi cogantur ad Fidem. Constantinus potuit in suis prouinciis impedire cultum idololatriæ, claudendo templa gentilium, quia hoc non est compellere ad Fidem, nisi indirecte. Et Ferdinandus eodem modo potuit expellere Iudæos ex suo regno, nisi vellent conuerti. quod enim quis absolute potest facere, potest etiam sub honesta conditione, vt dictum est. At Ferdinandus potuit absolute expellere Iudæos ex suo regno, quia non tenebatur eis dare ius perpetuò ibi habitandi.

10 Tertia Conclusio. Tametsi Ecclesia non possit compellere infideles ad Fidem vel baptismum, potest tamen eos compellere, vt non impediant prædicationem aut propagationem Fidei, sed potius vt permittant. Ita D. Thomas qu. 10. art. 8. Dominicus Sotus in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 10. & Victoria in Relectione de Indis. Ratio est, quia Princeps qui habet aliquod ius aut potestatem, non solùm potest illam exequi, sed etiam potest quoscunque alios compellere, vt non impediant proprij iuris executionem. Immò etiam bello punire eos, qui ipsi iniuriam inferunt, impediendo prædicti iuris executionem. At Ecclesia habet ius & potestatem prædicandi Fidem per vniuersum orbem: (Matthæi 28. 19. & Marci 16. 15.) Ergo etiam habet potestatem compellendi quoslibet infideles, vt non impediant Fidei prædicationem.

11 Hinc sequitur, Ecclesiam posse concedere alicui Principi Christiano curam & potestatem introducen-

di & conſeruandi idoneos Prædicatores in prouinciis infidelium, & vlciſcendi omnes iniurias huiuſmodi Prædicatoribus ab infidelibus illatas: Imo etiam titulo belli, occupandi infidelium prouincias, in quibus non permittitur libera Euangelij prædicatio.

12 Quæres, An Eccleſia poſſit etiam compellere infideles ad audiendam Euangelij prædicationem? Ratio dubitandi eſt. 1. quia Eccleſia poteſt eos compellere, vt non impediant Euangelium: At eo ipſo, quod non volunt audire prædicationem Euangelij, cenſentur impedire Euangelium: ERGO Eccleſia poteſt eos compellere ad audiendum. 2. Eccleſia habet ius prædicandi Euangelium, vt dictum eſt: ERGO habet ius compellendi omnes ad audiendum Euangelium. Sequela patet à ſimili, quia ex eo quod Eccleſia habet ius remittendi peccata, recte colligunt Theologi, habere etiam ius compellendi homines vt confiteantur ſua peccata: ERGO ſimiliter ex eo quod habet ius prædicandi Euangelium, recte colligitur habere ius compellendi homines, vt audiant prædicationem Euangelij.

13 Reſpondeo ex dictis cum diſtinctione. Nam Eccleſia non poteſt directe compellere infideles ad audiendum Euangelium, quia non habet iuriſdictionem in illos: poteſt tamen indirecte id facere, negando illis ius habitandi inter Chriſtianos, niſi velint audire prædicationem Euangelij. Nec obſtant rationes contrariæ. Non prior, quia infideles ex eo præciſe quod nolint audire Euangelium, non cenſentur illud impedire, ſed ex eo quod alios cupientes audire, non permittant id facere. Nec poſterior, quia non eſt ſimile de iure remittendi peccata, & prædicandi Euangelium. Nam alterum conceſſum eſt Eccleſiæ, reſpectu ſubditorum tantùm, qui ratione baptiſmi, ſubiecti ſunt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: Alterum verò, reſpectu omnium, etiam non ſubditorum, in quos Eccleſia non habet iuriſdictionem.

V. QVÆSTIO.

An liceat infidelium ritus tolerare?

1 SVppono ex dictis, infideles aut subiectos esse Principibus Christianis in temporalibus, aut non esse. Deinde, ritus infidelium ad tria capita posse reuocari. Nam alij sunt iniurioſi Christianę religioni, aut Ecclesiasticæ potestati. Alij sunt iniurioſi innocentibus, cuiusmodi est immolatio infantium. Alij denique sunt iniurioſi contra legem naturalem.

2 Prima Conclusio. Quando infideles non sunt subiecti Principibus Christianis, tunc eorum ritus, qui sunt iniurioſi contra legem naturalem, tolerari possunt, & debent, vt patebit ex sequenti quæstione. Qui verò sunt iniurioſi Christianæ religioni, aut Ecclesiasticæ potestati, aut innocentibus, possunt à Principibus Christianis prohiberi & impediri. Ratio est, quia Ecclesia habet ius propagandi & defendendi suam Fidem ac religionem: Ergo habet ius impediendi ea omnia quæ sunt iniuriosa Fidei ac religioni. Hoc iure vsus est Innocentius Papa in Concilio Generali, quando præcepit puniri illos infideles, qui contra Christum blasphemarent, vt habetur cap. In nonnullis, De Iudæis & Saracenis. Similiter quilibet homo ius habet defendendi innocentem iniuste oppressum. (Prouerb. 24. 11.) Sed infans qui immolatur, innocens est, & iniuste opprimitur: Ergo quilibet habet ius impediendi immolationem infantium.

3 Secunda Conclusio. Quando infideles subiecti sunt Principibus Christianis, tunc omnes eorum ritus impediri & prohiberi possunt, etiam illi, qui tantùm sunt iniurioſi contra legem naturalem. Ratio est, quia Principes Christiani habent ius cogendi omnes suos subditos ad obseruationem legis naturalis, vt patet 1. ex vsu Principum Christianorum. Nam Constantinus Imp. tulit leges contra idololatras, cap. De Paganis: quæ leges ap-

probatæ sunt ab Augustino, vt suprà dixi. 2. quia iurisdictio temporalis extenditur etiam ad naturalem finem obseruationis legis naturalis, præsertim eorum præceptorum, quę concernunt publicam pacem, aut publicam morum honestatem.

4 Quęres, An sicut hi ritus prohiberi & impediri possunt, ita & permitti possint à Principibus Christianis? Respondeo. Possunt permitti ex triplici causa. Primo, ad vitandum maius malum, cuiusmodi esset magna perturbatio reipublicę. Secundo, ne impediatur maius bonum, cuiusmodi esset conuersio infidelium, quę sperari posset ex eo, si ad tempus tolerentur eorum ritus. Tertio, propter pręsentem aliquam vtilitatem, quo pacto facilius tolerantur ritus Iudęorum quàm gentilium, quia ritus Iudęorum confirmant veritatem nostrę Fidei, cuius figuram continent, & ideo suppeditant nobis argumenta contra ipsos Iudęos. Ita D. Thomas qu. 10. art 11. & Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 46. vbi ait, Iudęos ideo non fuisse extinctos à Deo, sed permissos dispergi in totum mundum, vt ab inimicis nostris haberemus testimonium nostrę Fidei.

5 Quæres 2. An sicut ritus Iudæorum, sic etiam libri illorum tolerandi sint ab Ecclesia? Respondeo cum distinctione. Nam illi libri tolerandi sunt, qui continent simplicem expositionem veteris Testamenti. Ratio est, quia sicut ritus Iudaici, sic etiam huiusmodi libri defendunt figuram Christianæ Fidei, & testimonium præbent veritati. Alij vero libri, quos scribunt Rabbini contra Christum & nostram Fidem, non sunt tolerandi, sed comburendi, si commode fieri potest. Ratio est, quia sunt iniurioſi Christianæ Fidei, ac proinde Ecclesia ius habet eos impediendi. Vide Caietanum quæstione decima, articulo 11.

VI. QVÆSTIO.

An liceat terras infidelium vi occupare?

1 LOquor de infidelibus, qui habent propria regna, & non sunt subiecti Principibus Christianis in temporalibus. Et quidem constat ex dictis, licitum esse vi & bello occupare eorum terras, quando iniurioſi sunt Fidei Christianæ, aut Ecclesiasticæ potestati. Nam Ecclesia ius habet prædicandi Euangelium, & vlciscendi iniurias in hoc negotio sibi illatas. At quæstio est, An liceat eorum terras inuadere & occupare, propterea solùm quia infideles sunt, & peccant contra legem naturalem.

2 Prima conclusio. Probabile est id licere. Ita sentiunt Hostiensis, Panormitanus, Aluarus, Pelagius, Ioannes Maior, Antoninus, Syluester, Alphonsus à Castro, & Genesius Sepulueda apud Valentiam, quæst. 10. par. 7. Probatur 1. ex Scriptura, quia infideles propter suam infidelitatem amiserunt dominium suarum rerum, idque translatum est ad Christianos, iuxta illud Ecclesiastici 10. 8. *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, iniurias, & contumelias.* Et Isaiæ 60. 12. *Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Quibus verbis prædixit fore, vt omne dominium infidelium transferatur ad Ecclesiam Christianorum.

3 Secundo, ex authoritate Pontificum & Patrum. Gregorius Papa libro primo, epist. 73. laudat Gennadium Exarchum Africæ, quod bello inuasisset infideles, vt apud eos prædicari posset Euangelium. Et Alexander Sextus concessit Ferdinando Regi Hispaniæ, vt occuparet Insulas Occidentales, & eas sibi seruaret. Et Cyprianus in lib. de exhortatione martyrij ad Fortunatum, cap. 5. recenset aliqua præcepta veteris Testamenti, quibus Deus mandat idololatras interfici: Et deinde subiungit hæc verba: *Quod si ante aduentum Christi, circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt, quanto*

magis post aduentum Christi seruanda sunt? Et Augustinus epist. 50. ad Bonifacium, ait: *Nam & temporibus Prophetarum, omnes Reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: Et qui prohibuerunt, & euerterunt, super aliorum merita laudantur.*

4 Tertio, exemplo Israelitarum, qui Deo volente & approbante, vi & armis occuparunt terras gentilium, propter illorum idololatriam & transgressionem legis naturalis, iuxta illud Deut. 12. 2. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentiles deos suos. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, & idola comminuite.*

5 Quarto, accedit ratio, quia licitum est armis infestare infideles, ad vlciscendam iniuriam quam inferunt nobis vel proximis nostris, vt ex dictis patet, & colligitur ex illo Psal. 81. v. 4 *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Ergo multo magis ad vlciscendam iniuriam, quam inferunt Deo per idololatriam. Denique nisi id liceret, nullus esset modus quo peccata infidelium puniri possent ab hominibus, quod videtur absurdum.

6 Secunda Conclusio. Probabilius est non licere Christianis Principibus punire gentiles, aut vi occupare illorum terras propter solam idololatriam, aut alia peccata contra legem naturalem. Ita Caietanus, Victoria, Couarruuias, Bannes, & alij apud Valentiam loco citato. Ratio est, quia tres tantùm sunt tituli, quibus licet aliquem punire, aut vim inferre. Primus est iurisdictionis, vt cùm Princeps punit suos subditos, quando peccant. Alter charitatis, vel erga se, vel erga proximum: vt cùm aliquis se, vel proximum iuste defendit, siue quoad vitam, siue quoad alia bona. Tertius iustitiæ vindicatiuæ, vt cùm Princeps vlciscitur iniuriam alicui illatam. Atqui nullus ex his titulis locum habet in nostro casu.

7 Non primus, quia Princeps Christianus non habet iuris-

iurisdictionem in gentiles, ex eo præcisè, quia infideles sunt. Nam constat ex Scriptura, Principes infideles propter idololatriam non amittere dominium rerum suarum, aut iurisdictionem in subditos, iuxta illud Matthæi vigesimo secundo, versu vigesimo primo: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Lucæ 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum.* Et Romanorum 13. 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Et 1. Petr. 2 13. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus tanquam ab eo missis.* Et paulo post: *Non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Ex quibus locis patet, Principes infideles seruare suum dominium & iurisdictionem; ac proinde ex eo præcisè, quia infideles sunt, non transferri ius ac potestatem illorum in Principes Christianos, neque his subiectos esse. Vnde titulo iurisdictionis nõ possunt Christiani eos punire, aut eorum terras vi occupare. Hoc sensu rectè docet Augustinus sermone sexto de Verbis Domini, capite vndecimo, non posse infideles à nobis compesci, nisi habeamus prius in illos potestatem. Et hoc confirmat ex illo Deuteronomij septimo, versu primo: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & tradiderit tibi gentes, percuties eas ad internecionem.* Et infrà: *Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite.* quam sententiam proponit & explicat hoc modo: *Cùm data fuerit vobis terra in potestatem, (Prius ait, in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt) Aras, inquit, eorum destruetis; lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cùm acceperitis potestatem, hoc facite. Vbi nobis non est data potestas, non facimus: vbi data est, non prætermittimus.*

8 Secundus Titulus, qui est charitatis erga se vel proximum, non habet etiam locum in nostro casu. Agimus enim de illis infidelibus, qui in suis regnis ac prouincijs

viuentes, non versantur cum Christianis, nec illis cupiunt nocere, vel in vita, vel aliis bonis temporalibus. Ergo Christiani ex solo titulo charitatis, quo possunt se aut proximum defendere, quoad vitam & alia bona temporalia, non possunt vim inferre gentilibus, qui hoc modo affecti sunt.

9 Tertius Titulus est Iustitiæ vindicatiuæ, quo licitum est eos punire, qui alicui faciunt iniuriam. At gentiles, de quibus loquimur, non faciunt nobis iniuriam, ex eo præcisè quod idola colunt: Ergo ex eo præcisè, non possumus titulo Iustitiæ eos punire, aut vim inferre.

10 Dices, Ipsi faciunt Deo iniuriam, tum quia colunt idola, tum quia peccant contra alia præcepta naturalia. Hanc autem iniuriam possunt Christiani vindicare. Respondeo. Inferior non debet vindicare iniuriam superiori illatam, nisi fiat cum illius voluntate & consensu. Nam cum ipse superior, qui iniuriam passus est, habeat ius vindicandi se eo modo quo vult, non debet inferior ipsius ius vsurpare: tum quia nescit an superior velit vindictam, necne: tum etiam, quia nescit modum, quo superior velit vindicare iniuriam sibi illatam. Cùm ergo Deus sit supremus omnium Dominus, qui & possit vindicare, & sæpè soleat condonare; non debemus sponte in ipsius iura inuolare, nisi constet de ipsius voluntate, de qua sanè nihil constat in nouo Testamento.

11 Ad argumenta prioris sententiæ sic respondeo. Ad 1. gentiles propter solam infidelitatem non amittunt dominium & iurisdictionem, vt ex Scriptura ostensum est. Locus Ecclesiastici, qui contrà adfertur, nihil aliud probat, quàm sæpè contingere, vt regna transferantur de gente ad gentem, quod verissimum est. At non solùm transferuntur ab infidelibus ad Christianos, sed etiam à Christianis ad infideles, vt patet ex

Imperio Orientali, quod olim Christianorum fuit, nunc Turcarum est. Ex loco Isaiæ hoc solùm colligitur, gentem eam, quæ erit extra Ecclesiam, non posse saluari.

12 Ad 2. Pontifices & Patres nihil asserunt contra nos. Gregorius Papa laudauit Gennadium, quod gereret bellum contra tales infideles, qui erant hæretici & apostatæ, vt patet ex epistola ipsius 72. ad eundem Gennadium. Alexander Sextus, si concessit Ferdinando dominium illarum Insularum, ex eo præcisè, quod gentiles essent, erranit in facto: si autem solùm concessit illi ius patrocinij in easdem Insulas suppositâ earum legitima conuersione, bene fecit. Cyprianus & Augustinus loquuntur de idololatris à fide apostatis, in quos Ecclesia ius habet. Nam Cyprianus eo loco vult deterrere Christianos ab apostasia, & hortari ad constantiam martyrij; ideóque adfert ex veteri Testamento præceptum Dei, quo iubentur interfici Israelitæ, quando deficiunt ad idololatriam: Et exemplum Matathiæ, qui interfecit Iudæum, qui ad aram gentilium sacrificaturus accesserat. Similiter Augustinus dicit Reges Iudæorum laudatos fuisse, qui euerterunt aras & idola, quæ ab apostatis Iudæis erecta fuerant in populo Dei.

13 Ad 3. Israelitæ habuerunt legitimum titulum occupandi terram Chananæorum, & eorum Reges interficiendi. Primò, quia Deus, qui omnium Dominus est, hoc illis mandauerat. Secundò, quia illa terra iure hæreditatis ad illos pertinebat. Nam Sem filius Noe fuit Dominus illius terræ, & postea per vim & arma, Chananæi filij Cham, eam vsurpauerunt. Et quia filij Abraham descendebant ex Sem, habebant ius recuperandi eandem terram. Ita Augustinus serm. 105. de Tempore.

14 Ad 4. Negatur consequentia, quia Deus ipse potest vindicare iniurias sibi illatas, quando vult, & eo modo

quo vult, nec constat nobis, an eas velit vindicare per Reges & Principes Christianos, sicut olim constabat, quod vellet vindicare per Mosen & alios Principes Iudæorum.

15 Ad 5. Non opus est, vt puniantur omnia peccata ab hominibus, quia Deus potest ea sufficienter punire, tum in hac vita, tum in futura. Deinde peccata quædam infidelium, quæ in externo actu consistunt, vt sunt furta, homicidia, adulteria, possunt puniri ab ipsorum Principe vel Magistratu. Non enim omnia fiunt impunè apud ipsos. Denique, Deus solet vnam ciuitatem aut nationem punire per aliam; quo pacto Iudæi puniti sunt per Babylonios.

VII. QVÆSTIO.

An infidelibus permitti possit dominium in Christianos?

1 HOc potest duobus modis intelligi. Primo, de nouo dominio, An scilicet permittendum sit infidelibus, vt acquirent nouum dominium in Christianos, quod antea non habuerunt. Secundo, de veteri dominio, an scilicet illis permittendum sit, vt retineant antiquum dominium in suos subditos, quando hi conuertuntur ad Fidem Christianam.

2 Prima Conclusio. Non est permittendum infidelibus, vt acquirant nouum dominium in Christianos, quod antea non habuerunt. Ita D. Thomas quæst. 10. art. 10. Et colligitur ex multis canonibus in Decretalibus, Titulo de Iudæis & Saracenis. Ratio est, quia hoc cederet in scandalum & periculum Fidei. De scandalo patet, quia infideles facilè notarent peccata & defectus subditorum fidelium, & ita contemnerent ipsorum fidem. Hinc Apostolus prohibuit, vt fideles non contendant in iudicio coram Iudice infideli. (1. Corinth. 6. 1.) De periculo fidei etiam patet, quia facilè contingeret, vt fideles subditi peruerte-

rentur authoritate superiorum infidelium.

3 Secunda Conclusio. Antiquum dominium, quod infideles habent in suos subditos, non amittitur per hoc præcisè, quod subditi fiant Christiani. Ita D. Thomas ibidem. Et colligitur ex illo 1. Timoth. 6. 1. *Quicunque sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt.* Quibus verbis comprehendit Apostolus duplices seruos Christianos: Alios, qui subiecti sunt Dominis infidelibus: alios, qui subiecti sunt fidelibus. Ergo supponit, Dominos infideles non amittere antiquum dominium per hoc præcisè, quod subditi eorum fiant Christiani. Et ratio est, quia iure gentium potest vnus homo habere dominium & iurisdictionem in alium, vt rectè notat D. Thomas. Infideles autem sunt capaces huius dominij, quia non fundatur in fide, fideles autem non sunt iure diuino exempti. Nullibi enim habetur tale ius.

4 Dices, Christus videtur eos exemisse, Matthæi 17. 25. cum ait: *Ergo liberi sunt filij.* Vbi sermo est de libertate à soluendo tributo: Et sensus est, non debere Christianos tributum dare infidelibus. Eodem spectat illud Apostoli ad Galatas 5. 13. *Vos in libertatem vocati estis fratres.* Vnde idem Apostolus, 1. Corinth. 6. 1. reprehendit fideles, quod causas agerent apud Iudicem infidelem. Respondeo. Christus loquitur de seipso; & argumentatur hoc modo: Si filij Regum terrenorũ liberi sunt à tributo; quanto magis ego, qui sum filius Regis cœlestis? An autem ille locus extendi possit ad personas etiam Ecclesiasticas, alibi tractandũ est. Apostolus verò in priori loco tantùm loquitur de libertate à peccato, & à iugo legis Mosaicæ. In posteriori reprehendit Christianos, quod cum possint adire Iu-

dicem Christianũ, adeant tamen infidelem. Nam quod alioqui liceat adire infidelem Iudicem, docuit suo exemplo, quando appellauit ad Cæsarem, Act. 25. 11.

5 Quæres; An saltem Ecclesiá possit infideles priuare suo dominio, quando ipsorum subditi fiunt Christiani? Affirmat D. Thomas art. 10. Et addit, Ecclesiam de facto priuasse infideles, qui subiecti sunt Principibus Christianis; non autem alios, quamuis & illos priuare possit. Respondeo per duas sequentes conclusiones.

6 Tertia Conclusio. Ecclesia potest infideles priuare antiquo dominio, respectu eorum subditorum, qui fiunt Christiani, quando ipsimet Domini infideles subiecti sunt Principibus Christianis. Ita D. Th. loco citato. Et constat ex praxi Ecclesiæ, quæ iam pridem statuit, vt Iudæorum serui (siue vernaculi sint, id est, in seruitute nati, siue ad seruitutem empti) liberi sint eo ipso, quod ad fidem conuertuntur. Quod si fuerint empti ad mercationem, iussit vt intra tres menmenses venum exponantur, vt emi possint à Christianis. Ita habetur in Decreto apud Gratianum, capite, Fraternitatem, distinct. 54. Et in Decretalibus, cap. Præsenti, & cap. Multorum, De Iudæis & Saracenis. Ratio est, quia Ecclesia & Principes Christiani possunt Iudæis & aliis infidelibus sibi subiectis imponere tributum: Ergo etiam loco tributi, seu per modum tributi possunt illis imponere hoc onus, vt amittant dominium in eos, qui Christiani fiunt. Secundò, quia Princeps Christianus potest in suo regno ferre hanc legem, vt omnes serui, qui fiunt Christiani, hoc ipso liberi sint à dominio & obedientia dominorum suorum. Hæc autem lex, cùm iusta sit, obligat omnes infideles, qui in tali regno subiecti sunt Principi Christiano: Ergo vi huius legis, tenentur omnes infideles dimittere suum dominium, quod habebant in suos famulos, quando hi ad fidem conuertuntur. Tertiò, quia Princeps

Reipublicæ potest aliquem priuare dominio aliquarum rerum, si illud expediat ad bonum commune: Ergo etiam dominio aliquarum personarum, propter eandem causam.

7 quarta Conclusio. An autem Ecclesia possit infideles priuare tali dominio, quando non sunt subiecti Principibus Christianis, controuersia est. Aliqui simpliciter affirmant, vt D. Thomas loco citato. Ratio eius est, quia infideles propter suam infidelitatem digni sunt qui priuentur omni dominio in Christianos: Ergo Ecclesia potest eos priuare. Alij simpliciter negant. Ratio est, quia Ecclesia non habet vllam iurisdictionem in huiusmodi infideles, vt suprà probatum est: Ergo non potest illos priuare suo legitimo dominio. Alij rectius distinguunt hoc modo: In Ecclesia est duplex potestas seu iurisdictio: Vna spiritualis seu Ecclesiastica: altera temporalis seu politica. Prælati Ecclesiæ non habent iurisdictionem spiritualem in infideles non baptizatos, ac proinde non possunt illos directè punire vi huius iurisdictionis. Habent tamen hanc iurisdictionem in subditos infidelium, quando ad fidem conuersi sunt; ac proinde possunt ac debent eorum saluti consulere, pericula remouere, iniurias illatas vindicare, vel per se, vel per Principes Christianos sæculares. Hinc sequitur, si subditi infidelium essent in periculo salutis, ex eo præcisè, quia manent apud Dominos infideles, & Domini infideles nollent hoc periculum remouere, quantum in se esset, posse illos priuari dominio per modum pœnæ, quia scilicet abutuntur illo in detrimentum filiorum Ecclesiæ. Si autem nullum esset periculum, & infideles domini permitterent suos subditos viuere secundùm instituta Christiana, tunc non possunt priuari dominio suo, vi solius iurisdictionis spiritualis.

8 Quod verò attinet ad politicam iurisdictionem, non

possunt Principes Christiani, qui eam habent, directè eam exercere in infideles sibi non subiectos, vt per se patet: Neque indirectè, nisi quatenus vel pro se, vel pro aliis vlciscuntur iniurias ab infidelibus illatas, vt sæpè dictum est.

CAPVT XIV.

De Hæresi & Apostasia.

QVæritur 1. Quid propriè sit Hæresis. 2. qui propriè dicendi sint Hæretici. 3. Quid sit Apostasia. Addi potest ex D. Thoma, quid sit Blasphemia.

I. QVÆSTIO.

Quid propriè sit Hæresis?

1 PRima Conclusio. Hæresis, si etymologiam spectes, significat electionem, vt notat Tertullianus in libro de Præscriptionibus, c. 6. Hieronymus in cap. 5. Epistolæ ad Galatas, D. Thomas quæst. 11. art. 1. & alij passim. Hinc sequitur, omnem sententiam, quam quis eligit, siue vera, siue falsa sit, posse vocari hæresim, id est, electionem. Dices: Ergo doctrina Christianæ Fidei poterit etiam vocari hæresis; quod videtur absurdum. Aliqui negant hoc sequi, quia hæresis est sententia, quæ suscipitur electione humana. At doctrina nostræ Fidei non suscipitur electione humana, sed potius ex instinctu & gratia Dei, iuxta illud Ioannis 6. 44. *Nemo potest venire ad me*, (nempe per Fidem) *nisi Pater meus traxerit illum.* Et cap. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Hinc etiam D. Paulus non voluit doctrinam Fidei vocare hæresim, sed dicit ab aliis hoc nomine vocatam esse, vt patet ex illo Act. 24. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, deseruio Deo meo.* Sed quidquid sit de nomine, vsus iam obtinuit, vt hæresis non sumatur pro doctrina Fidei, sed pro errore contra doctrinam Fidei, vt deinceps explicabimus. Sit ergo.

2 Secunda Conclusio. Hæresis, si vsum vocabuli spectes, solet accipi in malam partem, & significat errorem in fide. Definitur autem hoc modo: *Hæresis est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo, qui fidem recipit.* Ita Thomas Sanchius libro 2. Moralium, cap. 7. n. 1. Azor lib. 8. Inst Moral. cap. 9. quæst. 1. & alij. Dicitur 1. *Error*, id est, erroneum iudicium, seu falsus assensus, qui in intellectu perficitur. 2. dicitur error *voluntarius*, quia sicut assensus fidei imperatur à voluntate; ita etiam assensus contra fidem. 3. dicitur *contra veritatem fidei*, quia error in aliis rebus non est hæresis. Et additur, *contra aliquam*, vt distinguatur ab apostasia, quæ est error contra totam fidem. 4. dicitur, *cum pertinacia*, quia si quis erret contra veritatem fidei sine pertinacia, non est propriè hæreticus, sed malè sentiens. 5. dicitur, *ab eo, qui fidem recipit*, quia qui non recipit fidem, non est hæreticus, sed infidelis. Hæc magis explicanda sunt in sequentibus.

II. QVÆSTIO.

Qui propriè dicendi sunt Hæretici?

1 EX dictis colliguntur variæ conditiones, quæ propriè faciunt aliquem hæreticum. Ex quibus tres præcipuæ sunt hæ. 1. Professio fidei Christianæ. 2. Error circa aliquem, vel aliquos articulos fidei Christianæ. 3. Pertinacia. Has breuiter proponam & explicabo.

2 Prima Conditio. Vt aliquis propriè sit hæreticus, primo necesse est, vt aliquando professus sit fidem Christianam. Ita D. Thom. quæst. 11. art. 1. cum ait: *Hæresis est eorum, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.* Ratio est, quia qui nunquam professus est, vel acceptauit fidem Christianam, non est hæreticus, etiamsi erret, sed Iudæus, vel Paganus.

Solet hic disputari, an vt aliquis sit hæreticus, necesse sit vt professus fuerit fidem in Baptismo? Affirmant

Caietanus & alij recentiores Interpretes D. Thomæ. Et confirmant ex D. Thoma quæst. 10. art. 5. vbi dicit illum esse hæreticum, qui recedit à Fide inveritate susceptа, id est, in Baptismo, vt ipsi interpretantur. Alij negant, vt Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, c. 8. asserens catechumenum discedentem à Fide, antequam baptizetur, esse hæreticum.

3 Respondeo 1. Vt aliquis ab Ecclesia puniatur tanquam hæreticus, necessarium est vt professus fuerit Fidem Christi in Baptismo. Est communis sententia contra Alphonsum. Et ratio est, quia Ecclesia non potest aliquem punire, nisi qui ipsius iurisdictioni & potestati subiectus sit: At sine Baptismo nemo subiectus est iurisdictioni Ecclesiasticæ: Ergo qui baptizatus non est, non potest tanquam hæreticus ab Ecclesia puniri.

4 Respondeo 2. Vt aliquis reuera sit hæreticus, satis est, si aliquando professus fuerit Fidem Christi, licet non sit baptizatus, sed tantum catechumenus. Ita Alphonsus loco citato, Bannes q. 11. art. 2. Et probatur 1. ex Concilio Nicæno can. 19. vbi statutum est, debere eos baptizari, qui ex hæresi Pauli Samosateni redirent ad Ecclesiam Catholicam. Cuius canonis meminit August. hæresi 44. his verbis: *Istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est.* Simile decretum est in sexta Synodo generali, can. 95. vbi definitur, quinam hæretici baptizari debeant, quando fiunt Catholici, & qui non debeant. In vtroque decreto supponitur, aliquos esse hæreticos, antequam baptizentur. Secundo probatur ex Augustino, lib. de vnico baptismo contra Petilianum, cap. 3. & in Præfatione ad librum de Hæresibus, vbi supponit aliquos esse hæreticos, qui quando redeunt ad Ecclesiam, baptizari debeant, eo quod apud ipsos non fuerit validus baptismus propter aliquem defectum.

5 Neque D. Thomas contrarium docet. Nam cùm

asserit illum hæreticum esse, qui recedit à fide susceptâ in veritate, non intelligit fidem susceptam in veritate, id est, in baptismo; sed in veritate, id est, non in vmbra & figura. Assignat enim discrimen inter Iudæum & hæreticum, quod Iudæus recedat à fide susceptâ in vmbra & figura; Hæreticus autem à fide susceptâ in manifestatione & exhibitione veritatis.

6 Secunda Conditio. Vt aliquis sit verè hæreticus, necesse est vt in intellectu habeat erroneum iudicium contra Fidem. Ita D. Thomas q. 10. art. 2. & alij. Vnde sequitur 1. externam abnegationem Fidei, aut idolorum culturam, non esse veram hæresim, nisi proueniat ex interno errore intellectus. 2. Excommunicationem latam contra hæreticos non pertinere ad eos, (saltem in foro conscientiæ) qui exterius peccant contra Fidem, & non habent internum errorem in intellectu, vt rectè docent Antoninus, Angelus, Syluester, Nauarrus, Bannes, & alij, quos citat & sequitur Azor lib. 8. Inst. Moral. c. 9. q. 10. Hoc tamen non impedit, quo minus inquisitores Fidei, qui contra hæreticos authoritatem habent, possint illos iustè punire, tanquam hæreticos, quia ex signis externis prudenter possunt & debent præsumere internum peccatum hæresis.

7 Quæres, An non solum ille sit hæreticus, qui habet errorem contra Fidem, sed etiam ille, qui habet dubitationem in rebus Fidei? Negat Canus lib. 2. de locis, c. 9. Ratio est, quia hæresis essentialiter consistit in iudicio intellectus contra Fidem: At ille qui dubius est, non habet iudicium contra Fidem; quia qui dubitat, in neutram partem determinatur. Alij affirmant, vt Antoninus, Adrianus, Gabriel, Turrecremata, & alij apud Valentiam q. 11 p. 1. dub. 2. Et probatur ex iure Canonico, quia Stephanus Papa, cap. Dubius, De Hæreticis, sic ait: *Dubius in Fide, infidelis est.* Et ex August. lib. 8. de Trinit. cap. 5. vbi asserit, salua Fide non posse vsurpari illam par-

ticulam, *Forte*, in rebus fidei. Nam illa particula significat dubitationem, quæ, teſte Auguſt. deſtruit rationem fidei.

8 Reſpondeo cum diſtinctione. Nam dubitatio poteſt duobus modis eſſe in intellectu, ſcilicet negatiuè, & poſitiuè. Negatiua dubitatio eſt, quando intellectus apprehendens aliquam propoſitionem, non determinat ſe in alteram partem, ſed circa vtramque habet ſe merè negatiuè. Poſitiua dubitatio eſt, quando intellectus poſitiuè iudicat rem, quæ proponitur, eſſe ambiguam, de qua iudicium ferendum non ſit.

9 Præmiſſa hac diſtinctione, dicendum eſt. 1. dubitationem negatiuam non ſufficere ad hæreſim. Hoc benè probat ratio Cani. 2. poſitiuam dubitationem ſufficere. Ratio eſt, quia ille cenſetur hæreticus, qui errat circa fidem: ſed qui poſitiuè dubitat de articulis fidei, is errat circa fidem: Ergo hæreticus eſt. Maior ex dictis patet. Minor probatur, quia inter veritates fidei vna eſt, articulos fidei non eſſe ambiguos, ſed certos, in quibus nullum ſit errandi periculum: Ergo qui poſitiuè iudicat articulos fidei eſſe ambiguos aut incertos, habet erroneum iudicium contra prædictam fidei veritatem: Ergo hæreticus eſt, ſi cum pertinacia id iudicat. Et hoc ſenſu intelligendus eſt Stephanus Papa, cum aſſerit, dubium in fide, infidelem eſſe.

10 Tertia Conditio. Vt aliquis ſit verè hæreticus, requiritur etiam pertinacia. Ita D. Thomas quæſt. 11. art. 2. ad 3. Et Auguſtinus Epiſt. 162. vbi ſic ait: *Qui ſententiam ſuam, quamuis falſam & peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint; neguaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* (Quæ verba referuntur in Decreto, cap. Dixit Apoſtolus, 24. quæſt. 3.)

Et lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 51. *Qui*, inquit, *in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque sapiunt, si correpti vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suáque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.*

11 Idem probatur ex Clementina vnica, de summa Trinitate, vbi Pontifex definit hæreticum censendum esse, *qui deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani.*

12 Quæres, In quo consistat pertinacia, quæ ad hæresim requiritur? Respondeo. In eo consistit, vt quis sciens & prudens teneat aliquid contra Ecclesiam Catholicam. Vel, vt alij loquuntur, vt quis cognoscat & animaduertat suam opinionem contrariam esse sensui Ecclesiæ Catholicæ, & tamen neglecta authoritate Ecclesiæ, persistat in sua opinione. Ita Caietanus quæst. 11. art. 2. Canus loco citato, Valentia quæst. 11. p. 1. dub. 4. Sanchius lib. 2. Moral. cap. 7. n. 2. & alij. Et probatur 1. ex Augustino lib 4. contra Donatistas, cap. 16. vbi sic habet: *Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam Fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Secundo, ex iure canonico. Nam illi solent censeri hæretici & pertinaces, qui præsumunt aliquid sentire contra Fidem Ecclesiæ Catholicæ, vt constat ex cap. vnico, De summa Trinitate in 6. Et ratio est, quia sicut is censetur Catholicus, qui sentit vera esse, quæcunque ab Ecclesia proponuntur, tanquam reuelata à Deo: ita è contrario, is censeri debet hæreticus, qui sentit aliquid non esse verum, quod ab Ecclesia proponitur, tanquam reuelatum à Deo.

13 Quæres 2. An is esset hæreticus & pertinax, qui

erraret contra Fidem, & culpabiliter ignoraret oppositum doceri ab Ecclesia? Vel quod idem est, an ignorantia culpabilis excusaret talem à peccato hæresis, licet non excusaret à peccato simpliciter. Ratio dubitandi est, quia nemo est hæreticus, nisi sit pertinax in suo errore: Et nemo est pertinax, nisi qui aduertit se sentire contra Ecclesiam: Ergo qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus est. Sed contrà, quia ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis: Ergo nec ab hæresi vel pertinacia. Vnde sicut homicidium, siue fiat ex scientia, siue ex ignorantia culpabili, semper est peccatum: ita error contra doctrinam Ecclesiæ, siue scienter, siue ignoranter fiat, modò ignorantia sit culpabilis, semper est peccatum hæresis.

14 Suppono, ignorantiam culpabilem, seu voluntariam esse duplicem. Vna est affectata, quando quis de industria vult aliquid ignorare. Altera est crassa & supina, quando quis non ex industria & proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ potest & debet scire. Prior est directè & formaliter voluntaria; posterior indirectè & virtualiter. Vtraque vincibilis & culpabilis.

15 Hoc posito, Respondeo 1. Nullus error contra Fidem ex ignorantia crassa est hæresis. Est communior sententia contra Dominicum Sotum, vt notat Vasquez in 1. 2. disp. 126. c. 2. Et probatur, quia de ratione hæresis est, vt quis erret in Fide sciens se credere & opinari contra communem sensum Ecclesiæ, vt §. 12. dictum est. At quis habet crassam ignorantiam circa communem sensum Ecclesiæ, non errat, sciens se credere & opinari contra communem sensum Ecclesiæ: Ergo non est hæreticus. 2. Quia quando quis ignorat se sentire contra suum Magistrum, non censetur esse pertinax, aut derogare authoritati Magistri: Ergo à simili.

16 Respondeo 2. Etiam error contra Fidem ex ignorantia affectata potest esse sine peccato hæresis. Ita Vas-

quez loco citato. Et probatur, quia ignorantia affectata potest duobus modis accidere. Primo, ex tædio addiscendi tantum, vt si quis velit aliquid ignorare quia tædet illum discere. Et hoc modo error in rebus Fidei non est hæresis, propter eandem rationem; quia qui sic errat, non offendit authoritatem Ecclesiæ, tanquam pertinax & incredulus; tametsi offendat Deum, tanquam culpabiliter ignorans: Ergo ipsius peccatum, non est hæresis aut pertinacia, sed ignorantia. Secundo potest contingere affectata ignorantia ex falsa opinione contra Ecclesiam, qua quis putat parui momenti esse ea, quæ in Ecclesia creduntur & proponuntur: Et hoc modo esset hæreticus, qui ex illa falsa opinione affectaret ignorantiam.

17 Superest illa difficultas, quæ §. 13. mota est, quare scilicet ignorantia culpabilis excuset à peccato hęresis, & non ab aliis peccatis. Causa hęc est, quam ibidem insinuaui, quia hęresis essentialiter includit pertinaciam. At nemo est pertinax, nisi sciat & aduertat se sentire contra Ecclesiam. Ergo qui hoc ignorat, non est pertinax, ac proinde nec hęreticus. In aliis peccatis, quę non includunt pertinaciam, non est necesse, vt peccans aduertat se facere contra legem Dei, sed sufficit, vt vel aduertat, vel possit ac debeat aduertere. Quod sic clarius explico. In aliis peccatis, quę non includunt pertinaciam, satis est ad malitiam eorum constituendam, vt sint voluntaria contra legem Dei. Omne enim peccatum debet esse voluntarium seu liberum. Ad rationem autem voluntarij non est necesse, vt actu scias & aduertas te facere contra legem, sed vt vel scias, vel scire possis ac debeas: Ac proinde ratio voluntarij potest consistere cum ignorantia culpabili. At in peccato hęresis, pręter rationem voluntarij, includitur etiam ratio pertinacię, quę requirit scientiam seu aduertentiam, qua quis reipsa aduertat se sentire contra Ecclesiam.

18 Dices, Hinc sequitur, omnem ignorantiam, etiam illam, quæ posteriori modo affectata est, excusare ab hæresi & pertinacia, quod tamen negatum est. Sequela patet, quia qui habet talem ignorantiam, non aduertit reipsa se sentire contra Ecclesiam. Respondeo. Non quidem aduertit in specie, sed tamen in genere. Aduertit enim se parui facere ea, quæ ab Ecclesia creduntur, & credenda proponuntur; ac proinde aduertit se sentire contra Ecclesiam, saltem in communi, licet in particulari non aduertat se in hoc vel illo articulo sentire contra Ecclesiam.

19 Est & alia difficultas, An ad hæresim & pertinaciam necesse sit, vt quis directè velit sentire contra Ecclesiam. Respondeo. Satis est, si sciens & volens sentiat contra Ecclesiam, siue id faciat ex directo affectu contradicendi Ecclesiæ, siue ex cupiditate inanis gloriæ, siue vi argumentorum conuictus, siue alia de causa, vt notat Vasquez loco citato, & Sanchius libro 2. Moralium, capite 7. numero 4. Et ratio est, quia quocunque modo contradicat Ecclesiæ, semper præfert priuatum suum iudicium iudicio Ecclesiæ; ac proinde putat, iudicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum ad credendum. In quo consistit ipsius pertinacia. Hinc sequitur, pertinaciam non esse idem cum obdurationè vel obstinata malitia, vt distinguitur contra infirmitatem seu passionem; quia, vt dictum est, pertinacia potest oriri vel ex obstinata malitia, vel ex infirmitate, vel aliunde.

III. QVÆSTIO.

Quid sit Apostasia?

1 NOtat D. Thomas quæst. 12. art. 1. Apostasiam nihil esse aliud, quàm recessum à Deo: Et esse quadruplicem. Primam à fide: alteram ab obedientia: tertiam ab ordine clericali: quartam à statu religioso.

Agimus

Agimus hîc de apostasia primo modo sumpta, quæ est quædam infidelitas, per quam quis omnino recedit à vera fide in baptismo susceptâ; vt quando ex Christiano fit Iudæus vel Paganus.

2 Solet disputari, an huiusmodi apostasia sit species infidelitatis distincta ab hæresi, Iudaismo, & Paganismo? D. Thom. art. 1. ad 3. putat non esse peculiarem speciem infidelitatis, sed quandam circunstantiam aggrauantem. Alij aliter sentiunt. Res est parui momenti. Hoc constat, eandem esse pœnam hæreticorum & apostatarum, ac proinde, moraliter loquendo, apostasiam ad hæresim posse reuocari.

IV. QVÆSTIO.

Quid sit Blasphemia?

1 D. Thomas quæst. 13 agit de blasphemia in genere: Et qu. 14. de blasphemia in Spiritum Sanctum, de qua multa disputantur in materia de Pœnitentia. Hoc loco solum potest disputari, An blasphemia sit peccatum contra fidem, aut contra confessionem fidei?

2 Suppono 1. Blasphemiam, generatim loquendo, significare quamcunque execrationem seu maledictum, quo detrahitur honori & dignitati alterius, iuxta illud Apostoli ad Titum 3. 1. *Admone illos, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos.* Vbi blasphemare idem est, quod maledicere, aut conuiciari. Vnde August. lib. 2. de moribus Manichæorum, c. 11. *Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis.* Et patet ex vi nominis. Nam βλασφημία est quasi nocens dictum, vt Budæus annotauit. Et βλάσφημος dicitur is, qui lædit famam alterius.

3 Suppono 2. Iam vsu Patrum & Theologorum receptum esse, vt blasphemia significet sacrilegã maledictionem in Deum vel Sanctos. Vnde Augustin. loco citato addit: *Iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala*

verba de Deo dicere. Et D. Thom. quæst 13. art. 1. asserit, Blasphemiam significare quandam derogationem diuinæ bonitatis, vt si neges aliquid de Deo, quod illi conuenit; aut affirmes de eo, quod illi non conuenit.

4 Est ergo quæstio, An blasphemia hoc modo sumpta sit peccatum contra virtutem fidei; an potius contra virtutem religionis? D. Thomas dicit esse contra confessionem fidei. Alij, contra virtutem religionis, vt Valentia quæst 13. p. 2. Ratio est, quia blasphemia derogat honori, qui Deo debetur ex virtute religionis: Ergo est contra hanc virtutem. Deinde peccatum contra fidem consistit in falso assensu de Deo, vel in externa asseueratione illius falsi assensus. At blasphemia propriè consistit, non in tali assensu vel asseueratione falsi, sed in falsa dictione de Deo.

5 Prima Conclusio. Blasphemia per se, & essentialiter, ac proinde ex sua primaria specie, est contra virtutem religionis. Probatur, quia eius malitia in eo posita est, quod sit contra diuinum honorem, non contra reuelationem. Vnde potest esse blasphemia sine peccato contra fidem. Primo in iis, qui nihil audiuerunt de diuina reuelatione. Secundo in rebus, quæ non sunt à Deo reuelatæ.

6 Secunda Conclusio. Cum hac malitia contra religionem potest coniungi altera malitia, quæ sit veluti species, secundaria in eodem actu, & propriè contra virtutem fidei; vt si aliquid negetur de Deo, non solum cum eius conuitio & maledictione, sed etiam contra reuelationem de ipso factam. Vt si quis dicat, Deum non esse misericordem, sed crudelem. Nam in hoc actu, primaria malitia est contra honorem Deo debitum, ac proinde contra virtutem religionis. Secundaria vero seu accidentalis malitia est contra virtutem fidei, quia per accidens est, rem illam, quæ per blasphemiam negatur de Deo, esse à Deo reuelatam.

CAPVT XV.

De pœnis Hæreticorum.

QVæritur 1. An Ecclesia possit hæreticos punire. 2. An possit illos excommunicare. 3. An hæretici priuentur omni potestate spirituali propter hæresim. 4. An priuentur dominio & potestate temporali. 5. An priuentur bonis temporalibus. 6. An propter solam hæresim puniri possint pœna capitis. 7. An liceat cum illis disputare. 8. An liceat libros eorum legere. 9. An, si resipiscant, recipiendi sint ab Ecclesia.

I. QVÆSTIO.

An Ecclesia possit Hæreticos punire.

1 DVplices sunt hæretici: Alij, qui tantum in animo fouent hæresim: Alij, qui etiam externis signis eam produnt. De vtrisque dicam.

2 Prima Conclusio. Qui tantum in animo hæreticus est, & externis signis non prodit suam hæresim, non potest ab Ecclesia puniri. Est communis Theologorum sententia contra Adrianum Rosellam, Medinam & quosdam alios. Ratio est, quia Ecclesia non potest aliquem punire propter crimen, quod illi incognitum est: At internum crimen hæresis est incognitum Ecclesiæ: Ergo non potest aliquem punire propter internum crimen hæresis. Et confirmatur, quia ad puniendum requiritur iurisdictio: At Ecclesia non habet iurisdictionem in suos subditos, quoad actus interiores, vt patet ex iure canonico. Nam cap. *Cogitationis*, dist. 1. de pœnitentia, dicitur. *Cogitationis pœnam nemo patiatur.* Et cap. *Erubescant*, dist. 32. *De manifestis loquimur. Secretorum autem & cognitor & Iudex est Deus.* Et cap. *Sicut tuis literis*, De simonia: *Ecclesia non iudicat de occultis.* Et ibidem, cap. Tua nos: *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.*

3 Dices, Ecclesia sæpè exercet iurisdictionem in actus internos. Absoluit enim peccata interna; dispensat vota, etiam mentalia; præcipit contritionem, dilectionem, attentionem orationis, & similes actus interiores. Respondeo. Duplex est iurisdictio Ecclesiastica, interna & externa. Nos hîc loquimur de externa, quæ exercetur in foro contentioso; non de interna, quæ in foro conscientiæ. Ecclesia tamen neutram exercet in actus internos, nisi quatenus per externos manifestantur. Non enim absoluit peccata, nec dispensat vota, nisi per actum exteriorem subiiciantur ipsius clauibus seu iurisdictioni. Similiter, non præcipit actus interiores, nisi quatenus præcipit exteriores, qui naturali aut diuino iure non possunt rectè fieri sine interioribus. quãquam de dispensatione voti est aliqua difficultas, de qua dixi in Tractatu de Legibus, c.6.q.5.ad 2.

4 Dices 2. Si quis hæreticus internus interrogaretur da Inquisitore, an aliquando credidisset contra fidem Catholicam, & ipse fateretur se credidisse, sine dubio puniretur: Ergo iurisdictio Inquisitoris extendit se ad internum actum credendi. Respondeo. Si fateretur se aliquando consensisse in hæresim, & nunc non consentire, non puniretur vt hæreticus. Si autem fateretur se etiam de facto consentire in hæresim, iustè puniri posset, vt hæreticus. Iam enim non esset hæresis, ipsius interna tantum, sed etiam externo signo prodita.

5 Dices 3. Interna hæresis refutatur ab Ecclesia: Ergo ab eadem puniri potest. Respondeo. Negatur antecedens, quia hæresis non reseruatur, nisi in Bulla Cœnæ Domini. Ibi autem solum reseruatur ratione annexæ excommunicationis, quæ non comprehendit hæreticum purè internum & mentalem.

6 Secunda Conclusio. Hæreticus qui externo signo prodit suam hęresim, potest ab Ecclesia puniri. Est communis sententia. Et probatur, quia Ecclesia habet ius

puniendi peccata suorum subditorum, cùm hoc ius necessarium sit ad conseruationem totius communitatis: sed peccatum hæresis est grauissimum, & maximè perturbat Ecclesiam: Ergo Ecclesia potest illud punire.

4 Dices, Hæreticus, qui exterius prodit hæresim, desinit esse subditus Ecclesiæ, quia non est amplius in Ecclesia, sed extra: Ergo non potest puniri ab Ecclesia. Respondeo. Est extra Ecclesiam, quoad internam vnionem, quæ fit per fidem: itemque quoad externam participationem Sacramentorum. Nihilominus, quoad iurisdictionem, manet subditus Ecclesiæ, ratione baptismi. Patet in simili. Nam Respub. non priuatur iurisdictione in subditum, propter ipsius flagitia & iniurias, etiamsi fugiat extra patriam.

7 Quæres, An puniri possit hæreticus, qui quidem externo signo prodit suam hæresim, sed tamen ita occultè, vt in iudicio accusari, & testibus conuinci non possit? Resp. Potest puniri: Et facto punitur pœna excommunicationis, vt sequenti quæstione videbimus. Et ratio est, quia externa hæresis, quantumuis occulta, hoc ipso, quod externa est, incipit esse sub iurisdictione Ecclesiæ; & per accidens est, quod in iudicio probari non possit: Ergo potest puniri ab Ecclesia, non quidem tali pœna, quæ requirit accusationem iudicialem; sed tali, quæ extra iudicium, ipsa lege lata, infligi potest: cuiusmodi est pœna excommunicationis, amissionis seu confiscationis bonorum temporalium, & similes.

8 Quæres 2. Quando aliquis censendus sit externus hæreticus. Resp. Quando hæc duo adsunt. 1. Quando hæresim internam sufficienter exprimit per aliquem externum actum, siue id fiat verbo, siue facto. 2. Quando externus ille actus ita procedit ab interna hæresi, vt moraliter participet illius malitiam; alioqui non erit hæresis exterior. Hinc sequitur, si quis internam hæresim confiteatur Sacerdoti, aut alicui alteri aperiat, consilij

accipiendi causa, non ideo esse externum hæreticum, qui ab Ecclesia puniri possit. Ratio est, quia nemo est externus hæreticus, nisi à peccato exterioris hæresis: at illa confessio aut patefactio, de qua loquimur, non est peccatum exterioris hæresis, sed est actus bonus, qui imperatur, vel à pœnitentia, vel à religione, vel ab aliqua alia virtute: Ergo qui hoc modo confitetur aut patefacit suam internam hæresim, non est exterior hæreticus, qui ab Ecclesia puniri possit. Dices, cur ergo punitur à Confessario per iniunctam pœnitentiam? Resp. Non loquimur de pœna, quæ imponitur in foro conscientiæ; sed de ea, quæ infligitur in foro externo.

II. QVÆSTIO.

An Ecclesia possit Hæreticos excommunicare?

1 Dictum est generatim, hæreticos puniri posse ab Ecclesia. Nunc speciatim de singulis pœnis, quæ communi iure in hæreticos constitutæ sunt, agendum est. Harum aliæ sunt Ecclesiasticæ, aliæ politicæ, vt in progressu videbimus. Ac 1. loco dicendum est de pœna excommunicationis.

2 *Prima Conclusio.* Excommunicatio est prima pœna iure canonico hæreticis irrogata, vt patet ex cap. *Cum Christus,* & cap. *sicut ait*, & cap. *Ad abolendam,* & cap. *Excommunicamus*, De hæreticis. Imo excommunicatio in hereticos lata, videtur esse antiquissima omnium excommunicationum, quę iure canonico sunt constitutę, vt insinuatur in cap. *Achatius,* &c. *Audiuimus,* 24. qu. 1. Nam ex quo tempore cœperunt Concilia celebrari ad extirpandas hæreses, introductus est mos excommunicandi hæreticos, id est, arcendi illos à Sacramentis, priuandi communibus Ecclesię suffragiis, & repellendi à consortio piorum ac fidelium.

3 Secunda Conclusio. Hęc pœna iustissima est: & comprehendit omnes veros hæreticos externos, etiam

occultissimos: non tamen purè mentales & internos. Prima pars probatur 1. quia hæresis est grauissimum crimen: Ergo iustè puniri potest grauissima pœna, qualis est excommunicatio. 2. quia hæreticus sponte præscindit se ab vnitate Ecclesiæ: Ergo merito priuatur bonis eius spiritualibus. 3. quia institutum hæreticorum est alios peruertere, & per falsam doctrinam seducere: Ergo rectè fit, quod ab aliorum consortio refellantur. Altera pars probatur, quia canones citandi in sequenti concl. loquuntur generatim sine vlla exceptione: Ergo comprehendunt omnes hæreticos, qui iurisdictioni Ecclesiasticę subiecti sunt, id est, eos omnes, qui externo signo produnt suam hęresim, tametsi aliàs sint occulti. Tertia probatur, quia Ecclesia non habet iurisdictionem externam in actus purè internos, vt dictum est.

4 Tertia conclusio. Hanc pœnam incurrunt hęretici ipso facto: Est communis sententia. Et probatur 1. ex praxi Ecclesiæ, 2. ex c. *Ad abolendum*, &c. *Excommunicamus*, de hæreticis Et ex Bulla Cœnæ Domini. Obiici solet illud Apostoli ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Ex quo colligitur hæreticum non debere vitari & excommunicari ipso facto, sed præuia monitione. Resp. Duplex est excommunicatio: altera ab homine; altera à iure. Prior requirit præuiam monitionem, (c. *In præsentia*, &c. *Sacro*, de sententia excommunicationis) posterior non requirit. Nam ipsa lex, qua statuitur talis excommunicatio, est instar præuiæ monitionis. Igitur Apostolus loquitur de priori: nos hîc agimus de posteriori.

5 Quarta Conclusio. Hæretici possunt 2. modis absolui ab hac pœna excommunicationis. 1. in foro conscientiæ. 2. in foro externo. Et quidem si sint notorij, possunt in vtroque foro absolui à solo Pontifice, qui in Bulla cœnæ Domini reseruat sibi hanc absolutionem. Si autem sint occulti, possunt etiã absolui à suis Episcopis,

vt patet ex Concilio Tridentino seſſ. 24. cap. 6. de Reformatione.

6 Tria tamen notanda ſunt pro communi praxi in Germania. 1. eſt, Bullam Cœnę Domini in multis Germanię prouinciis non eſſe vſu receptam, & vbi recepta non eſt, non obligare. Poſſunt ergo Epiſcopi ſuos ſubditos ab hęreſi & excommunicatione abſoluere. 2 Hanc excommunicationem ſolùm ſpectare ad eos, qui in hęreſi pertinaces ſunt. Vnde fit, vt ruſtici & ciues ſimpliciores, qui habentur hęretici in Germania, & tamen pertinaces non ſunt, non incurrant excommunicationem, ac proinde abſolui poſſint à Catholicis Parochis, quibus ſubiecti ſunt. Tertium, Pontificem, qui in Bulla reſeruat ſibi hanc abſolutionem, dediſſe aliquibus religioſis priuilegium, vt & ipſi poſſint abſoluere, ſaltem in foro conſcientię. Debet autem quilibet religioſus ſcire quid & quantum in hac re poſſit.

7 Reliqua, quę de excommunicatione diſputari ſolent, pertinent ad Tractatum de Cenſuris Eccleſiaſticis. Aliqua tamen obiter dicturus ſum, cap. ſequenti, quæſt. 2.

III. QVÆSTIO.

An Hæretici, propter hæreſim, priuentur omni poteſtate ſpirituali?

1 HÆc poteſtas duplex eſt: Vna ordinis, quę refertur ad Sacramenta conficienda & miniſtranda: Altera iuriſdictionis, quę ordinatur ad populum Chriſtianum gubernandum in foro exteriori.

2 Prima Concluſio. Poteſtas ordinis, quę datur Sacerdoti aut Epiſcopo Catholico, manet in illo, quando fit hęreticus: Et per eam validè exercet actum, qui non requirit iuriſdictionem; non tamen licitè, quia exercendo peccat. Eſt communis ſententia, contra Magiſtrum & Gratianum. Ratio eſt, quia poteſtas ordinis

consistit in charactere, qui est indelebilis: Ergo qui semel legitimè accepit talem potestatem, semper illam retinet; ac proinde validè potest exercere actum, qui non requirit iurisdictionem, modo seruetur debita materia, forma & intentio. Nec obstat, quod aliqui canones insinuent, hæreticos carere omni tali potestate, (cap. *Didicimus*, 24. q. 1.) Nam hoc intelligendum est iuxta vltimam partem conclusionis, quia scilicet nullum actum licitè & cum fructu possunt exercere. Alioqui quod validè exerceant, constat ex cap. *Quo quidam*, 1. q. 1. quod desumptum est ex Augustino lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 3.

3 Quæres, An sicut in hæretico Sacerdote manet potestas consecrandi Eucharistiam, ita etiam maneat potestas faciendi & offerendi sacrificium Missæ pro viuis & defunctis? Affirmat D. Thom. in 3. p. q. 82. art. 7. quia potestas illa, vt dixi, est indelebilis, & habet vim suam ex institutione Christi, quam Ecclesia auferre non potest.

4 Dices, Sacerdos, qui offert sacrificium, facit hoc in persona totius Ecclesiæ: sed hæreticus est extra Ecclesiam: Ergo non potest offerre sacrificium in persona totius Ecclesiæ. Respondeo cum D. Thom. ibid. ad 3. Sacerdotem in sacrificio Missæ, dum consecrat, loqui in persona Christi: dum autem orat, loqui in persona Ecclesiæ. quando ergo fit hæreticus, & ab vnione Ecclesiæ separatur, tunc quidem amittit ministerium, quod exercet in persona Ecclesiæ, non tamen amittit ministerium, quod exercet in persona Christi. Itaque consecratio ab ipso facta vim habet, oratio non habet.

5 Dices 2. Aliqui Patres, præsertim Augustinus, Leo, & Innocentius docent, extra Ecclesiam non esse verum sacrificium, vt refert D. Thom. loco citato. Respondeo. Isti Patres loquuntur de fructu sacrificij, non de veritate.

6 Secunda Conclusio. Hæretici publici, & non tole-

rati ab Ecclesia, amittunt iurisdictionem spiritualem & non efficiunt validè eos actus, qui requirunt iurisdictionem. Ita D. Thomas quæst. 39, art. 3. & alij passim. Ratio est, quia iurisdictio datur per Ecclesiam: Ergo potest per eam auferri. Aufertur autem propter hæresim, vt patet ex iure canonico. Nam cap. *Audiuimus*, 24. q. 1. dicitur, excommunicatum non posse excommunicare. Et ibid. cap. *Apertè*, non haberi excommunicatos, qui ab hæreticis excommunicantur. Et cap. *Miramur*, excommunicatos non recipi ad iudicandum.

7 Hinc sequitur, omnia quę fiunt à Sacerdote vel Episcopo non tolerato, esse irrita propter defectum iurisdictionis. Igitur irritę sunt absolutiones, censurę, sententię, pœnę ab eo irrogatę, & sic deinceps. Ita D. Thomas loco citato, cum ait: *Vnde nec possunt absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum.* Loquimur autem de hæreticis non toleratis ab Ecclesia, quia quamdiu tolerantur in publico officio, possunt vti sua iurisdictione, ex conniuentia & concessione Ecclesiæ.

IV. QVÆSTIO.

An Hæretici priuentur dominio & iurisdictione temporali?

1 HÆc quęstio potissimum intelligitur de Regibus, Imperatoribus, & aliis Principibus ac Dominis temporalibus; An scilicet ipsi, propter hæresin aut ăpostasiam, priuentur suis Regnis, Imperiis, ac Dominiis, quę antea legitimè habebant; ita vt subditi eorum non teneantur amplius præstare ipsis obsequium & fidelitatem.

2 Et quidem, si solùm spectemus ius naturale aut diuinum, certum est de facto non priuari, vt rectè docet D. Thom. q. 12. art. 2. & alij passim. Et probatur 1. de iure naturali, quia dominium & iurisdictio temporalis

in ſubditos, ex natura ſua non fundatur in fide Chriſtiana, ſed in aliquo titulo ciuili, cuiuſmodi eſt titulus hæreditariæ ſucceſſionis, vel electionis, vel donationis vel iuſtæ acquiſitionis per bellum. Hi autem tituli ex natura ſua non repugnant hæreſi aut infidelitati: Ergo ſolo iure naturali non tolluntur per hæreſin aut infidelitatem: Ergo nec dominium aut iuriſdictio, quæ in illis fundatur. Alioqui nulli infideles haberent dominium & iuriſdictionem temporalem, quod cap. 13. quæſtione 6. §. ex Scriptura refutatum eſt.

3 Idem probatur de iure diuino, quia nullum exſtat ius diuinum in veteri vel nouo Teſtamento, quo hæc pœna priuationis in hereticos vel infideles conſtituta ſit. Imo contrarium ex vtroque colligitur. Nam ex veteri conſtat, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Ieroboam, Achab, Antiochum, & plures alios habuiſſe regna temporalia, & tamen fuiſſe infideles vel apoſtatas. Idem ex nouo conſtat de Tiberio, Herode, Claudio, Lyſia, Fælice, Feſto, & aliis. De quibus Apoſtolus ad Titum 3. 1. *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Et 1. Petri 2. 13. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.* Et ibidem verſu 18. *Non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

4 An autem iure Eccleſiaſtico, vel per ſententiam Pontificis poſſit aliquis Princeps ſæcularis priuari ſuo dominio & iuriſdictione propter hæreſin, difficultas eſt. De qua videri poſſunt D. Thomas loco citato, Cardinalis Bellarminus libro 5. de Pontifice, capite 8. Valentia Tomo 3. quæſtione 12. p. 2. & multi alij, qui ab ipſis citantur.

V. QVÆSTIO.

An Hæretici priuentur bonis temporalibus?

1 Dictum est, hæreticos priuari dominio, & iurisdictione, quam habent in subditos. Nunc agendum est de iure & dominio, quod habent in bona temporalia. Hæc autem quæstio latius patet, quàm præcedens; quia hic agitur non tantùm de Principibus, sed etiam de alijs, qui habent bona temporalia.

2 Prima Conclusio. Hæretici ipso facto priuantur dominio bonorum temporalium, & fiscus acquirit ius. Ita Valentia q. 11. p. 3. & alij passim. Et probatur 1. ex cap. *Cùm secundum leges*, De hæreticis in 6. vbi habentur hęc verba: *Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata*. Secundo, ex effectu, quia quando fertur sententia contra hæreticum, retrotrahitur vsque ad diem commissi criminis, vt patet ex praxi, & docent interpretes vtriusque iuris, Archidiaconus, Ioannes Andræas, Imola, Paulus in cap. citatum, & Iuristæ in L. Quisquis, & L. post Diui Marci, C. Ad legem Iuliam maiestatis. Vnde omnes alienationes factæ ab hæretico, irritantur & rescinduntur vt constat ex praxi Inquisitorum.

3 Secunda Conclusio. quamuis hæretici ipso facto priuentur dominio bonorum suorum, non tamen tenentur ante Iudicis sententiam, spoliare se illis, aut fisco tradere. Ita Valentia ibidem, & alij ab eo citati. Et probatur 1. ex cap. citato, vbi additur, hæreticos non esse à fisco priuandos suis bonis, antequam condemnentur: Ergo multo minus tenentur ipsi se priuare. Et ratio est, quia leges pœnales, quæ requirunt aliquem actum ad sui executionem, non obligant reum ad executionem ante Iudicis sententiam, vt suppono ex materia de Legibus.

4 Tertia Conclusio. quamdiu hæreticus non priuatur suis bonis quoad executionẽ, habet ius vtendi & fruendi

illis, etiam ad donandum, & ad hæredem constituendum: quæ omnia erunt rata, donec per sententiam rescindantur Vide quæ de hac re dicta sunt in Tractatu de Legibus, c. 7. de Lege pœnali, q. 4. 5. & 6.

VI. QVÆSTIO.

An Hæretici possint puniri pœna capitis propter hæresim?

1 NEgarunt olim Donatistæ, teste Augustino epist. 50. & postea Ioannes Hus, vt patet ex Concilio Constantiensi, sess. 15. art. 14. Denique Lutherus & eius discipuli, vt videre est apud Roffensem, art. 33. Et D. Augustinus aliquando fuit in eadem sententia, vt ipse fatetur epist. 48. ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium Comitem: quam tamen retractauit, partim locis citatis, partim lib. 2. Retract. cap. 5. Fundamentum huius sententiæ sumitur potissimum ex quibusdam Scripturæ testimoniis, quæ postea in solutione obiectionum explicabimus.

2 Prima Conclusio. In veteri Testamento, pœna mortis affecti sunt idololatræ, falsi Prophetæ, blasphemi, inobedientes, & qui similia crimina perpetrassent: idque iustè & legitimè factum est. Nam Moses iussit occidi multa millia Israelitarum, eo quod idolum vituli adorassent, & à fide vnius Dei recessissent. (Exodi 32. 27.) Item Helias interfecit Prophetas Baal. (3. Reg. 18. 40.) Idem fecit Iehu. (4. Reg. 10. 25.) Similiter Mathias trucidauit quendam Iudæum sacrificantem idolis. (1. Machab. 2. 24.)

3 Neque solùm vsitata fuit hæc pœna, sed etiam à Deo præcepta. Leuit. 20. 2. *Si quis dederit de semine suo Moloch, morte moriatur.* Et Num. 25. 5. *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* Et Leuit. 24. 16. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Et Deut. 13. 6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, vt seruias Dijs alienis, statim interficies eum.* Et Deut. 17. 12. *Qui su-*

perbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Iudicis, morietur homo ille.

4 Secunda Concluſio. In nouo Teſtamento eadem pœna ſtatuta eſt in hæreticis, vt patet ex L. Quicunque, C. De hæreticis. Et iam vſu recepta eſt. Et quidem iuſtè. Nam ſi in veteri Teſtamento iuſtè infligebatur propter idololatriam aut apoſtaſiam à fide, vt iam in nouo iuſtè infligi poteſt. Conſentiunt Patres, ac nominatim Hieronymus in cap. 5. ad Galatas, Auguſtinus epiſt. 48. ad Vincentium, & epiſt. 50. ad Bonifacium, & lib. 2. contra duas epiſtolas Gaudentij, cap. 17. & 26. & lib. 1. contra litteras Parmeniani, cap. 7. & lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 83. vbi ex inſtituto probat Magiſtratum habere authoritatem animaduertendi gladio in hæreticos, iuxta illud Roman. 13. 4. *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Et in Concilio Chalcedonenſi, Act. 1. Dixit Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus: *Si Eutyches præter dogma Eccleſiæ ſapit, non ſolum pœna dignus eſt, ſed & igne.*

5 Et ratio eſt, quia in hæreſi duo ſpectari poſſunt. 1. Quod ſit peccatum. Et hoc illi commune eſt cum aliis omnibus peccatis. 2. quod perturbet pacem & tranquillitatem Reipublicæ. Hoc non eſt illi commune cum omnibus, ſed tantùm cum aliquibus, vt cum homicidio, furto, adulterio, & ſimilibus. Priori modo non punitur à Magiſtratu pœna capitis; ſed poſteriori. Quod autem iuſtè puniatur, ſic probo: Hæretici, præſertim qui pertinaces ſunt, (de quibus propriè hîc agimus) nonminus perturbant pacem & tranquillitatem Reipublicæ, quàm homicidæ, fures, adulteri: At hi iuſtè puniuntur pœna capitis, vt omnes fatentur: Ergo & illi.

6 Dices, Non eſt par ratio. Nam homicidæ, fures, adulteri turbant pacem politicam, & ideo puniuntur à Magiſtratu politico. At hæretici non turbant pacem politicam, ſed tantùm Eccleſiaſticam; & ideò non de-

rent puniri à Magistratu politico, pœna corporali; sed tantùm ab Ecclesiastico, pœna spirituali. Respondeo. Hæretici turbant vtramque pacem. Primò quidem, ac per se, pacem Ecclesiæ, quæ consistit in vnitate fidei, Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Deinde consequenter, pacem Reipublicæ, quæ sine vnitate fidei conseruari non potest. Vbi enim est publica animorum dissentio, (quam introducunt hæretici) ibi pax publica esse non potest. Hoc testatur Christus, cùm ait: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Testantur exempla hæreticorum. Quas turbas toto Oriente excitarunt Ariani? quas in Græcia Macedoniani? Quas in Africa Donatistæ & Circumcelliones? (de quibus Augustinus epistola 68. ad Ianuarium Donatistam.) Quas in Imperio Romano Iconomachi & Albigenses? Hussitæ in Bohemia? Caluinistæ in Anglia, Gallia, Belgia, Polonia? Lutherani in Germania, tempore belli rusticorum? Tædet ac pudet referre: tam notæ, tam prodigiosæ sunt.

7 Et quid mirum? Nulla vnquam familia fuit, in qua dissentiens religio pacem non turbarit. Exemplo sit discordia inter Isaac & Ismaelem in familia Abrahæ: inter Iacob & Laban in Mesopotamia: inter Mosen & vxorem Sephoram, dum proficiscerentur in Ægyptum; quomodo ergo in toto regno, prouincia, ciuitate, pax & concordia sperari potest, vbi religionis ac fidei summa est discordia? Vidit hoc olim Iulianus Apostata, qui cum Christianorum Ecclesiam turbare ac pessundare vellet, libertatem ac varietatem doctrinarum introduxit. Refert Ammianus, & ex illo Lipsius in libro contra Dialogistam de vna religione.

8 Hæc omnia confirmari possunt ex natura hæreseos. Nam vbi hæresis, ibi superbia: vbi superbia, ibi discordia. Hinc infero: Cùm hæretici superbi sint, sanè si à nobis dissident in Sacramentorum administratio-

ne; si Templa & Monasteria nostra euertunt; si altaria & imagines destruunt; si Episcopis & Clero illudunt; si ritus & ceremonias contemnunt; si sacrificia, ieiunia, & dies festos execrantur: quomodo in rebus politicis concordiam & pacem nobiscum seruare possunt? Id prę-ter consuetudinem & ingenium illorum est. qui olim coniunctiores, quàm Iudęi & Israelitæ? At postquam altare contra altare, templum contra templum erectum est; mox inexpiabili dissidio diffecti & dissociati sunt.

9 Nunc repetò argumentum, quod posui, sub hac forma: Hæretici magis perturbant pacem Christianam, quàm homicidæ, fures, adulteri: At hi iustè puniuntur pœna capitis: Ergo multo magis illi. Maior probata est, quia pax Christiana est duplex: Vna Ecclesiastica, quæ consistit in vnitate fidei & Sacramentorum: Altera politica, quæ consistit in externa iustitia & tranquillitate. Vtramque turbant hæretici; alteram tantùm homicidæ, fures, adulteri: Ergo illi pernicioſiores sunt quàm hi. Videamus nunc, quid contra hanc doctrinam possit obiici.

10 Primò obiicitur illud Isaiæ 11. 9. *Non occident in vniuerso monte sancto meo*, id est, in Ecclesia. Vbi Propheta prædicit, doctrinam Euangelij propagandam in Ecclesia sine cæde & sanguine. Respondeo. Sensus Prophetæ pendet ex præcedentibus verbis, quæ sic habent: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Loquitur de venturo Christo. quid autem futurum sit tempore Christi, sic explicat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accumbabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Et paulo post: *Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo; quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Vbi per animalia metaphoricè intelligit homines, quorum alij gentiles, alij Iudæi sunt, alij feroces,

feroces, alij mansueti. Est ergo hic sensus: Gentiles, qui nunc barbari ac feroces sunt, instar luporum, pardorum ac leonum: veniente Christo, deponent feritatem suam, & cum mansuetis amplectentur eandem Christi Fidem, ac in eadem Christi Ecclesia sub iisdem legibus ac institutis habitabunt. Neque tunc amplius ex gentili feritate & barbarie persequentur veros Dei cultores, sicut nunc faciunt: sed erit vna omnium Fides, vnus Baptismus, vnus animus. Quod etiam factum est, iuxta illud Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.*

11 Hæc prædictio non obstat quominus Christiani, non quidem ex feritate & barbarie, sed ex zelo Christi, & studio conseruandæ vnitatis Fidei, possint coercere, & si opus sit, interficere hæreticos, quando pacis ac vnitatis turbatores sunt. Alioqui etiam obstaret quominus possint coercere & interficere homicidas, fures, adulteros, qui & ipsi tranquillitatem reipub. perturbant.

12 Secundo, obiicitur parabola zizaniorum, Matth. 13. 29. vbi serui quærebant ex patrefamilias, an deberent colligere zizania ex medio tritici? Et respondit illis: *Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania, &c.* Vbi per zizania intelliguntur hæretici: per triticum, Catholici: per messem, dies Iudicij: per messores, Angeli. Vult ergo Christus per hanc parabolam significare, hæreticos non esse eradicandos, sed simul cum Catholicis in eodem agro, id est, in eadem Ecclesia relinquendos vsque ad diem Iudicij. Respondeo. Per zizania intelliguntur omnes mali, siue sint hæretici, siue fures, siue adulteri, siue periuri: per triticum, omnes boni. Est ergo hic sensus: An Prælati Ecclesiæ debeant omnes malos separare à bonis? Respondet Christus, id faciendum non esse, quamdiu certò ac legitimè non constat quinam sint

boni, qui mali, ſicut ſæpe non conſtat. Nam alioqui periculum eſſet ne Prælati, qui putarent ſe ſolos malos ſeparare à bonis, ſepararent aliquando etiam bonos, & relinquerent malos. Et hoc ſignificant illa verba: *Ne forte eradicetis ſimul & triticum.* Quo etiam ſenſu dicit Apoſtolus, 1. Cor. 4 5. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Si autem, quod ſæpe fit, certò ac legitime conſtet hos vel illos eſſe fures, aut adulteros, aut homicidas, aut pertinaces hæreticos, tunc poſſunt ſeparari à bonis, nec periculum eſt ne cum iis etiam boni eradicentur. Et hoc ſenſu idem Apoſtolus dicit, 1. Cor. 5. 13. *Auferte malum ex vobiſmetipſis.* Et 2. Theſſ. 3. 14. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Hæc reſponſio ſumpta eſt ex Auguſtino lib. 3. contra epiſt. Parmeniani, cap. 2. poſt medium, & ex D. Thoma qu. 10. art. 8. ad 1.

13 Sed inſtant Lutherani, per zizania ſolos hæreticos, & non alios malefactores intelligendos eſſe. Primo, quia ita ſentiunt Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Theophylactus, & Euthymius. Secundo, quia ex textu id conuincitur. Nam Chriſtus opponit inter ſe hæc duo, *bonum ſemen*, & *zizania*. At per bonum ſemen, quotieſcunque illius mentionem facit, ſemper intelligit veram doctrinam fidei cum ſuis profeſſoribus. Ergo ex oppoſito, per zizania intelligit falſam doctrinam fidei cum ſuis profeſſoribus, id eſt, hæreſim & hæreticos. Reſpondeo. Per zizania, vt dixi, debent intelligi omnes mali, & per bonum ſemen, omnes boni. Et ſic explicat ipſemet Chriſtus, cùm ait: *Bonum ſemen, hi ſunt filij regni zizania autem, filij ſunt nequam*, id eſt, filij diaboli, qui nequam eſt. Vbi illa particula *filij regni*, nullum bonum excludit: Nec illa, *filij nequam*, vllum malum excludit. Quod manifeſtè confirmatur ex verbis ſequentibus:

Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala, & eos qui facient iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Quod non potest intelligi de solis hæreticis, sed de omnibus peccatoribus qui damnandi sunt.

14 Nec obstant Patres in contrarium citati. Nam illi non negant (quod Lutherani negant) per zizania intelligi omnes malos: sed quia inter omnes malos præcipui sunt hæretici, ideo potius hæreticorum mentionem faciunt. Alioqui, quod præter hæreticos intelligant etiam alios malefactores, patet ex ipso Augustino, serm. 39. de Sanctis, (qui est sermo 2. in die commemorationis animarum) vbi explicans parabolam zizaniorum, sic habet: *zizania, peccatores*, nempe, sunt. Et serm. 233. de tempore, cap. 2. *Dicam, fratres mei, quod sentio. Inter vos segetes Dei, mixta sunt zizania, id est, amatores mundi, amatores pecuniæ, amatores delitiarum, consultores magarum.* Vnde lib. 2. Retract. cap. 28. corrigit quod alibi dixerat, per zizania intelligi omnes hæreses, quasi excluderet alia peccata. Verba eius sunt hæc: *Illud etiam quod dixi (ad multitudinem zizaniorum, vbi intelliguntur omnes hæreses) minus habet vnam necessariam coniunctionem. Dicendum enim fuit: Vbi intelliguntur & omnes hæreses. Aut, Vbi intelliguntur etiam omnes hæreses.*

15 Sed esto: Per zizania intelligantur soli hæretici. Nihil contra nos est. Nam illi quamdiu occulti sunt, & sine periculo Catholicorum colligi & eradicari non possunt, omnino eradicari non debent. Quando autem manifesti sunt, & aperte turbant pacem & vnitatem Ecclesiæ, quis neget potius tollendos esse, quàm vt alios peruertant, & Ecclesiæ concordiam conuellant? *Auferte malum ex vobis*, inquit Apostolus. Quod quidem Prælati Ecclesiæ faciunt per excommunicationem: Principes autem sæculares per pœnam capitis: *Non enim sine causa portant gladium*, vt loquitur idem Apost. Rom. 13. 4.

16 Tertio, obiicitur illud Lucæ 9. 54. *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Vbi Christus reprehendit Apostolos, qui ad exemplum Heliæ, volebant Samaritanos igne consumere, eo quod non reciperent Christum. q. d. Alius fuit spiritus legalis, qui consistebat in seueritate: alius est spiritus Euangelicus, qui consistit in mansuetudine. Hunc debetis imitari, non illum. Heliæ licuit, igne de cœlo misso, consumere aduersarios: vobis non licet. Vos alium spiritum debetis habere, quàm ille habuit. Respondeo. Christus non loquitur generatim de spiritu Euangelico, quasi is excludat omnem seueritatem: sed loquitur speciatim de eo spiritu, quo ipse volebat Euangelium primò insinuare, quod antea erat incognitum. Non volebat id facere per externam violentiam, sicut tyranni solent occupare noua regna: sed per mansuetudinem, doctrinam, & miracula, sicut prædictum erat ab Isaia, cap. 35. 5. & cap. 61. 1.

17 Hinc non sequitur, Euangelium, postquam semel insinuatum & promulgatum est, non posse aut debere spiritu seueritatis defendi & conseruari. Potest, & debet. Ipsimet Apostoli non semel hoc spiritu seueritatis vsi sunt. Petrus quidem, quando Ananiam & Sapphiram occidit. (Act. 5. 4.) Paulus verò, quando Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret (1. Cor. 5. 5.) Et quando Elymam Magum excæcauit, eo quod vias Domini peruertere non desisteret. (Act. 13. 11.) Et quando scripsit: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* (1. Cor. 4 21) Imò Christus ipse, quando flagello eiecit ementes & vendentes de templo. (Lucæ 19. 45.)

18 Quarto, obiicitur illud Apostoli ad Titum, 3. 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem de-*

uita, sciens quia subuersus est. Vbi notanter dixit, *deuita*, non autem, *occide*. Respondeo. Verum est, quia non scribebat Principi politico, qui gladio corporali: sed Episcopo, qui gladio spirituali, id est, excõmunicatione debebat vti Hoc enim significat illud verbum *Deuita*. Græce est, ἀποτρέπου, id est, reiice, auersare. Potuisset nihilominus Titus Episcopus hæreticum pertinacem, & à se excommunicatum, tradere Principi sæculari, vt ab eo interficeretur. Id tamen factum non est, quia tunc temporis nulli erant Principes Christiani, quibus hoc tutò committi potuisset: sed tantùm Ethnici, vt paulo post dicturi sumus.

19 Quinto, obiicitur illud Matth. 26. 52. *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperunt gladium, gladio peribunt*, Et illud 2. Cor. 10. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* Respondeo. Hæc duo testimonia explicantur cap. 25. de bello, qu. 3.

20 Sexto, obiicitur: Fides debet esse libera: Ergo nullus ad eam cogendus est. Respondeo. Fides duplici sensu potest dici libera. Primo, quoad internum assensum, seu actum credendi. Sic semper libera est, vt explicaui capite 8 qu. 5. Secundo, quoad externam professionem Fidei. Sic libera est, respectu infidelium, qui nunquam per Baptismum susceperunt Fidem. Illi enim ad Fidem cogi non possunt (suprà, cap. 13. quæst. 4.) At non est libera, respectu hæreticorum, qui illam semel in Baptismo susceperunt, & susceptam deseruerunt. Nam hi cogi possunt. Diuus Thomas qu. 10. art. 8.) Simile fuit in veteri Testamento. Nemo Gentilium poterat cogi ad Iudaismum ante circumcisionem. At si semel circumcisi essent, poterant cogi ad obseruantiam legis Mosaicæ, vt testatur Apostolus ad Galatas, 5. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.*

21 Septimo, obiicitur: In primitiua Ecclesia hæretici non puniebantur pœna temporali. Respondeo. Ratio

puniendi hæreticos mutata est pro necessitate temporis. Et quidem in primitiua Ecclesia non puniebantur pœna temporali: vel quia Ecclesia non poterat id facere propter potentiam infidelium, & paucitatem Christianorum: vel certe quia iudicabat non expedire propter scandala, quæ tunc facile potuissent oriri. Postea paulatim puniti sunt, nunc exilio, L. *Ariani*. C. De Hæreticis: nunc mulcta pecuniaria, L. *Cuncti hæretici*, ibidem: nunc amissione omnium bonorum, L. *Manichæi*, donec tandem, propter nimiam ipsorum insolentiam, & pœnarum istarum contemptum, peruenretur ad pœnam capitis, quam Valentinianus & Marcianus decreuerunt, L. *Quicunque*, eodem codice. Vide Augustinum epist. 50. ad Bonifacium, paulo ante medium, vbi eandem obiectionem proponit & soluit.

VII. QVÆSTIO.

An liceat disputare cum Hæreticis de Fide?

1 CErtum est, aliquando licere, aliquando non licere. Non licet in his casibus. 1. quando Catholicus, qui disputat cum hæreticis de fide, non habet rectam intentionem. 2. quando in iure non censetur idoneus vel sufficiens ad disputandum. 3. quando est periculum ex parte auditorum, qui disputationi intersunt. 4. quando hæreticus, cum quo disputatur, est pertinax, & aliunde nulla vtilitas ex disputatione sperari potest. Hæc breuiter explicanda sunt.

2 Prima Conclusio. Catholicus peccat disputando cum hæreticis. quando non habet bonam intentionem, id est, quando disputat *tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens*, vt loquitur D. Thomas quæst. 10. art. 7. Ratio est, quia qui sic disputat, est dubius in sua fide, & coniicit se in periculum deficiendi à fide: Ergo sine dubio peccat. Hoc intellige de eo, cui fides Christiana sufficienter

propositia est, ita vt teneatur credere. Nam si esset Gentilis aut Iudæus, cui fides nondum sufficienter esset proposita, & foret eo fine disputaret, vt posset inuenire veritatem, non peccaret disputando. Ita Bannes qu. 10. art. 7. in commentario, Valentia qu. 10. assert. 1. Sanchius lib. 1. moral. cap. 6. num. 1.

3 Secunda Conclusio. Catholicus peccat disputando cum hæreticis, si ipse est laicus, quia sub pœna excommunicationis interdicta est laico huiusmodi disputatio, vt patet ex cap. *Quicunque*, De Hæreticis in 6. vbi Alexander Papa sic statuit: *Inhibemus quoque, ne quispiam laicæ personæ intra publicas vel priuatas de fide Catholica disputare. Quæ vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Ratio inhibitionis est, quia laici, vt plurimum, sunt indocti, ac proinde in iure præsumuntur tanquam minus idonei & sufficienter ad disputandum de mysteriis Fidei. Vide authores citatos.

4 Dices: Aliquando contingit aliquem laicum non minus esse doctum quàm Clericum vel religiosum: Ergo illi saltem non est inhibita disputatio de Fide. Hoc aliqui concedunt, quia inhibitio solùm facta est ex ea præsumptione, quod laici soleant esse indocti. Ergo si contingat aliquem esse doctum, non comprehenditur sub illa inhibitione. Ita Bannes loco citato. Et confirmat exemplo Alberti Pyghii Comitis, & Henrici octaui Regis Angliæ, qui fuerunt laici, & tamen cum Lutheranis disputarunt de Fide.

5 Alii contrà sentiunt, omnes omnino laicos comprehendi illa inhibitione, quia leges quæ feruntur pro communitate, non solent specìare quid aliquando fieri possit in hoc vel illo casu particulari, sed quid fiat vt plurimum. At laici, vt plurimum, sunt indocti, licet aliquando contingat hunc vel illum esse doctum: Ergo omnes tenentur legem inhibitionis seruare. Ita Nauarrus & alii citati à Sanchio, n. 5. quæ sententia probabilior est.

6 Dices 2. Hinc sequitur, omnes laicos, quantumuis doctos, qui in Germania disputant cum hæreticis de Fide, non solùm peccare, sed etiam excommunicatos esse, quod est absurdum, & contra communem hominum opinionem. Respondeo. Id non sequitur, quia in Germania, & aliis quibusdam locis, vbi Catholici & Hæretici permixti sunt, non est in vsu suprадicta inhibitio, sed per contrariam consuetudinem abrogata, ac proinde non obligat. Ita Valentia ibidem, assertione secunda. Deinde potest contingere casus magnæ alicuius necessitatis aut vtilitatis, in quo non habeat locum illa inhibitio: vt si esset aliquis hæreticus, qui peruerteret fideles, & nullus Ecclesiasticus vel Religiosus adesset, qui posset illi resistere. Tunc enim laico, si alioqui sufficienter esset doctus, id liceret, & ex obligatione charitatis incumberet. Ita Valentia, & Sanchius.

7 Dices 3. Si laicus, quia indoctus est, peccat disputando de Fide, etiam Clericus peccabit, si indoctus sit: Et sic erit par vtriusque ratio. Respondeo. Clericus non peccat contra illam inhibitionem Alexandri Papæ, quia illa comprehendit solos laicos: sed tamen peccat contra ius naturale, quia exponit se periculo erroris. Hinc sequitur, tam laicum quàm Clericum indoctum peccare: sed laicum contra legem naturalem & Ecclesiasticam, Clericum contra alteram tantum. Deinde, laicum ex ea parte excommunicari, non autem Clericum. Quamuis hæc excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ. Vel, quod idem est, non incurritur ipso facto, sed est commonitoria. Quod recte colligunt authores ex ipso loquendi modo, quo Pontifex vsus est. Non enim dixit: *Excommunicationis laqueo innodatur*, sed, *innodetur*.

8 Dices 4. Etiam Clericis prohibita est publica disputatio de Fide, vt patet ex Lege, *Nemo Clericus*. C. De summa Trinitate: Ergo & illi peccant non tantum con-

tra legem naturalem, sed etiam contra ciuilem. Respondeo. Lex ciuilis, quæ disponit de rebus spiritualibus, non obligat Clericos, nisi iure canonico confirmetur. Ita Azor lib. 8. moral. cap. 26. qu. 2. & Sanchius loco citato, nu. 8.

9 Tertia Conclusio. Catholici peccant disputando cum hæreticis de Fide, quando disputant coram simplicioribus. Ita Diuus Thomas quæst. 10. art. 7. Ratio est, quia est periculum, ne simpliciores ex tali disputatione peruertantur. Nam facilius percipiunt plausibilia hæreticorum argumenta, quàm subtiles ac solidas Catholicorum solutiones: Et ideò incipiunt dubitare, aut vacillare in Fide.

10 Excipiuntur tamen duo casus, in quibus licita est huiusmodi disputatio. Prior est, quando Catholicus, qui disputat cum hæreticis, est vir non solum doctus, sed etiam clarus & perspicuus, qui possit se accommodare ad captum singulorum: & ita res suas explicare, vt omnes, quantumuis rudes & indocti, facile eas percipiant. Posterior, quando simpliciores ab hæreticis sollicitantur ad defectionem. Tunc enim tenentur viri docti, coram simplicioribus, opponere se hæreticis, & veram Fidem disputando defendere. Ita D. Thomas ibid.

11 Quarta Conclusio. Catholici peccant disputando de Fide cum hæreticis pertinacibus, præsertim si aliunde non appareat vlla vtilitas. Nam quando hæretici sunt pertinaces, tunc nec facile conuertuntur, nec tam pugnant firmitate argumentorum, quàm contentione vocis, & acerbitate verborum, ex qua potius pacis perturbatio, quàm vnio & concordia sperari potest. Vide D. Thomam ibidem ad 1.

12 Ex dictis colligitur, quando licitum & honestum sit disputare cum hæreticis, nempe quando viri docti, quibus id concessum est, disputant contra hæreticos ad confutandos eorum errores: idque coram prudentibus au-

ditoribus, qui vim argumentorum & responsionum vtriusque partis recte percipiunt, & de tota re æstimare possunt. Aut certe quando disputant coram simpliciori-bus, qui ab hæreticis sollicitantur ad defectionem, vt huic periculo occurratur.

VIII QVÆSTIO.

An liceat libros Hæreticorum legere?

1 COnstat non solùm licere aliquando legere, sed etiam necessarium esse, præsertim quando errores hæreticorum refutandi sunt, qui aliunde quàm ex eorum libris integre ac certò cognosci non possunt. Vnde in Concilio Carthaginensi 4. cap. 16. admonentur Episcopi, vt pro necessitate & tempore legant huiusmodi libros. Et Eusebius lib. 7. hist. cap. 6. refert, Dionysium Alexandrinum ad eosdem legendos diuina visione fuisse adductum.

2 Quæstio est, quando non liceat, vel in quibus casibus, & quo iure prohibita sit lectio librorum hæreticorum. Et quidem certum est iure naturali ac diuino, in vno casu prohibitam esse, nempe, quando esset periculum defectionis à Fide. De iure humano dicendum est per sequentes conclusiones.

3 Prima Conclusio. Lectio librorum hæreticorum prohibita est iure humano, diuersis locis ac temporibus. Et hæc prohibitio duplex est: Vna specialis, qua certi tantũ libri: altera generalis, qua omnes prohibentur. Quæri solet, quando primùm cœperit hæc generalis prohibitio. Alphonsus à Castro l. 2. de iusta hæreticorum punitione, c. 17. putat cœpisse sub Iulio 3. Pontifice. Et recte. Nam si spectemus leges ciuiles, quæ antea latæ sunt, in illis certorum tantùm hæreticorũ libri prohibentur, vt Arij, aut Eunomij, aut Porphyrij, aut Eutychianistarum, & Apollinaristarum, aut Nestorij, Seueri, Manichæorũ, Origenis & similium. Similiter, si spectemus decreta Ecclesiastica,

ea vel profecta sunt à Conciliis Prouincialibus, vel à Generalibus, vel à summis Pontificibus. Decreta primi generis non obligant omnes Christianos. Reliqua non prohibent omnes libros hæreticos, sed tantùm certos. V. g. Synodus septima prohibet tantùm libros Iconoclastarum: Concilium Constantiense, libros VVieleſi: Gelasius Pontifex, eos tantùm, quos in suo decreto nominat: Leo decimus & Paulus tertius, libros tantùm Lutheranos. Primus ergo fuit Iulius tertius, qui tulit generalem legem, qua sine vllo discrimine omnibus prohibetur lectio quorumcunque librorum hæreticorum, idque sub pœna temporali & spirituali, quæ in hæreticos constituta est. Post Iulium idem fecerunt Paulus quartus, Pius quartus, & cæteri subsequentes Pontifices in Bulla Cœnæ Domini.

3 Secunda Conclusio. Generalis prohibitio librorum hæreticorum, hoc tempore, duplex est. Vna continetur in Bulla Cœnæ Domini, cùm adiuncta excommunicatione, reseruata Pontifici: Altera in Indice librorum prohibitorum, cum adiuncta excommunicatione, non reseruata Pontifici. Hinc sequitur primo, legentem libros hæreticorum sine facultate, incurrere in duplicem excõmunicationem, alteram Bullæ, alteram Indicis: & ab vna posse absolui à proprio Confessario; ab altera, nonnisi à Pontifice, aut habente priuilegium à Pontifice. Secundo sequitur, posse aliquem incidere in excõmunicationem Indicis, itavt non incidat in excõmunicationem Bullæ, si nimirũ legat libros qui prohibiti sunt in Indice, non tamen prohibiti sunt in Bulla: cuiusmodi sunt illi qui continent aliquos errores, tametsi non hæreticos, aut errorum suspicionem, vt notat Toletus in explicatione Bullæ.

5 Quæres 1. An Catholici in Germania incurrant in vtramque excommunicationem, quando legunt libros hæreticorum, animo refutandi? Resp. Hæc quæstio non pendet ex eo, an Catholici legant animo eiusmodi

libros refutandi, vel non refutandi: sed ex eo, an Bulla Cœnæ Domini, & Index librorum prohibitorum obliget Catholicos in Germania. Vnde hæc duplex regula seruanda est. Vna, vbicunque Bulla & Index obligant, ibi Catholici incurrunt vtramque excommunicationem, si legant libros hæreticos sine speciali facultate. Altera, vbicunque lex vel constitutio Pontificis vsu recepta est, ibi obligat: vbi recepta non est, non obligat, vt suppono ex Tractatu de Legibus, cap. 6. quæst. 8 & ex Nauarro in Manuali, cap. 23. num. 41. Dicitur autem vsu recepta, quando à maiori parte communitatis recipitur & obseruatur. Hinc sequitur, si Bulla Cœnæ Domini, vel Index librorum prohibitorum in Germania receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticorum, tametsi peccent mortaliter, si eos legant cum periculo erroris aut deceptionis, quod frequenter fit.

6 Est tamen discrimen inter excommunicationem Bullæ & Indicis, non solùm quod altera sit reseruata Pontifici, altera non sit: sed etiam quòd excommunicatio Bullæ non sit à iure, sed ab homine, vt docent Dominicus Sotus in quarta distinct. 22. qu. 2. art. 3 Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 54. & Toletus in explicatione eiusdem Bullæ. Ratio est, quia excommunicationes à iure non renouantur: At excommunicatio Bullæ renouatur singulis annis, sicut & ipsa Bulla. Hinc infert Toletus eos non excommunicari vi Bullæ, qui vacante sede legunt libros hæreticos.

7 Quæres 2. An incurrat excommunicationem, qui paucos versiculos legit in libro hæretico? Respondeo. Hîc illa regula seruanda est, excommunicationem non incurri, nisi propter peccatum mortale. Prius ergo videndum est an peccet mortaliter, qui contra præceptum Ecclesiæ legit paucos versiculos in libro hæretico. Videtur autem esse eadem ratio in hoc peccato, quæ est in

furto, & aliis similibus. At in his potest aliquis dupliciter excusari à mortali. Primo, propter paruitatem materiæ quo pacto furtum vnius oboli est tantum veniale. Secundo, propter indeliberationem actus: vt si aliquis ex subita passione alterum percutiat, sine præuia deliberatione. Idem ergo dicendum est in proposito. Nam si quis paucos tantùm versiculos legat, aut sine deliberatione, & quasi imprudenter incidat in librum hæreticum, non peccabit mortaliter, ac proinde non excommunicabitur. Nam quidquid excusat à peccato mortali, hoc etiam excusat ab annexa excommunicatione.

8 Dices: Vnde cognosci potest quàm multi aut pauci versiculi efficiant peccatum mortale aut veniale? Resp. Sicut in furto hoc æstimari debet à notabili damno, quod infertur proximo: ita in hac materia æstimandum est à notabili periculo, cui se exponit is, qui legit librum hæreticum. Hoc autem periculum non est æquale in omnibus legentibus, quia alij facilius decipiuntur quàm alij. Sicut etiam non est æquale damnum pauperis & diuitis, si quis vtrique auferat vnum coronatum. Omnes ergo circunstantiæ spectari debent, & sic prudenter de tota re iudicandum.

8 Quæres 3. An hæc prohibitio librorum hæreticorum sit iusta & legitima? Respondeo affirmatiue. Et probatur ex perpetuo vsu Ecclesiæ. Nam tempore Apostolorum multi curiosi & vani libri combusti sunt coram omnibus, vt habetur Act. 19. 19. Et Constantinus Imperator ex decreto Concilij Nicæni, iussit libros Arij comburi, pœna capitis in eos constituta, qui illos occultarent. Item mandato Theodosij & Valentiniani, combusti sunt libri Nestorij, in Concilio Ephesino damnati, teste Liberato in Breuiario, cap. 10. quod etiam refertur in L. *Damnato*, C. De Hæreticis & Manichæis. Similiter Valentinianus & Marcianus iusserunt comburi libros Eutychetis, damnatos in Concilio Chalcedo-

nensi, vt patet ex L. *Quicunque*, C. eodem titulo. Vide plura exempla apud Bellarminum, libro tertio de Laicis, cap. 20.

9 Et ratio est, quia si iure prohibentur colloquia & sermones hæreticorum, tanquam noxij & pestilentes, multo magis ipsorum libri possunt prohiberi; quia libri plus nocent quàm sermones. Nam & diuturniores sunt, & ad plura loca, & ad plurium manus perueniunt: & magis quæ leguntur attentè, quàm quæ obiter audiuntur, in animo hærent: ac denique facilius persuadentur, cùm sint accuratius meditata & composita. Idque confirmat experientia, quia Ioannes VViclefus viua voce pauciſſimos peruertit: docuit enim solùm in Anglia, & ibi penè nullos reliquit sui erroris hæredes. At per libros totam Bohemiam peruertit, vt videre est apud Cochlæum in historia Hussitarum.

10 Dices 1. Libros hæreticorum continent multa vera & vtilia: Ergo non debent prohiberi, quia stultum est, propter aliqua falsa & inutilia priuare se etiam veris & vtilibus. Et confirmatur 1. ex illo 1. Thess. 5. 21. *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Deinde exemplo D. Hieronymi, & Theophili Alexandrini. Nam D. Hieron. in epist. ad Miuerium & Alexandrum, circa finem, fatetur se legisse libros hæreticorum, vt bona inde excerpat, etiam si sciat aliquos propterea de se murmurare. Similiter Theophilus cùm argueretur quod Origenem legeret, respondit se legere, vt quod bonum est, excerperet; & quod malum, respueret.

11 Respondeo. Hinc potius sequitur non debere legi hæreticorum libros, eo quod vera falsis, & bona malis permisceant. Sic enim decipiunt Lectorem. Nam si sola falsa & mala dicerent, statim ab omnibus reiicerentur: si sola vera & bona, hæretici non essent. Itaque de industria, omnia miscent, vt ex malis bona inficiant, & per bona, mala sua abscondant. Vnde Hieronymus epist. 7.

ad Lætam: *Venena*, inquit, *non dantur, nisi melle circumlita.* Deinde si bona & vera volumus cognoscere, facilius & securius ex Catholicorum, quàm hæreticorum libris cognoscemus, iuxta illud eiusdem Hieronymi, epist. 10. ad Furiam: *Eorum duntaxat tractatus lege, quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere.*

12 Illud Apostoli: *Omnia probate; quod bonum est, tenete*, significat, Omnia quæ dubia & incerta sunt, debere examinari, non ab omnibus & singulis, sed ab iis qui possunt, & quibus ex officio incumbit. Sicut enim non est omnium, sed Medicorum explorare, qui morbi sint contagiosi, & qui non sint: ita non est omnium, sed paucorum examinare quid sit hæreticum, & quid non sit. Vnde Hieronymus epistola septima ad Lætam, recte ait: *Grandis est prudentiæ aurum in luto quærere.* Quando autem facto examine, quædam approbata, & quædam reiecta sunt, tunc non opus est iterum examinare, sed standum est examini & sententiæ semel factæ. Eodem modo, quando libri hæreticorum semel ab Ecclesia examinati, & damnati sunt, tunc non debet quilibet eos iterum examinare, nisi forte ad refellendum, si hoc alicui speciatim imponeretur à Prælatis Ecclesiæ. Et huc spectat exemplum Hieronymi & Theophili, qui legerunt libros hæreticorum, vt eos refutarent.

13 Dices 2. Ecclesia tolerat libros Gentilium, Iudæorum, Turcarum, & quorundam etiam veterum hæreticorum, vt Origenis, Tertulliani, Eusebii, & Pelagii: Ergo eadem ratione potest tolerare libros aliorum hæreticorum.

Respondeo primo. Libri Gentilium ideo tolerantur, quia non nocent. Nam errores qui in ipsorum libris continentur, iam mortui & extincti sunt, nec habent vllos amplius propugnatores. Quod si inter Christianos aliqui essent, qui Gentilium dogmata propugnarent, tunc merito prohiberentur ipsorum libri, sicut

factum est tempore Apostolorum, vt refert Clemens libro 1. Constitutionum Apostolicarum, cap. 6.

Respondeo secundo. Libri Turcarum & Iudæorum sunt melioris conditionis, quàm hæreticorum: quia illi sunt aperti hostes Christianorum, nec fallunt sub nomine Christiano, vt hæretici faciunt. Loquor autem de libris Turcarum & Iudæorum, qui non continent blasphemias in Christum, & qui iudicantur non esse pernicioſi Christianis: alioqui etiam prohibentur in Indice à Clemente octauo edito, & nominatim Talmud Iudæorum.

Respondeo tertio. Libri Origenis, Tertulliani, Eusebij, & Pelagij ideo permittuntur, tum quia hæreses illorum sunt extinctæ, tum quia illorum libri prosunt propter antiquitatem, tum deniq. quia non videtur hoc tempore esse vllum periculum, ne quis imbibat illorum errores, præsertim Tertulliani. Nam ipse docuit cum Montano, illicitum esse secundum matrimonium, & duas aut tres quadrageſimas esse obseruandas. At nostri temporis Nouatores ne vnam quidem seruant quadrageſimam: & non solùm ad secundas, sed etiam ad tertias & quartas nuptias procedunt, vt metuendum non sit ne iterum excitent errores Tertulliani.

IX. QVÆSTIO.

An Hæretici resipiscentes sint ab Ecclesia recipiendi?

1 HÆretici vel sunt relapsi in hæresim, vel non sunt. Illi dicuntur relapsi in iure canonico, qui postquá hæresim publice coram Iudice abiurarunt .i. iureiurando damnarunt & execrati sunt, in eam iterum recurrunt. Ita Archidiaconus Ioan. Andræas, Geminianus, & alii in cap. *Accusatus*. De Hæreticis, in 6. Vnde etiam si quis millies in hæresim, à qua per veram cordis pœnitentiam recessit, relabatur, non habetur relapsus in iure, nisi hæresim coram Iudice abiurauerit.

1 Primâ

2 Prima Concluſio. Omnes hæretici, ſiue relapſi ſint, ſiue non ſint, ſi reſipiſcant, recipiuntur benignè ab Eccleſia ad Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, vt expreſſe habetur in cap. *Super eo*, De hæreticis in 6. Et ratio eſt, quia cum Deus paratus ſit recipere omnes peccatores pœnitentiam agentes, & velit illos ſaluos fieri; non debet Eccleſia negare illis ea præſidia, quibus ſaluari poſſint, cuiuſmodi ſunt Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

3 Secunda Concluſio. Hæretici relapſi, tametſi recipiantur ad Sacramenta, vt dictum eſt, non tamen permittuntur viuere, ſed ſine vlla ſpe veniæ & miſerationis traduntur brachio ſæculari, vt morte puniantur, vt habetur eodem, cap. *Super eo*, ET cap. *Ad abolendam*, EXTRA de hæreticis. Ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſperare, vt tales ſint futuri conſtantes in fide, & ideò iudicat expedire, vt tollantur è medio, ne aliis noceant.

4 Dices: Contrarium colligitur ex L. vltima, C. de Summa Trinitate, vbi in Reſiduo epiſtolę Ioannis Papę ad Iuſtinianum Imp. habentur hęc verba: *Sed quia gremium ſuum nunquam redeuntibus claudit Eccleſia*, &c. Reſpondet Gloſſa in cap. *Super eo*, Eccleſiam non claudere gremium redeuntibus, quia admittit omnes, qui reſipiſcunt, ad Sacramenta Pœnitentię & EUCHARIſTIę, licet non omnibus concedat vitam. Dices: Videtur etiam vitam omnibus concedere, vt patet ex cap. *Duo*, 23. quęſt. 4. vbi leguntur hęc verba: *Perſequamur in eis propriam iniquitatem; miſereamur communem naturam.* q. d. In hęreticis duo ſpectanda ſunt, nempe peccatum hęreſis, & humana natura. Hęreſim debemus odiſſe & perſequi, non autem humanam naturam. Vnde colligitur, hæreticos etiamſi relapſi ſint, non eſſe interficiendos, modo reſipiſcant. Reſpondeo. Iſte canon generatim loquitur de homine peccatore, & inter alia ſic

dicit: *Ita nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Et postea subdit: *Non ergo suscipiamus peccatores propter hoc, quod sunt peccatores sed tamen eos ipsos, quia & homines sunt, humana consideratione tractemus. Persequamur in eis propriam iniquitatem, misereamur communem naturam.* Si hoc ad hæreticos accommodemus, erit hic sensus: Nulli, quatenus hæreticus est, relaxetur impunitas: Nulli, quatenus homo est, claudatur misericordia. Vel sic: Persequamur in hæreticis propriam iniquitatem, infligendo pœnas in iure constitutas: Misereamur communem naturam, recipiendo ad fructum & participationem Sacramentorum. Neuter sensus contra nos est.

Caput XVI.

De Fide Hæreticis seruanda.

1 Fides hoc loco sumitur pro fidelitate in seruandis promissis & conuentis. Est ergo quæstio, an inter reliquas hæreticorum pœnas, sit etiam hæc vna, quod non teneamur eis seruare fidem in promissis, pactis, & conuentis, quæ aliàs licita & honesta sunt? Nam si essent turpia & illicita, ne Catholicis quidem seruanda esset, iuxta Regulam iuris: *In malis promissis rescinde fidem.*

2 Potest autem hæc quæstio tractari hoc ordine. 1. An in promissione valida & obligandi vim habente, seruanda sit fides hæreticis, non obstante hæresi. 2. An seruanda sit illis fides, non obstante excommunicatione. 3. An speciatim in contractu matrimonij seruãda sit illis fides. 4. An etiam in negotio libertatis religionis. 5. An in bello. 6. An in saluo conductu. Hæ sunt præcipuæ difficultates, quæ hoc tempore disceptantur.

3 Nos in omnibus respondemus affirmatiuè. Aduersarij, præsertim Caluinistæ, dupliciter hic peccant. Primò, quia affingunt nobis contrariam sententiam. Aiunt nos docere, non esse fidem hæreticis seruandam; quod

est apertum mendacium. In quo similes sunt Pharisæis, qui tametsi ex ore Christi audierant: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*; tamé ausi sint illi obiicere coram Pilato: *Hunc audiuimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari.* Planè sic agunt nobiscum Caluinistæ. Publicè protestamur, fidem seruandam esse hæreticis. Et tamen vociferantur: Hos audiuimus negantes fidem seruandam esse hæreticis.

4 Neque hic sistunt. Hoc mendacio, tanquam prætextu quodam abutuntur, quasi ipsis impunè liceat pacta cum Catholicis inita rescindere ac violare. Iterum similes Pharisæis. Hi clamabant: *Crucifige, crucifige.* Quid malifecit? Prohibuit tributa dare Cæsari. Illi similiter clamant: Rescinde fidem Catholicis datam, rescinde. Quid causæ? Negant nobis fidem seruandam esse. Cur nos ipsis seruemus? Nimirum, vt Pharisæi homicidium; sic Caluinistæ perfidiam suam mendacio tuentur. quod clarius patebit ex sequentibus.

I. QVÆSTIO.

An in promissione valida & obligandi vim habente, seruanda sit fides hæreticis, non obstante hæresi?

1 QVænam sit promissio valida, & obligandi vim habens, dicetur in materia de contractibus. Hîc quæritur, an si aliàs valida sit & obligandi vim habens, desinat obligare ex eo præcisè, quia hæretico facta est: Et consequenter, an tenearis præstare, quod hæretico promisisti?

2 Suppono quosdam esse casus, in quibus promissio aliàs valida desinit obligare, ex communi Theologorum sententia. 1. si res promissa fiat illicita, vel inutilis, vel impossibilis. 2. si status rerum aut personarum ità mutetur, vt promissor secundùm iudicium prudentum non videatur illum euentum voluisse comprehendere; quod ex conditione rei promissæ, & promissarij dispo-

tione, aliisque circumstantiis iudicandum est. 3. si alter è duobus, qui sibi mutuo promiserunt, non seruet fidem. Tunc enim nec alter tenetur, iuxta illud: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* 4. quando aliquid promissum est ob causam, quæ non subest: vt si promiseris Petro, putans illum aliquid in gratiam tui fecisse, cum non fecerit. In his & similibus casibus desinit promissio, aliàs valida, obligare. Vide D. Thom. q. 110. art. 3. ad S. Caietanum q. 113. art. 1. sub finem, Nauarum in Manuali, cap. 18. num. 7. & alios.

2 Nunc difficultas est, an extra hos casus, ex eo præcisè desinat obligare, quia hæreticis facta est. Vel an præter casus enumeratos, admittendus sit alius, nempe hæresis. Catholici sic sentiunt. 1. Hæreticis non facile promittendam esse fidem. 2. Quando tamen promissa est, seruandam esse. Quæ duo breuiter explicabo per duas conclusiones.

Prima Conclusio. Cum hæreticis non facile ineundi sunt contractus, conuentiones, fœdera, pacta, siue publica, siue priuata; propter tres potissimum causas 1. propter periculum subuersionis. 2. propter scandalum. 3. propter ipsorum improbitatem.

3 De periculo subuersionis intelligi potest illud 2. Timoth. 2. 17. *Sermo eorum, vt cancer serpit.* quasi dicat. Sermo hæreticorum est instar morbi contagiosi, qui alios inficit. Sicut ergo nemo prudens facile agit cum homine habente morbum contagiosum, ne veniat in periculum morbi corporalis: ita nemo debet agere cum hæretico, ne inficiatur morbo spirituali. (Vide Cyprianum lib. 1. epist. 3. ad Cornelium & Leonem, serm. 5. de ieiunio decimi mensis) Ob hanc causam Deus in V. T. prohibuit Iudæis fœdera, societates, & amicitias cum gentilibus, ne scilicet ex eorum consortio deficerent à vera fide ad idololatriam. Exodi 34. 12. *Caue, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias,*

quæ sint tibi in ruinam, Et v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, &c. Et Deut. 7. 3. *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis connubia. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Dys alienis.* Porro, quantum sit hoc periculum, & quàm nocens contagio, testantur non solùm antiqui Iudæi, qui olim plurimi à gentilibus peruersi sunt; sed etiam huius temporis Christiani, qui non pauci in Germania & vicinis Prouinciis, ex conuersatione cum Lutheranis & Caluinistis, à Catholica fide desciuerunt.

6 De scandalo res æquè clara est. Constat multo rudiores ac simpliciores scandalum pati, & in errorem induci, quando vident suos Principes, aut viros nobiles, potentes, eruditos, cùm hæreticis conuersari, paciscì, matrimonia inire, baptismum celebrare, & similia agere. Putant enim eos, hac sua conuersatione, doctrinam & mores hæreticorum approbare: ac proinde se quoque errare non posse, si ipsorum exemplum imitentur. Vnde paulatim fit, vt apertè incipiant hæresim pro vera doctrina amplecti & propugnare: nec alio argumento tueri se possint, quàm quod prætendant tales viros non posse errare, seque bona conscientia illorum vestigiis posse insistere. Hac re nihil notius in Germania & vicinis regnis. Atque vtinam heberemus multos Eleazaro similes, qui mori maluit, quàm scandalum dare: Præclara illa vox ipsius. 2. Machab. 6. 24. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam meæ senectuti conquiram.*

7 De improbitate hæreticorum testatur Apostolus secunda ad Timothæum tertio, versu secundo. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi,*

parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. En quanta & quàm multa hæreticorum flagitia hîc recensentur. An putas eos, qui huiusmodi improbitatibus pleni sunt, fidem promissam seruaturos? Non est verisimile. Vnde adiecit Paulus: *Et hos deuita.*

8 Secunda Conclusio. Tametsi cum hæreticis non facile paciscendum sit, vt ex dictis patet; nihilominus tamen, si cum illis pactum aut fœdus iniuisti (si quidem nihil aliud obstat, quàm hæresis) debes integrè & sincerè fidem illis seruare, non minus, quàm Catholicis. Ratio est, quia obligatio pacti seu mutuæ promissionis oritur ex virtute veritatis, fidelitatis, & iustitiæ. Et quidem virtus veritatis ad hoc obligat, vt sincerè, non fictè promittas, id est, vt quod verbo promittis, etiam animo promittas, ne mendax sis. Virtus fidelitatis ad hoc obligat, vt opere præstes quod promissum est, ne perfidus sis. Virtus Iustitiæ ad hoc obligat, vt alteri, cum quo pactus es, tribuas ius suum quod illi debetur ratione pacti seu mutuæ promissionis, ne iniustus seu iniuriosus sis. At hæ virtutes æquè te obligant, siue apud Catholicos, siue apud hæreticos verseris. Nusquam enim licet mentiri: nusquam perfidum esse: nusquam ius alterius violare, vel iniustitiam committere. Et sanè si semel concederes hæc ideò licitè fieri, quia hæretico mentiris, hæretico perfidus es, hæretico iniuriam facis; quidni consequenter concedas, licere tibi hæreticum occidere, furto res eius auferre, odio eum prosequi? quæ omnia absurda sunt, & diuinæ legi repugnantia.

9 Hæc ratio confirmatur in hunc modum: quæ intrinsecus, & ex natura sua sunt mala & illicita, nunquam benè & licitè fieri possunt, quocunque prætextu fiant:

At mendacium, perfidia, & iniustitia, intrinsecè & ex natura sua sunt mala ac illicita: Ergo nunquam benè & licitè fieri possunt, quocunque prætextu fiant. Ergo siue apud Catholicos, siue apud hæreticos sis mendax, perfidus, & iniustus; æquè reus es, & æquali scelere te obstringis.

10 Secundò, probatur ex Scripturis, hoc modo: quando fideles paciscuntur cum gentilibus & idololatris, debent illis seruare fidem in rebus licitis & honestis: Ergo etiam, quando paciscuntur cum hæreticis. Hi enim, in hac re, non sunt deterioris conditionis, quàm illi. Antecedens probatur exemplo Iosue & aliorum Principum populi Israelitici, qui cum pactum & amicitiam inijssent cum Gabaonitis (qui erant infideles & idololatræ) tametsi ab illis decepti essent; tamen ita religiosè & sincerè fidem illis promissam seruarunt, vt non solùm vitam, de qua pacti erant, ipsis darent; sed etiam contra vicinos hostes bello tuerentur. (Iosue 9. 15.)

11 Quod autem rectè & laudabiliter id fecerint, imò facere debuerint, tribus argumentis confirmari potest. Primò, authoritate ipsius Iosue & aliorum Principum. Cùm enim pleriquè è populo putarent Gabaonitas iure occidi posse, nec fidem illis seruandam esse, eo quod dolo pactum extorsissent; opposuerunt se Principes, & dixerunt: *Iurauimus eis in nomine Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere.* (Iosue 9. 19.)

12 Deinde, miraculo res comprobata est. Nam Gabaonitæ, cùm propter fœdus cum Israelitis initum à vicinis Regibus bello infestarentur, iure fœderis petebant subsidium à Iosue. Nec mora. Iosue memor pacti & societatis, cum armatis viris profectus est, vt arceret hostem, & Gabaonitas defenderet. Fit prælium. Deus vt ostenderet gratam sibi esse pactorum fidem, non modo victoriam concessit Israelitis, sed etiam nouo miraculo coh-buit solem, ne occumberet, vt tanto plus temporis esset

ad hostem interimendum. Sic enim legimus, Iosue 10. 13. *Stetit Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.*

13 Tertiò, sicut Deus concessit Iosue hanc victoriam propter fidem seruatam, ita propter eandem violatam grauissimè puniuit Saulem Regem & vniuersum populum. Res sic habet. Gabaonitæ pacti erant cum Iosue de vita, vt dictum est. Post centum annos & amplius, Saul Rex, non obstante hoc pacto, multos eorum interfecit. Nec impunè. Nam vt Scriptura loquitur, 2 Reg. 21. 1. *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter.* En vindictam. Causa sequitur. *Et consuluit Dauid Oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, Rex dixit ad eos: Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul & domum eius. Dentur nobis septem viri de filijs eius, vt crucifigemus eos Domino in Gabaa. Et ait Rex, Ego dabo. Et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino. Et repropitiatus est Deus terræ posthac.* Vides quàm grauiter punitus fuerit Saul in suis posteris, eo quod fidem datam violasset.

14 Nec desunt similia exempla. Sedecias Rex fœdus percusserat cum Nabuchodonosore Rege Babylonis. Visum fuit ab eo resilire, & contra datam fidem agere: tùm quod Nabuchodonosor esset gentilis & idololatra; tum quod multis annis populum Iudæorum afflixisset. Quid factum? Propter hanc perfidiam, non modo regni & oculorum amissione, sed etiam miseranda suorum clade & vrbis vastatione punitus est. (2. Paralip. 36.)

15 Simeon, & Leui filij Iacob, cum Sichemitis pacti erant de contrahendis vltro citroque matrimoniis, hac

conditione, vt Sichemitæ omnes circumciderentur. Factum est. Omnes circumcisi sunt. Quid vero illis? Contra pacta conuenta circumcisos occiderunt. quo prætextu? quod stuprum à Sichemitis patratum vlcisci vellent. (Gen. 34.) Sed quia perfidia interceſſit, meritò à parente audierunt; *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum* (Gen. 49.)

16 Hæc ex sacris historiis petita. Exprophanis hoc accipe. Vladislaus Poloniæ & Hungariæ Rex, magnis contra Turcarum Imperatorem Amuratem potitus victoriis, cum è bello in patriam rediret, inducias cum hoste pactus est, & iuramento confirmauit. Non multo post, cùm iterum ad bellum redintegrandum sollicitaretur à nonnullis Principibus Christianis, cœpit perplexus esse, quid potissimum faceret. Hinc incitabat illum gloria recentis victoriæ, & multorum cohortatio; illinc auocabāt inducię cum hoste pactæ. Vicit tandem altera pars. Igitur contra datam fidem, bello Amuratem inuadit. Vtrinque pugnatum acriter. In progressu cum premi se, & constringi videret Amurates, multis suorum amissis, magno clamore in hanc vocem erupit; *Christe, si Deus es, vt Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta iurata bello me inuadunt.* Mira res. Alea prælij mox mutata. Vladislaus in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus, perfidiæ pœnas dedit. Refert Gregorius Scheidius in suis ad Tarnouianam disputationem notis, & alij complures.

17 Ex his concludo; Si gentilibus, idololatris, & Turcis fides seruanda est, cur non etiam hæreticis? Nec obstat, quod hæretici fidem Deo non seruent. Hoc enim non pertinet ad contractus humanos, de quibus hic

agimus; sed diuino iudicio relinquendum est. De quo alio loco disputatur.

II. QVÆSTIO.

An Fides Hæretico seruanda sit, non obstante excommunicatione?

1 OStendi solam hæresim, si nihil aliud obstet, non impedire, quominus seruãda sit fides hæreticis. Nunc quæritur, an excommunicatio non impediat. Catholici, quia docent hæreticos excommunicatos vitandos esse, nec cum illis habendum commercium; putantur etiam docere, non esse illis fidem seruandam. At non ita est. Longè diuersa sunt hæc, vt deinceps patebit. Res autem sic habet.

2 Hæretici duplici titulo vitandi sunt, 1. ratione hæresis. 2. ratione excommunicationis. Ratione hæresis, vitandi sunt iure diuino ac naturali in his tribus casibus. 1. in illicita communicatione in rebus diuinis. 2. in periculo subuersionis. 3. si timeatur scandalum. Hinc sequitur primo, non licere cum iis sumere Synaxin more Caluinistico; sicut non licet cum Ethnicis idola colere. Hæc enim cõmunicatio in rebus diuinis est illicita, quia est contra veram fidem. Secundo sequitur, homines indoctos, simplices, & natura fragiles ac inconstantes, non debere multum agere cum hæreticis, quia facillimè peruertuntur, & in errorem inducũtur. Tertio, neq; doctos & constantes debere cum illis versari, quando probabile est alios inde scandalum passuros. E cõtrario sequitur, extra hos tres casus, licitam esse iure diuino & naturali eorum conuersationem, modo aliàs sit honesta.

3 Ratione excommunicationis vitandi sunt iure humano seu Ecclesiastico, in his tribus casibus. 1. in Sacramentorum communione. 2. in publicis suffragiis & precibus. 3. in communi conuictu & familiaritate. Ita D. Th. & alij Theologi in 4. d. 18. & patet passim ex iure

canonico per multos titulos. Vnde sequitur. 1. vi excommunicationis non licere ab eis baptismum petere, (nisi forte in necessitate) aut matrimonia cum illis contrahere. 2. neq; publicè pro illis orare. 3. nec ciuiles contractus celebrare, prandium sumere, sermones miscere, etiamsi nullum sit periculum aut scandalum.

4 Hoc ius Ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, propter duos honestos fines institutum est. Primo, in commodum & vtilitatem delinquentium; vt quando vident se vitari, confundantur & resipiscant, iuxta illud Apostoli 2. Thessalonicensium 3. 14. *Ne commiscearmini cum illo, vt confundatur.* Vide Innocentium IV. cap. Cum medicinalis, de sentent. excommun. in 6. Secundo, in bonum & cautelam aliorum, ne inficiantur iuxta illud 1. Corinth. 5. 6. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Hinc patet, non solos excommunicatos, sed etiam alios hoc iure obligatos esse; illos quidem, vt in pœnam delicti maneant separati à communione fidelium; hos vero qui sani sunt, ne eorum consortio contagionem trahant.

5 Hoc ipsum ius de vitandis excommunicatis, non tam rigidum est post Concilium Constantiense, quàm antea fuerat. Nam licet omnes excommunicati, vi excommunicationis teneantur abstinere à communione fidelium; tamen è contrario, fideles non tenentur ab illorum consortio se abiungere, nisi vel sint nominatim excommunicati vel notorij Clericorum percussores. Ita in Concilio Constantiensi, in fauorem fidelium, decreuit Martinus V. in quadam constitutione seu Extrauagante, quæ incipit, *Ad euitanda scandala*, vt refert D. Antoninus, 3. p. tit. 25. cap 2 & 3. & consentiunt Dominicus Sotus in 4. d. 32 q. 1. art. 4. Caietanus in summa V. Excommunicatio. Henriquez l. 3. c. 5. Suar. tom. 5. d. 9. sect. 2. n. 5. & alij plures.

6 Hinc sequitur primo, passim in toto Imperio Ger-

maniæ, & plerisque vicinis regnis, licitum esse Catholicis (quantum attinet ad ius Ecclesiasticum commune) conuersari cum hæreticis, quia nullus hoc tempore est, quod sciam, nominatim excommunicatus propter hæresim. An autem aliqui sint notorij Clericorum percussores, vnicuique in sua ciuitate aut habitatione constare potest. Dixi, quantum ad ius Ecclesiasticum, quia iure naturali & diuino, tenemur omnes hæreticos, non quidem ratione excommunicationis, sed ratione hæresis, vitare in tribus casibus suprà explicatis, nempe in illicita communicatione in rebus diuinis, in periculo subuersionis & scandali. Adieci, quantum ad ius Ecclesiasticum commune, quia quibusdam in locis, præsertim in Italia & Hispania, propter priuata iura & prohibitiones, non licet cum hæreticis conseruari.

7 Secundo sequitur, non licere viciſſim excommunicatis, siue Catholici, siue hæretici sint, sponte se ingerere in communionem aliorum: quia limitatio, seu moderatio illa iuris Ecclesiastici non est facta in fauorem excommunicatorum, sed reliquorum fidelium, vt patet ex citata constitutione Martini Papæ. Si tamen à fidelibus innitentur, aut sollicitentur ad sermonē, conuictum, vel contractum, possunt obtemperare in re licita: alioqui nullum esset priuilegium fidelium. Vide Franciscum Suarez disput. 15. sect. 8. n. 7. & alios passim.

8 His positis, examinandum est, an teneamur seruare fidem hæreticis excommunicatis? vel, quod idem est, an sola excommunicatio sufficiens causa sit, propter quam non sit illis seruanda fides? Res facilis est. Nam primo constat ex dictis, si non sint nominatim excommunicati, vel notorij percussores Clericorum, non esse vitandos ratione excommunicationis; ac proinde posse nos cum illis validè pacisci, & contractus celebrare, non minus quàm cum aliis, ideoque fidem seruandam esse.

9 De aliis, qui nominatim excommunicati sunt, distinguendum est. Si enim cum illis contraxisti, antequam excommunicarentur, siquidem contractus antea fuit validus, non efficitur inualidus per solam excommunicationem superuenientem; ac proinde manes obligatus ad seruandam fidem, quam in tali contractu promisisti. Ratio est, quia cum excommunicatio sit iuris humani, non habes maiorem vim, quàm illi concessa est à potestate humana: at nulla est constitutio vel lex humana, quæ tribuat illi vim priuandi aliquem suo iure, quod habet ex legitimo contractu: Haberet autem illam vim, si contractum legitimum rescinderet, & inualidum efficeret. Non ergo illum rescindit, & inualidum efficit. Hinc infero, si hæreticus excommunicatus retinet ius suum, quod accepit in contractu tecum inito; proculdubio, te in scientia manere obligatum ad præstandum id, quod illi iure debetur.

10 Si autem contraxisti cum illis, eo tempore cum iam essent nominatim excommunicati, peccasti quidem contrahendo, quia fecisti contra apertam prohibitionem Ecclesiæ, communicando cum excommunicatis; contractus tamen validus est, si aliunde non sit defectus; ac proinde teneris seruare fidem. Ita colligitur ex cap. *Fœlicis*, §. verum, de pœnis in 6. Et probatur inductione. Nam matrimonium cum excommunicato contractum validum est, cap. *significasti*, de eo qui duxit. Item, valida est professio in Religione ab excommunicato facta, cap. *Cum illorum*, de sententia excommunicationis, vt ibi notat Abbas. Similiter valida est donatio ab excommunicato facta, cap. *Inter dilectos* de donationibus. Idem ergo de aliis contractibus, nisi aliunde quid obstet, censendum est.

11 Sed occurrunt hic duæ obiectiones. Vna est, quod non liceat agere cum eo, qui nominatim excommunicatus est; ac proinde non teneamur seruare illi fidem,

præsertim si non possimus, nisi cum illo agendo. Altera est, quod hæretici per excommunicationem videantur priuari dominio ac iure rerum temporalium, vt colligitur ex cap. *Cum secundum leges*, de hæreticis in 6. vbi bona hæreticorum dicuntur ipso iure confiscata. Si ita est, ergo quicquid illis promittimus, aut quocunque modo cum illis contrahimus, non habent vllum ius petendi aut exigendi; Ergo non tenemur illis quicquam præstare.

12 Quod ad priorem obiectionem attinet, plerique Doctores in eo consentiunt, quod si legitimè contraxeris cum aliquo nominatim excommunicato, tenearis fidem seruare, nec possis tibi retinere, quod illi ex contractu debetur. Nulla enim lege id permissum est. At discrepant in eo, an debeas ipsi, dum manet excommunicatus, fidem & debitum persoluere, an potius expectare, dum soluatur ab excommunicatione? de hac re disputat Franciscus Suarez d. 15. sect. 8. Hæc tamen dissensio parum facit ad nostrum institutum; tum quia satis nobis est ostendere, seruandam esse fidem hæreticis, etiam nominatim excommunicatis, quocunque modo aut tempore id fieri debeat; tum quia in Germania, & vicinis prouinciis, vix vnquam solent esse nominatim excommunicati, ac proinde decisio huius quæstionis parum est nobis vtilis.

13 Altera obiectio est maioris momenti. In ea petitur, an excommunicatio priuet hæreticos omni dominio ac iure temporali? Dixi paulo ante, non priuare: Et ita res habet. Quod obijcitur ex iure canonico, hæreticorum bona ipso iure confiscata esse, verum quidem est, sed non vi excommunicationis. Vt hoc melius intelligatur, repeto quod capite præcedente dictum est, varias pœnas in hæreticos constitutas esse. Prima est excommunicatio. Secunda, priuatio dominij seu iurisdictionis in subditos. Tertia, priuatio dominij in bona tem-

poralia. quarta, exilium. quinta, mors. Et hæ pœnæ per distinctas leges constitutæ sunt. Hinc sequitur, hæreticos ex eo præcisè quod excommunicati sunt, non priuari dominio & iurisdictione, cum hæc priuatio sit distincta pœna ab excommunicatione, & per distinctam legem irrogata.

14 Manet tamen difficultas, an vi huius pœnæ possis fidem hæretico promissam non seruare. Hoc enim vrgeri potest ex obiectione posita. Nam si hæreticus caret omni iure & dominio rerum temporalium (ex quocunque capite id fiat) non habebit ius à te quicquam exigendi, ac proinde licet ratione promissi aut pacti aliquid exigat, non teneberis dare. Respondeo. Duo hîc statuenda sunt, quæ rem totam expedient. Vnum est, leges canonicas & ciuiles, quibus hæ pœnæ in hæreticos constitutæ sunt, esse merè pœnales. Alterum, leges pœnales non obligare ad executionem pœnę ante sententiam Iudicis. (D. Thom. in 2. 2. q. 62. art. 3. ad 3.)

15 Hinc sequuntur tria corollaria, de quibus capite præcedente dictum est. 1. Licet hæretici, per leges pœnales, priuentur dominio bonorum temporalium, non tamen tenentur ante sententiam Iudicis, spoliare se illis, aut fisco offerre. 2. Nec etiam tenentur post sententiam, quia executio pœnę non spectat ad ipsos, sed ad ministros Iudicis vel fisci. 3. Quamdiu legitimè executio facta non est, habent ius vtendi & fruendi suis bonis.

16 Ex his facile colligis, si hæretico ex fide promissionis aut pacti aliquid debeas, an tenearis præstare, necne. Ante sententiam Iudicis, & executionem pœnæ, teneris illi præstare: post sententiam, Iudici vel fisco, si fueris requisitus. Id tamen rarò accidit, præsertim in Germania & vicinis prouinciis. Non enim est in vsu, vt bona hæreticorum rapiantur à fisco, nisi aliquid interueniat.

III. QVÆSTIO.

An in contractu Matrimonij seruanda sit fides Hæreticis?

1 MAtrimonium includit duo, nempe contractum ciuilem, & rationem Sacramenti. Vnde est hic peculiaris difficultas propter Sacramentum. Catholici duo docent. Primo, tametsi non facile contrahenda sint matrimonia cum hæreticis; si tamen contrahantur, valida esse. Secundo, in iis seruandam esse fidem coniugalem. Vtrumque explicandum est.

2 Prima Conclusio. Si Catholici contrahant matrimonia cum hæreticis, & nihil aliud obstet quàm hæresis, validus est contractus. Ita Diuus Thomas in 4. distinctione 39. quæstione 1. artic. 1. ad 5. Nauarrus cap. 22. num. 49 Valentia disputatione 10. quæstione 5. part. 3. & alij passim. Ratio est, quia hæresis non numeratur inter impedimenta, quæ dirimunt matrimonium: Ergo non obstat, quominus matrimonium sit validum, si aliunde non sit defectus. Antecedens patet, quia licet inter eiusmodi impedimenta numeretur *cultus disparitas*, hoc tamen intelligitur, de disparitate cultus, quæ est inter fidelem & infidelem non baptizatum; non autem de illa, quæ est inter Catholicum & hæreticam baptizatam, vt est communis Doctorum sententia, & in praxi ita seruatur. Ratio discriminis est, quia per baptismum, qui est quasi ianua reliquorum Sacramentorum, tribuitur ius percipiendi reliqua Sacramenta: Ergo qui baptismum susceperunt, habent hoc ius; alij non habent. Matrimonium autem Christianorum est Sacramentum nouæ legis.

3 Obiici potest canon 72. sextæ Synodi, qui sic habet; *Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Orthodoxam cum viro hæretico copulari; sed si quid eiusmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irri-*

tas

tas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui. Hic plane decernitur, irritum esse matrimonium cum hæreticis contractum. Respondeo. Canones illius Concilij non habent authoritatem, vt ostendit Bellarminus libro secundo de Romano Pontifice, capite vigesimo octauo, & libro primo de Conciliis, capite septimo, & multi alij. Vnde Beda libro de sex ætatibus, in Iustiniano, canones illos vocat, *Synodum erraticam*, & ait à Sergio Pontifice fuisse improbatos.

4 Altera Conclusio. In tali contractu, cum validus & legitimus sit, sine dubio, alter alteri fidem seruare debet in iis, quæ ad honestum vsum matrimonij pertinent. Sit enim hoc fit in omni alio contractu legitimo ac valido, multo magis in matrimoniali, qui omnino indissolubilis est. Hinc illud Matthæi vigesimo nono, versu 5. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et paulo post; *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et Lucæ vigesimo sexto, vigesimo octauo: *Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et primo Corinth. septimo, versu 10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.*

5 Hoc generatim de fide coniugali. Speciatim vero tradunt Theologi tria potissimum ad illam spectare. Primum est, vt neuter viuente altero, cum alia persona copuletur. Nam vinculum matrimonij indissolubile est, nec aliter, quam per mortem alterius dissoluitur. Huc pertinent testimonia citata, & illud Roman. septimo, versu 2. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si*

fuerit cum alio viro. Alterum est, vt alter alteri debitum reddat. 1. Cor. 7. 3. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. similiter autem & vir, sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Tertium est, vt alter cum altero cohabitet, & simul familiam administrent, ita tamen vt mulier subdita sit viro, quia, vt monet Apostolus, 1. Corinth. 11. 3. *Caput mulieris est vir.* Et 1. Timoth. 2. 12. *Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum.*

6 In his tribus consistit fides coniugalis. Et quidem quod ad primum attinet, ita fides seruanda est, vt nunquam liceat viro Catholico, viuente vxore etiam hæretica, aliam ducere. Hoc optimè probant loca Scripturæ allegata. Quod verò attinet ad thorum & cohabitationem, potest aliquando propter legitimas causas fieri diuortium, manente tamen vinculo coniugali, vt definitum est in Conc. Tridentino sess. 24. can. 8. Theologi assignant tres causas. Prima est, si vterque coniunx ex mutuo consensu voueat perpetuam continentiam, & ad religionem transeat. Matth. 19. 24. *Omnis qui reliquerit domum, aut vxorē, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Secunda potest esse crimen alterius coniugis, vt adulterium, de quo Matth. 5. 33. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Vel nimia sæuitia, ex qua periculum vitæ esset; vel instigatio ad peccandum. Matth. 18. 8. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Vel aliquid simile. Tertia causa potest esse lepra, vel quicunque alius morbus horribilis & contagiosus. Vide Bellarminum de Matrimonio, cap. 14. Valentiam de eadem materia, q. 4. p. 2. & alios passim.

7 Hinc infero, si Catholicus accipiat vxorem hæreti-

cam, & illa patiatur virum Catholico ritu viuere, filios educare, familiam administrare, nec vllo flagitio aut morbo impediat vitam coniugalem; debere virum in omnibus illi fidem seruare, non minus, quam si Catholica esse. Contrà vero, si vel adultera sit, vel ad hæresim pelliciat, vel liberos in hæresi instituat; posse à se eam dimittere, manente nihilominus vinculo coniugali. Sed, quid si vir promiserit à principio se fore contentum, vt liberi ab vxore hæretica instruantur? Turpis promissio est, & per se irrita; seruari non debet.

IV. QVÆSTIO.

An in negotio libertatis Religionis seruanda sit hæreticis fides?

1 LIbertas Religionis potest 2. modis venire in pactum. Primo, vt in aliquo Regno, Prouincia, aut ciuitate, concedatur omnibus libertas sentiendi & sequendi quod quisque vult, ita vt cuilibet liberum sit, vel Catholicum esse, vel Lutheranum, vel Caluinistam, vel Anabaptistam. Secundo, vt solis hæreticis permittatur libertas exercendi suam religionẽ inter Catholicos, Nunc quæstio est, an si Princeps, vel Magistratus Catholicus de alterutra libertate paciscatur cum hæreticis, debeat seruare fidem, necne?

2 De hac re ita statuendum est. 1. Libertatem Religionis omnino esse illicitam, & diuino præcepto repugnantem. 2. Reipublicæ esse perniciosam. 3. Non debere præcipi, approbari, aut introduci ab vllo Principe aut Magistratu; sed potius omnibus modis, si commodè fieri potest, impediri & profligari. 4. Si autem commodè impediri non possit, nisi cum maiori damno aut malo Reipub. aliquo tempore tolerari posse. 5. Et si hoc modo toleretur, & in pactum deducatur, fidem seruandam esse. Hæc Catholicorum sententia est, quæ paucis conclusionibus erit explicanda.

3 Prima Conclusio. Libertas fidei ac Religionis planè illicita est, & Christianæ doctrinæ contraria. Hoc patet ex decursu totius noui Testamenti. Sanè, in Euangelio multa sunt, ex quibus constat, Christum vnam fidem mandasse, variam ac multiplicem prohibuisse. Primo, voluit vnam tantum esse Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem, vnum baptismum. Hæc autem sine vnitate fidei consistere non possunt. Secundo, voluit discipulos suos attendere à falsis Prophetis: at in multiplici religione necesse est, alios esse veros, alios falsos Prophetas: Ergo si hi excludendi sunt, fides vna retinenda est; varia explodenda. Tertio, voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint: at perpetua esse non potest, si vna omnium fides non sit; quod ipse testatur Lucæ 11. 17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.*

4 Apostoli disertis verbis id confirmant. Rom. 16. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Galat. 1. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* 1. Cor. 1. 10. *Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* 1. Corint. 14. 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Ephes. 4. *Vnus Dominus, una fides, vnum baptisma.* Hebr. 13. 9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Vides quam serio, quam solicite & grauiter hortetur Apostolus, vt vnitatem fidei retineamus; Quod non faceret, si libertas indulgeri posset.

5 Secunda Conclusio. Hæc ipsa libertas, de qua agimus, Reipub. noxia & periculosa est, non modo quoad salutem animarum, (de qua re dubitari non potest) sed etiam quoad pacem & tranquillitatem politicam, quæ sine vnitate fidei conseruari nequit. Hoc testatur Christus, cum ait: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.*

Hoc testantur omnes authores sacri & prophani, Christiani & Gentiles. Inter cæteros præclarè tractat hoc argumentum Iustus Lipsius in lib. contra Dialogistam de vna Religione. Vide, quæ dicta sunt capite præcedenti, quæst. 6.

6 Tertia Conclusio. Libertas Religionis non debet præcipi, approbari, aut introduci ab vllo Principe aut Magistratu Catholico; sed omnibus modis, quantum commodè fieri potest, impediri & profligari. Primo, quia contraria est diuino præcepto. Secundo, quia turbat pacem & tranquillitatem Reipub. Vtrumque patet ex dictis. Hinc in Ecclesia toties coacta consilia, vt vnitas fidei seruaretur; libertas & varietas impediretur. Hinc optimorum Imperatorum seueriſſimæ illæ leges, L. *Nullus*. C. de summa Trinitate & fide Catholica; *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris clementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis testimonio atque assertione firmatæ obseruantia semper manfura teneat.* Et infrà: *Si quid eruptio factiosa tentauerit, ab ipsis etiam vrbium mœnibus exterminato furore, propelli iubemus, vt cunctis Orthodoxis Episcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur.* Et L. *Cuncti*, C. de hæreticis & Manichæis: *Cuncti hæretici procul dubio nouerint, omnia loca sibi adimenda esse*, &c. Vide plures leges ibidem.

7 Nec dissimilia Imperatorum facta. Constantinus Magnus damnatum Arium vnà cum Eusebio & Theognide in exilium misit, & omnibus exilium minatus est, qui Nicæno Concilio non acquiescerent. Iouinianus

à militibus Imperator postulatus, tum demum oblatum imperium se susceperum affirmabat, vbi omnes qui ipsi atque Imperio Romano militarent, vnius Christianæ fidei professores se esse velle testarentur; ratus nimirum, quod res est, cum diuersa Religione Imperij vires satis firmas esse non posse. Omitto Theodosios, Martianum, Iustinianum, Aurelianum, Gratianum, Iustinum, Carolum Magnum, alios similes, quorum historiæ non sunt. Consulat Baronium, & alios, qui volet.

8 Venio ad Episcopos. Hîc primus occurrit D. Ambrosius, acerrimus vnitatis fidei defensor & antistes. Mandabat illi Imperator Valentinianus, à Iustina matre, fœmina Ariana, persuasus, vt templum permitteret Arianis, asserens, tunc pacem & tranquillitatem fore in Imperio, si illis etiam, qui diuersæ sunt Religionis, certus locus, in quo habeant exercitia, concedatur. Quid porro Ambrosius? Audi quid ipse de se scribat in Epist. 33. ad Marcellinam sororem. *Postridie*, inquit, *quam accepi tuas litteras, quibus significaueras, quod te exagitarent somnia tua; moles inquietudinum grauium cœpit moueri. Nec iam Porciana, hoc est, extramurana basilica petebatur, sed basilica noua, hoc est, intramurana, quæ maior est. Conuenerunt me primò Principes virtutum, viri Comites consistoriani, vt & basilicam traderem, & procurarem ne quid populus turbarum moueret. Respondi, quod erat ordinis, templum Dei tradi à Sacerdote non posse.* Et infra: *Conuenior ipse, à Comitibus & Tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si a me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, me non refragaturum: verum ea, quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta.* Et iterum: *Mandatur denique, Trade basilicam. Respondeo, Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas ause-*

rendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse uniuersa. Respondeo: Nolite grauare, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Nolite extollere: sed si vis diutius imperare, este Deo subditus. Scriptum est, Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinēt, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego vnam basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Et in fine Epistolæ. Denique etiam speciali expressione Galligonus præpositus cubiculi, mandare mihi ausus ist: Me viuo, tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi. Deus permittat tibi, vt impleas quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies, quod spadones. Hactenus ex Ambrosio.

9 Idem animus fuit Ioanni Chrysostomo aduersus Gainam Ducem, hominem Arianum. Rem gestam scribit Theodoretus libro 5. cap. 33. his verbis: *Gainas quidam, Scytha genere, animo barbaro, insolentia planè tyrannica, per id temporis Dux fuit. Quem quidem non solum alij omnes, sed etiam Imperator ipse magnopere extimuit. Iste labe aspersus Ariana, postulabat ab Imperatore vnum ex sacris templis sibi dari: Imperator autem respondit, se de ea re capturum consilium, & vnum ei curaturum promittit. Itaque diuino illo Ioanne accersito, ei postulatum Gainæ exposuit. Commemorat eius potentiam: moliri tyrannidem indicat. Orat, vt templo donato, furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir: Ne, inquit, istud tibi polliceare, neque sanctum dari canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, vt qui Deum verum sanctè & augustè laudibus & hymnis celebrant, expellantur è sacro templo, idemque tribuatur his, qui contra eum loquuntur blasphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas, Imperator, sed me & illum in vnum locum*

conuoca, tuque silentio, vtriusque nostrum, sermoni ausculta. Ego certe me hominis linguam refrænaturum spero, persuasurumque, ne postulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis, Imperator vehementer lætatur, & postridie eius diei vtrumque accersit. Gainas quidem promissum exposcit, magnus autem Ioannes respondet ex aduerso: Non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temere moliri. Cui quidem dicenti, Templum sibi dare oportere, respondet Ioannes, Templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, si libeat, Deo preces fundat. Tum Gainas: At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus eius sectæ vnum sanctum templum habere postulo. Atqui istud quidem non immerito postulo, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Ioannes, tibi propterea tributa, labores tuos longè superant. Nam Dux es, honore consulari donatus. Quin etiam debes tecum considerare, quis fueris olim, & quis iam sis: quæ etiam præterita tua inopia, & in qua iam abundantia vitam degas: quibus quoque vestibus prius indutus esses, quàm Istrum traieceris, & quibus iam opertus. Complectere igitur animo, quam pauci sint labores, & quam ampla præmia: atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerunt, ingratus esse. Hac ratione habita, Ioannes celebris totius orbis terrarum Doctor os obturauit Gainæ, atque adeo obmutescere coëgit. Temporis autem interuallo interiecto, Gainas tyrannidem, quam molitus fuerat, manifestè patefecit: atque collecto in Thracia exercitu, prædas agere & multa loca vastare cæpit. Quibus rebus cognitis, omnes, tum Magistratus, tum subiecti, metu exhorrescere. Atque nemo erat, qui vel cum eo in aeie confligere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tuto posse existimarit. Nam barbarum eius & crudelem animum, quisque suspectum habuit. Tum ab aliis timidis cunctis ad hunc fortissimum virum deuentum est; qui nihil moratus, neque prioris

refragationis, neque natæ ex illa discordiæ memoriam, animo prompto hanc legationem in Thracia obijt. Quare indicatæ Gainæ, recordatus ille, qua libertate quondam pietatem defendisset, occurrit Ioanni, langore sanè itinere, & manum ipsius applicuit oculis suis. Qui etiam liberos suos sanctis illius genibus admouit. Ita solet virtus percellere, & pudore suffundere etiam immitissimos Hæc ex Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo de conſtantia Chryſoſtomi in propugnanda vnitate fidei ac religionis.

9 Quid dicam de Leone Papa, qui epiſtola 76. obiurgat Anatholium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quod Catholicis permixtos ſinat viuere eos, qui aliam, quàm vnam Catholicam profitentur Religionem? quid de D. Auguſtino, qui epiſtola 29. Olympium Comitem exhortatur, vt Imperatoris leges in Donatiſtas hæreticos conſtitutas euulget, non aliam ob cauſam, quàm quod putaret, cum vna fide Catholica, diuerſas ſectas ſociari non poſſe, nec debere? Longum eſſet recenſere alios, qui diſſidia doctrinarum ab Eccleſia Chriſti ſeueriſſimè proſcripſerunt.

10 Quarta Concluſio. Tametſi Princeps aut Magiſtratus Catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem Religionis, vt dictum eſt; ſi tamen id facere non poſſit ſine grauiori incommodo boni publici, poteſt eam tolerare, tanquam minus malum, ad euitandum maius, quod alioqui ſequeretur. Hæc concluſio fundatur in illo communi axiomate, *Ex duobus malis minus eſt eligendum*, ſcilicet, ſi vtrumque euitare non poſſumus. Et ratio eſt, quia in tali caſu, illud minus malum non eligitur præcisè, vt malum quoddam eſt, ſed vt medium vtile ad euitandum maius malum, ac proinde eligitur ſub ratione boni vtilis. Ita ſentiunt grauiſſimi authores, D. Tho. in 2. 2. q. 10. art. 11. vbi ex hoc principio probat, ritus gentilium & hæreticorum tolerari poſſe, ad maius malum euitandum. Caietanus ibidem,

Gregorius de Valentia tomo 3. d. 1. q. 10. p. 7. Molina tract. 2. de iure & iustitia, d. 335. & alij plures. Consentit D. Aug. l. 2. de ordine, c. 4. cùm ait; *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Multa in eandem sententiam scribit D. Greg. apud Gratianum, distinct. 13. cap. Nerui.

11 Quinta Conclusio. Si Princeps vel Magistratus Catholicus, paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate Religionis, quam sine maiori detrimento impedire non potest, sine dubio fides seruanda est. Probatur ex dictis. Nam fides seruari debet in omni pacto licito & honesto: atqui licitum & honestum est, tolerare libertatem religionis, ad maius malum euitandum; & de ea toleranda licitè & honestè paciscì potest Princeps Catholicus: Ergo si paciscitur, fidem seruare debet.

V. QVÆSTIO.

An in bello seruanda sit hæreticis Fides?

1 EX duplici capite fieri potest, vt Catholicus Princeps gerat bellum cum hæreticis. Primo, propter Religionem. Secundò, propter aliam causam ciuilem. Si de Religione agitur; iam dictum est quousque liceat paciscì de libertate Religionis. Si causa ciuilis est, varia spectari possunt in hæreticis, contra quos bellum geritur. 1. quod hæretici sint. 2. quod excommunicati. 3. quod hostes. 4. quod iniustam causam foueant. Et quidem si præcisè spectetur hæresis vel excommunicatio, ex dictis palam est quid fieri debeat. Hęc enim non obstant, quominus fides seruanda sit. De reliquis duobus manet quęstio. Res ita habet.

2 Prima Conclusio. Si in hæreticis, contra quos belluin geritur, nihil aliud spectes, quam quod hostes sint, omnino fides illis seruanda est in promissis & pactis, quæ aliàs licita & honesta sunt. Ita docet D. Thom in 2. 2. q. 40. art. 3. & sumitur ex Diuo August. cap. *Noli*, 23.

q. 1. vbi ait; *Fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.* Et ex Ambrosio 1. Officiorum c. 29. *Quanta autem iustitia sit, ex hoc intelligi potest quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur; quæ etiam hostibus reseruatur: vt si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælij, aduersus iustitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore.* Et paulo post. *Liquet igitur etiam in bello fidem & iustitiam seruari oportere; nec vllum decorum esse posse, si violetur fides.*

3 Et ratio est, quia ad seruandam fidem obligamur ex virtute veritatis, fidelitatis, iustitiæ, & religionis. Hæc autem obligatio non tollitur per hoc præcisè, quod illi, quibus promissio facta est, sint hostes & aduersarij. Imo Christus expresse mandat, vt non solùm amicos, sed etiam inimicos diligamus. Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos.* Sanè si charitas obligat nos, etiam respectu hostium & inimicorum; cur non similiter veritas, fides, iustitia, religio? Et, si culpabile est odisse hostem; cur non etiam fidem illi violare?

4 Est tamen communis exceptio ab hac regula. Non enim tenemur tunc hosti fidem seruare, quando eam ipse nobis non seruat, iuxta regulam iuris in 6. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat.* Eodem spectat illud vulgare; *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Vnde, si induciæ ad tempus essent constitutæ, & hostis eas non seruaret, neque nos seruare eas teneremur; etiamsi iuramento essent confirmatæ. Nam pactum semper habet tacitam illam conditionem, *Modò tu illi stes, Modò tu vicissim omnia serues.*

5 Secunda Conclusio. Si in hæreticis, contra quos bellum geritur, hoc solùm spectes, quod iniustam causam foueant; idem de illis iudicandum est, quod de Ca-

tholicis iniustam causam fouentibus. Nam in hac re par vtrorumque conditio est. Vnde hæ duæ regulæ generales seruari debent. Prior, Tametsi hostis, quisquis ille sit, foueat iniustam causam; Si tamen cum illo liberè pactus es, in re aliàs licita & honesta, ita vt nulla vis, metus, aut dolus ex parte illius interuenerit; teneris illi seruare fidem. Altera, si autem vi, metu, aut dolo ad paciscendum te induxerit, poteris pactum rescindere, iuxta illud: *Quæ vi vel metu fiunt, debent in irritum reuocari.* (cap. 2. De his, quæ vi.)

6 Obijci potest exemplum Iosue, qui quamuis dolo inductus esset ad paciscendum à Gabaonitis, putauit tamen fidem seruandam esse, neque pactum rescindendum. Respondeo. Iosue voluit præstare fidem, non præcisè vi pacti, sed vi iuramenti, quo pactum confirmauerat, vt habetur Iosue 9. 19. *Iurauimus eis in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere.*

VI. QVÆSTIO.

An in saluo conductu seruanda sit hæreticis Fides?

1 PEr saluum conductum intelligitur publica fides & securitas eundi ad certum locum, & redeundi, vt patet ex Bartolo l. *vtimur.* ff. de sepulchro violato, & l. *Relegati*, ff. de pœnis, & l. *Proximum*, ff. ad l. Iuliam Maiestatis.

2 Potest autem duobus modis concedi. Primò, iure communi, vt quando datur alicui securitas contra vim iniustam, salua semper iustitia. Secundò, iure speciali, cum derogatione iuris communis, vt quando datur securitas contra omnem vim, siue iustam, siue iniustam, præsertim in illa causa, de qua agitur.

3 De priori saluo conductu, qui datur iure communi, agit Mynsingerus in obseruationibus iudicij Imperialis Cameræ, obseruatione 82. vbi sic habet; *Quando datur alicui securitas, vel saluus conductus, tunc intelligitur so-*

lum de violentia, quæ de facto contra ius infertur. Et ideo meo tempore, cuidam qui habebat saluum conductum, capto propter delictum & maleficium, & supplicanti in Camera pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum, &c. petiti processus à Dominis Assessoribus sunt denegati. Eodem modo loquitur de saluo conductu Euerardus Speckhan Iuris Professor Helmestadij, centuria 1. quæstionum iuris, quæstione prima, §. decimo octauo, vbi citat plures authores, in eandem sententiam. Et formula, qua vtuntur Saxones ex Carolina constitutione, est eiusmodi: *Damus tibi fidem publicam causam dicendi in iudicio, contrà vim, non tamen contra iuris executionem.* Ita refert Petrus Bremus in libro de securitatis promissionibus & fide publica, & Ioannes Molanus libro secundo, de fide hæreticis seruanda, capite tertio. Eandem formulam secuti sunt Patres Concilij Constantiensis, sessione sexta. *Ad quod à violentia, iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus.*

4 De posteriori saluo conductu, qui datur cum derogatione iuris communis, agunt Patres Concilij Tridentini post sess. 15. vbi dicunt, se omnibus Germanis, Catholicis & hæreticis, *largiri publicam fidem & plenissimam securitatem veniendi Tridentum, ibidem manendi, standi, morandi, proponendi, disputandi, &c. Illo etiam addito, vt Religionis prætextu, aut delictorum circa ea commissorum aut committendorum minimè puniantur.* Et in hac parte dicunt, se derogare Concilio Constantiensi, quòd tam plenam securitatem non concesserat, sed cum illa communi clausula: *Iustitia semper salua.*

5 His positis, quæstio est, an quando Catholicus Princeps, siue sæcularis sit, siue Ecclesiasticus, concedit hæreticis saluum conductum liberè veniendi & redeundi (siue id faciat iure communi: siue speciali) debeat illis seruare fidem, nec? Affirmant vno consensu omnes Ca-

tholici. Et ratio sumi potest ex dictis. Nam si neque hæresis, neque excommunicatio, vel publica inimicitia obstare potest, quo minus fides seruari debeat in pactis licitis & honestis: non video cur in saluo conductu seruanda non sit. Sanè Carolus Quintus Imperator, cùm Martino Luthero VVormatiam eunti saluum conductum promisisset, nihil contra datam fidem agi passus est. Quinimo rogatus à quodam Principe, cur homini hæretico fidem non violaret; respondisse fertur: *Fidem rerum promissarum; etiamsi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.* Præclara vox & digna Catholico Imperatore. Vide Molanum lib. 1. cap. 2.

6 Hîc valde miror Aduersarios, qui etsi hæc audiunt à nobis, passim tamen clamant nos contrarium docere. Obiiciunt exemplum Ioannis Hussij & Hieronymi Pragensis, quos aiunt, accepto saluo conductu, nihilominus contra datam fidem combustos esse in Concilio Constantiensi. Addunt, Patres illius Concilij disertis verbis definiuisse, non esse hæreticis seruandam fidem. Denique hanc causam obtendunt, cur ipsi ad Concilium Tridentinum, etsi oblato seruo conductu, venire recusarint. Quid agamus cum his hominibus? Similes sunt, vt dixi, Pharisæis, qui tametsi ex Christo audiuissent; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo;* tamen ausi sunt illi obiicere palam coram Pilato; *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari.* Planè sic agunt nobiscum aduersarij. Priuatim, publicè, verbo, calamo docemus & protestamur, fidem seruandam esse hæreticis: & tamen in contrariam sententiam, vel inuitos trahere nos volunt.

7 Sed videamus quid adferant. Aiunt Ioanni Hussio fidem violatam esse. Nego. A quo violata est? An à Patribus Concilij Constantiensis? At Patres fidem illi non dederunt. An ab Imperatore Sigismundo? Is dedit quidem, sed non violauit. Imo, nec Patres. Hoc variis argu-

mentis probarunt alij. Ego hoc duplici contentus sum. *Alterum est*, Qui dat saluum conductum iure communi, nihil aliud dat, quam securitatem contra violentiam iniustam, salua semper iustitia, & iuris executione, vt suprà ex Iureconsultorum sententia probatum est. Atqui Imperator dedit Ioanni Hussio saluum conductum iure communi: Ergo nihil aliud dedit, quàm securitatem contra violentiam iniustam: Hanc autem præstitit, quia nihil iniustè passus est Ioannes Hussius. Ergo fidem illi seruauit. Imò, combustus est, inquiunt. Fateor combustum esse, sed non iniustè. Primò, quia Imperator, cùm daret illi saluum conductum, sub pœna capitis prohibuit illi fugam: At Hussius contra hanc prohibitionem fuga elapsus est: Iustè igitur puniri potuit. Secundò, quia retractus à fuga, noluit hæresin abiurare. At leges Imperatoriæ pœnam capitis decernunt in hæreticos pertinaces, L. *Quicumque*, cap. de hæreticis. Nulla ergo iniustitia intercessit.

8 Quid hîc dicent aduersarij pro suo Hussio? Sanè, si illum tueri velint, alterutrum negent necesse est, aut clam fugisse illum, aut in hæresi fuisse pertinacem. At neutrum negare possunt. De fuga testantur omnes probi authores, Nauclerus generat. 48. Cochlęus libro 2. historiæ Hussitarum, & alij. Elegantissimè Campianus in rationibus, quas obtulit Academicis Angliæ, rat. 4. vbi sic habet: *Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga, quam ei Sigism. Imper. periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionib. quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eneruasset.* Et quamuis VVitakerus Caluinista, qui aduersus Campianum scripsit, dicat illum mentiri de fuga Hussij (non enim aliud occurrebat, quod diceret) alij tamen Caluinistæ ingenuè fatentur, quod res est; præsertim Laurentius Hum-

fredus, Theologus Oxonienſis, qui ingenti volumine eundem Campianum aggreſſus eſt. Is, inquam fatetur, Huſſium Conſtantia clam profugiſſe. Sed factum excuſat dupliciter. Primò, videbat, inquit, Huſſius ſe obſeruari à Patribus, & ſuſpectum haberi; ideoque fugam arripuit. Secundo, fugerunt eodem tempore tres Pontifices, Ioannes, Benedictus, & Eugenius. Non ergo culpandus Huſſius. Verum, neutra excuſatio ſufficit. Non prior, quia Patres meritò obſeruabant illum, quem ſciebant palam profeſſum eſſe hæreſim in Bohemia, ne forte & Conſtantiæ virus ſuum proſemnaret. An ideo contra datam fidem fugiendum erat? Nec poſterior, quia culpa vnius non poteſt patrocinari culpæ alterius. Fugerint ſanè Pontifices (de quo iam non diſputo) an propterea licuit Huſſio contra conuenta pacta impunè fugere? Niſi fortè, quia Iudas proditor fuit, aliis impunè liceat proditores eſſe. Non ſic, mi homo.

9 Sat de fuga. Iam quod hæreticus fuerit Huſſius, adueſarij negare non poſſunt. Tenuit ille, & pertinaciter defendit doctrinam VVicleſi, cuius inter cætera ſunt hæc capita. 1. Deus debet obedire diabolo. 2. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in mortali peccato, non ordinat, non conficit, nec baptizat, nec conſecrat. 3. Nullus eſt Dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. 4. Omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt. 5. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & ciuilia commercia. 6. Contra ſacram ſcripturam eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. 7. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt poſſeſſiones, & intrarunt religiones. 8. Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo. Ita refert Concilium Conſtantienſe, ſeſſ. 8. Cochlæus l. 1. hiſtoriæ Huſſitarum, Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & alij. Hæc autem dogmata planè hæreti-

ca

ta sunt, quod etiam Lutherani & Caluiniſtæ fateri debent. Ergo Huſſius fuit hæreticus, & quidem pertinax, qui hæc eiurare noluit.

10 Hactenus de priori argumento, ex quo constat, non Imperatorem Huſſio, sed Huſſium Imperatori fidem violasse. Alterum est. Si Huſſio fides violata esset, procul dubio, vel ipse aliquando, vel Hieronymus Pragensis, vel certè Bohemi de hac re fuissent questi: At nemo questus est vnquam. quis ergo credat fidem illi esse violatam? Sanè Huſſius cum ad mortem duceretur, multa liberrimè dixit in Ecclesiam Romanam, & ad Christum supremum Iudicem appellauit, vt acta eius, quæ à diuersis scripta sunt, testantur: at de fide violata, ne verbum quidem feciſſe dicitur. Similiter Hieronymus Pragensis, qui aliquot diebus post Huſſium exustus est, publicè quidem testabatur, Huſſium fuisse virum bonum, iustum, sanctum, & tali morte indignum; sed contra datam fidem aliquid passum esse, nunquam meminit. Hac de re legi potest epistola Poggij, quam scripsit de morte Hieronymi, cuius ipse spectator fuit. Qui sanè, vt libenter inuehitur in Clerum, non dissimulasset, si hanc notam potuisset Catholicis appingere. Denique Bohemi nobiles, qui impensè fauebant Huſſio, & eius dogmata tuebantur; cùm postea ad Concilium Basiliense, oblato saluo conductu, vocati essent; missa insigni legatione comparuerunt. quis credat hoc facturos fuisse, si de fide Huſſio violata, Catholicos suspectos habuissent?

11 Possem idem confirmare ex Luthero, qui particularem articulum scripsit de Ioanne Huſſio, à Leone X. inter cæteros damnatum, in quo tametsi mirificè laudat Huſſium à sanctitate & doctrina, nihil tamen attingit de saluo conductu violato. Ex his omnibus ita concludo; si vel Imperator Catholicus, vel Patres Concilij Constantiensis contra fidem publicam egissent, alicui

saltem ex aduersariis hoc probrum illis obiecisset: Aequi, nec Hussius, nec Hieronymus Pragensis, nec Bohemi Nobiles, nec Lutherus, qui omnes fuerunt hostes Catholicorum, quicquam illis obiecit: Ergo euidens signum est, nihil tale accidisse.

12 De Hussio satis. Venio ad Hieronymum Pragensem, de quo hæc certa sunt. 1. non accepisse saluum conductum ab Imperatore Sigismundo. Ita Cochlæus lib. 2. hist. Hussitarum, Molanus lib. 3. c. 2. & alij. 2. citatum tamen esse à Concilio Constantiensi, oblato saluo conductu, cum hac expressa clausula, *salua semper iustitia*, vt habetur in eodem Concilio, sess. 6. & passim apud alios authores. 3. citatum comparuisse, disputasse, conuictum esse, hæresim abiurasse. Patet ex eodem Concilio, sess. 19. vbi ponitur formula abiurationis. 4. in hæresim relapsum esse, fugisse, reductum esse, exustum esse, ibidem, sess. 21. & apud Cochlæum, Molanum, Campianum, & alios. Hinc concludo, non esse illi fidem violatam. Primò, quia datus est illi saluus conductus cum hac clausula; *Salua semper iustitia*. Secundò, quia per fugam expirauit saluus conductus. Tertiò, quia in hæresim, quam abiurauerat, relapsus est.

13 Superest postremum caput obiectionis, quo aduersarij contendunt, Patres Concilij Constantiensis definiuisse, *Non esse fidem seruandam hæreticis*. Sed apertum mendacium est. Verba Concilij, sess. 19. sunt hæc; *Præsens sancta Synodus ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes, hæreticis vel de hæresi diffamatis, concesso, nullum fidei Catholicæ vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere, declarat, quominus, dicto saluo conductu non obstante, liceat Iudici competenti & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias cõtra eos debite procedere, eosdémque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint,*

etiamsi de saluo conductu constiſſet, ad locum venerint iudicij, alias non venturi: nec ſic promittentem, cùm fecerit, quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum. Hæc ſunt verba Concilij Conſtantienſis, quibus aduerſarij clamant definitum eſſe, Non eſſe hæreticis ſeruandam fidem. Sed quis non videat eos vel errare, vel calumniari? Duo his verbis decernunt Patres Concilij. Alterum eſt, quod ſæcularis poteſtas nullo modo poſſit impedire Eccleſiaſticam poteſtatem à ſuo legitimo exercitio; ac proinde, ſi quis ſæcularis princeps det alicui hæretico ſaluum conductum, hoc non debeat obſtare, quo minùs liceat Eccleſiaſtico Iudici ſuum officium exercere, id eſt, examinare reum, & ſecundum allegata & probata procedere. Quid culpæ in hoc decreto? Nihil vtique. Nam & iuri & rationi maximè conſentaneum eſt; quod ſic oſtendo. Quando ſunt duo Principes, qui habent diſtincta iudicia & tribunalia, quorum alterum altero maius ac ſuperius eſt; tunc inferior Princeps non poteſt impedire ſuperiorem ab executione ſuæ iuriſdictionis; ac proinde ſecuritas, quam promittit alicui, non extendit ſe ad tribunal ſuperioris Principis, quia *ſuperior legibus ac pactis inferioris non ligatur*, cap. *Cùm inferior*, extra, de maiorit. & obedientia. Atqui Princeps ſæcularis & princeps Eccleſiaſticus habent diſtincta tribunalia, & Eccleſiaſticum tribunal eſt ſuperius, cap. *Solitæ*, titulo citato: Ergo princeps ſæcularis, quando dat alicui ſubdito ſaluum conductum, non poteſt illum extendere ad tribunal ſuperius, ſine ipſius conſenſu, nec per datam à ſe ſecuritatem, impedire iuriſdictionem ſuperioris principis. Quid certius? Hoc ipſum diſertè docent Iureconſulti. Euerardus, quem ſuprà citaui §. 3. de eadem re ſic habet; *Iudex ſuperior, talem fidentiam à Iudice inferiore factam, ratam habere non cogitur: tum quod Reipublicæ intereſt, delicta puniri, tum etiam, quod ſuperior legibus aut pactis inferioris non ligetur*, &c.

14 Alterum est; quòd sæcularis princeps, qui promittit alicui securitatem, cùm fecerit quod in ipso est, non maneat in aliquo obligatus. Et quis hîc dubitet? Sanè is qui promittit securitatem, non censetur maiorem promittere, quàm præstare possit: Si ergo facit quod in se est, non peccat contra fidem promissionis. Atque hæc sunt duo decreta Concilij Constantiensis, quibus non negat fidem hæreticis seruandam esse, vt malitiosè obiiciunt aduersarij; sed instruit principes sæculares, quid in saluis conductibus seruare debeant, & quousque extendat se illorum potestas & iurisdictio in præstanda & promittenda securitate.

CAPVT XVII.

De Spe, & vitijs illi oppositis.

SPes Christiana, de qua disputamus, sumitur quatuor modis. Primò obiectiuè, pro re, quam speramus, vt Rom. 8. 24. *Spes, quæ videtur, non est Spes.* Secundò, obiectiuè pro eo, in cuius auxilio & potestate speramus, vt Psal. 21. 10. *Tu es Spes mea ab vberibus matris meæ.* Tertiò formaliter, pro actu sperandi, vt Rom. 8. 24. *Spe salui facti sumus.* Quartò formaliter, pro habitu spei, vt 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas.* De his omnibus significationibus agendum est in progressu. Et quæritur primò, quodnam sit primarium seu principale obiectum virtutis spei. 2. quod sit secundarium. 3. an aliquis possit sperare in homine: an verò in solo Deo sperandum sit. 4. qui sint actus virtutis spei. 5. qualis sit habitus spei. 6. in quibus hominibus sit spes, id est, an in omnibus viatoribus? an in damnatis? an in beatis? 7. an spes sit necessaria ad salutem. 8. quid sit desperatio. 9. quàm graue peccatum sit desperatio. 10. an desperatio semper, & in omni casu sit peccatum. 11. an per actum desperationis corrumpatur habitus spei. 12. quid sit præsumptio.

I. QVÆSTIO.

Quod sit primarium obiectum Spei?

1 COnstat principale obiectum spei esse æternam beatitudinem, quam alij vitam æternam, alij gloriam Filiorum Dei, alij aliter appellant. Nam illa est, quam præcipuè speramus ac desideramus in hac vita, iuxta illud, Matth. 6. 33. *Primum quærite regnum Dei.* Cùm autem duplex sit æterna beatitudo: altera obiectiua, quæ est ipse Deus, cuius possessione beati efficimur; altera formalis, quæ est visio Dei intuitiua, qua ipsum possidemus, quæstio est inter Theologos, vtra illarum propriè sit obiectum spei, id est, an speremus Deum ipsum immediatè, an visionem Dei? Durandus in 3. d. 26. q. 2. docet beatitudinẽ formalem esse obiectum spei, ac proinde spem non attingere Deum immediatè, sed visionem Dei. Alii contrà sentiunt, beatitudinem obiectiuam esse proximum & immediatum obiectum spei, & visionem Dei esse tantùm conditionem, quæ repræsentat illud obiectum. Ita Paludanus, Gregorius, Maior, & alii apud Vasquez in 1. 2. disp. 15. cap. 2. & 3. Vtraque sententia probabilis est; sed tertia, quæ vtramque conciliat, probabilior, vt videbimus.

2 Prima Conclusio. Probabile est, spem proximè & immediatè versari circa visionem Dei, non autem circa ipsum Deum, nisi remotè. Probatur 1. quia quidquid speramus per virtutem spei, hoc amamus amore concupiscentiæ, vt patebit ex sequenti capite; At Deum non amamus amore concupiscentiæ, sed visionem Dei. Minor patet, quia quod amamus amore concupiscentiæ, hoc amamus propter nos: At Deũ non amamus propter nos, quia hoc est contra ordinem charitatis, qui præscribit vt Deus ametur propter seipsum. Et ratio est, quia finis non amatur propter media, sed potius media propter finem. Deus autem est finis vltimus, ad quem omnia debent referri.

3 Secundò, quia obiectum quod speramus, est aliquod bonum futurum & arduum, vt docet D. Thomas in 1. 2. quæst. 40. art. 1. At Deus non est bonum futurum, sed visio Dei; Neque Deus in se est aliquid arduum & difficile, sed eius consecutio: Ergo Deum non speramus, sed visionem Dei.

4 Tertiò, idem est obiectum spei & desperationis, quia contraria versantur circa idem; sed desperatio proximè versatur circa visionem Dei, & non circa Deum ipsum, quia nemo desperat de Deo, sed de consecutione Dei; Ergo idem est de spe. Simile argumentum fieri potest de timore. Nam sicut se habet timor ad malum, ita spes & desideriũ ad bonũ: At timor non est proximè de Deo secundũ se, cùm Deus secundũ se nõ sit malus; sed de pœna à Deo intelligenda, quam timemus: Ergo etiã spes & desiderium non est proximè de Deo, sed de visione Dei.

5 Secunda Conclusio. Est etiam probabile, spem proximè & immediatè versari circa ipsum Deum, tanquam circa obiectum totale; & visionem Dei esse tantùm conditionem, quæ obiectum illud repræsentat. Probatur 1. quia aliàs sequeretur, virtutem spei non esse Theologicam, quia non attingeret Deum immediatè, sed tantùm mediante actu creato; quo pacto etiam religio attingit.

6 Secundò, quia proximè speramus mercedem, quæ nobis dabitur, iuxta illud Gen. 15. 1. *Ego merces tua magna nimis.* Hinc Hebr. 6. 19 spes dicitur introire *vsque ad interiora velaminis*, id est, ad ipsum Deum. Et Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 30. ait: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit: & qui seipsum, quo nihil potest esse maius, promisit.*

7 Tertiò, idem est obiectum spei, & delectationis, quæ succedit spei, re iam obtenta: sed obiectum delectationis est Deus ipse, non autem visio Dei. Nam voluntas non delectatur, nisi de obiecto cognito. Deus

autem est obiectum cognitum per visionem: ipsa verò visio non est cognita per aliam visionem, tamen si cognosci possit per cognitionem reflexam, quæ tamen ad beatitudinem necessaria non est.

8 Tertia Conclusio. Probabilius est, spem versari circa Deum & visionem Dei, tanquam circa duas partes vnius integri obiecti, quæ constituunt vnum totalem finem vltimum, in quem immediatè fertur spes & desiderium nostrum. Ita Diuus Thomas in 1. 2. quæst. 11. art. 3. ad 3. vbi expressè dicit, rem desideratam, & fruitionem illius & possessionem nō esse duos fines, sed vnum. Et ratio est, quia nemo sperat aut desiderat vel rem ipsam secundum se, vel possessionem secundum se, sed vtrumque simul. Desiderat enim rem possidere; vt patet in auaro, respectu pecuniæ; & in ægroto, respectu sanitatis. Idem est de nobis, respectu Dei. Non enim desideramus Deum secundum se præcisè, sed conspectum & fruitionem Dei. Ratio à priori est, quia res non desideratur à nobis, nisi quatenus est nobis bona & conueniens: at non est nobis bona, nisi quatenus fit nostra per possessionem & vsum.

9 Quæres, Cùm obiectum spei includat duas partes, vrdictum est, vtra illarum partium sit principalior in ratione obiecti? Respondeo. Res desiderata est principalior, quàm possessio. Ratio est, quia spes attingit suum obiectum, quatenus est bonum: Ergo illa est principalior pars obiecti, quæ est per se bona; & illa minus principalis, quæ participat bonitatem ab altera. At res desiderata, nempe Deus, est per se bona, & possessio illius participat bonitatem à re possessa: Ergo res desiderata est principalior in ratione obiecti.

10 Dices: Aliud est, rem in se esse bonam, aliud esse bonam desideranti aut habenti. Deus in se quidem bonus est, sed non est nobis bonus, nisi per possessionem seu fruitionem: Ergo possessio est principalior pars ob-

iecti. Respondeo: Non sequitur, quia licet Deus non sit nobis bonus, nisi per possessionem, tamen bonitas illius immediatè nos mouet ad actum amoris, spei ac desiderii. Immediatè, inquam, in ratione boni. Et hoc sensu, Deus est principalior pars obiecti.

11 Ad argumenta primæ conclusionis sic respondeo. Ad 1. amor concupiscentiæ non consistit in eo, quòd amemus Deum propter nos, tanquam propter finem, quia ille amor esset peruersus & inordinatus; sed quod amemus Deum nobis, id est, in nostrum commodum & vtilitatem, quod rectè fieri potest. Vide infrà quæst. 4. §. 4.

12 Ad 2. verum est obiectum spei esse bonum futurum & arduum. Sed tamen per bonum futurum non necessario intelligimus futurum quoad existentiam ipsius boni, sed quoad consecutionem & possessionem. Nam actus spei potest versari circa bonum iam existens, vt circa pecuniam vel agrum; non tamen circa bonum iam obtentum & possessum, sed obtinendum & possidendum. Hoc ergo modo speramus Deum, non simpliciter, quatenus existens est, sed quatenus per intuitiuam visionem possidendus. Et hac ratione potest etiam vocari arduus, quia solis naturæ nostræ viribus obtineri & possideri non potest.

13 Ad 3. Idem est obiectum spei & desperationis, nempe Deus possidendus, sed non eodem modo. Nam actus spei fertur in Deum possidendum per modum prosecutionis, tanquam in obiectum, quod indicatur possibile obtineri. Actus autem desperationis est potius fuga quædam ab obiecto prosequendo, quia iudicatur impossibile obtineri. De timore est alia ratio, quã de spe, respectu Dei. Nam Deus immediatè potest esse bonum nostrum, quatenus à nobis possidetur; & ideò possumus immediatè illum sperare tanquam possidendum. At non potest immediatè esse malum nostrum, cùm

in Deo nulla sit malitia; sed pœna, quæ à Deo infligitur, est immediatè nostrum malum; ac proinde non timemus Deum immediatè, per modum obiecti, sed pœnam à Deo infligendam. Dixi, *per modum obiecti*, quia possumus Deum immediatè timere per modum infligentis pœnam. Nam sicut ipse confert nobis bonum, quod speramus; ita infligit malum, quod timemus. Et hoc sensu potest immediatè sperari & timeri: Vel potius, possumus ab illo immediatè sperare bonum, & timere malum. Quod dictum est de spe & timore, potest etiam dici de delectatione & tristitia. Nam Deus, cum sit bonus, potest esse immediatum obiectum delectationis: Et cum non sit malus, non potest esse immediatum obiectum tristitiæ.

14 Ad argumenta secundæ conclusionis. Ad 1. Virtus spei est Theologica, quia immediatè versatur circa Deū, tametsi simul immediatè versetur etiam circa visionem Dei. Nam ex Deo & visione constituitur integrum obiectum, quod immediatè per actum spei attingitur. De virtute religionis est alia ratio; quia ex cultu, qui Deo exhibetur, & ex ipso Deo, non constituitur adæquatum obiectum religionis; sed religio immediatè versatur circa solum cultum, & nonnisi remotè circa Deum.

15 Ad 2. Deus visus & possessus est merces nostra. Non enim est merces nostra, nisi quatenus est bonum nostrum; nec est bonum nostrum, nisi quatenus à nobis possidetur, siue in re, siue in spe.

16 Ad 3. concedo delectationem in patria non esse nisi de obiecto cognito. Addo tamen non solum Deum, sed etiam ipsam visionem esse cognitam. Nam sicut in via cognoscitur obscurè per notitiam fidei, qua eam tanquam futuram apprehendimus; sic in patria clarè cognoscitur, vel per seipsam, quatenus habet rationem reflexæ cognitionis, vel certè per aliam notitiam distinctam. Ita Vasquez in 1.2. disp. 15. cap. 7. Hinc sequitur,

visionem non solum esse obiectum delectationis, quatenus scilicet ex Deo & visione conflatur integrum obiectum, quo tanquam bono nostro præsente delectamur; sed etiam conditionem, sine qua voluntas non delectaretur, quia non potest delectari de Deo, nisi cognito. Est autem cognitus per visionem.

II. QVÆSTIO.

Quod sit secundarium obiectum Spei?

1 SEnsus est, an præter beatitudinem æternam, quæ est primarium obiectum, possimus etiam alia bona sperare per virtutem spei? Sunt autem triplicia bona, de quibus potest esse quæstio. 1. Dona & auxilia gratiæ, quæ requiruntur ad beatitudinem consequendam. 2. Resurrectio & gloria corporis. 3. Beatitudo proximorum. De his ordine dicam.

2 Prima Conclusio. Bona & auxilia gratiæ possunt duobus modis in hac vita desiderari & sperari. Primo, cum respectu ad beatitudinem, quatenus scilicet sunt media quædam vtilia ad illam consequendam. Secundo, sine tali respectu, quatenus scilicet vel per se nobis conueniunt, vt sunt virtutes supernaturales; vel certè conferunt ad huiusmodi virtutes obtinendas & consequendas, vt sunt auxilia gratiæ excitantis. Si priori modo sperentur, tunc actus sperandi pertinet ad virtutem spei, vt docet D. Thomas quæst. 17. art. 2. ad 2. Et ratio est, quia sperare finem, & sperare media ad finem, pertinent ad eandem virtutem: sed sperare beatitudinem æternam, quæ est finis vltimus, pertinet ad virtutem spei, vt patet ex præcedenti quæstione: Ergo etiam sperare dona & auxilia gratiæ, prout sunt media ad beatitudinem, pertinet ad eandem virtutem. Et confirmatur, quia vnusquisque actus pertinet ad illam virtutem, ex cuius motiuo elicitur: at volitio finis & volitio mediorum eliciũtur ex eodem motiuo, nempe ex bonitate

seu honestate finis; quia eadem bonitas finis, quæ mouet voluntatem ad appetendum finem, mouet etiam ad appetenda media: Et hoc sensu dicimus, media appeti propter finem, & finem propter se; Ergo, &c.

3 Si autem posteriori modo sperentur, id est, sine respectu ad beatitudinem, tunc actus sperandi pertinet ad eam virtutem, ex cuius motiuo sperantur. Vnde si quis speret virtutes Theologicas propter propriam ipsarum honestatem, seu ex proprio ipsarum motiuo, actus sperandi pertinet ad easdem virtutes; vt actus sperandi virtutem fidei, ad eandem virtutem fidei; actus sperandi virtutem spei, ad eandem virtutem spei, actus sperandi virtutem charitatis, ad eandem virtutem charitatis. Similiter, si quis speret auxilia gratiæ excitantis, tanquam media ad obtinendas aut conseruandas huiusmodi virtutes, actus sperandi pertinebit ad easdem virtutes, quia ex earum motiuo elicietur.

4 Secunda Conclusio. Resurrectio corporis potest etiam duobus modis spectari. Primo, respectiuè, quatenus est medium necessarium ad beatitudinem, non solius animæ, sed totius hominis. Secundo, absolutè, quatenus adfert vitam humanam, quæ per se quoddam bonum est, sine alio respectu. Similiter gloria corporis dupliciter spectari potest. 1. respectiuè, quatenus est medium ad complendam & perficiendam beatitudinẽ totius hominis. 2. absolutè, quatenus per se quoddam bonum seu ornamentum corporis est. Si ergo spectentur priori modo, sperantur per eandem virtutem, per quam speratur beatitudo. Si posteriori, sperantur per eam virtutem, ex cuius motiuo sperantur. Ratio patet ex dictis.

5 Tertia Conclusio. Certum est, nos posse sperare proximis beatitudinem, & alia bona supernaturalia, licet dubiũ sit, an huiusmodi spes sit actus virtutis Theologicæ, de qua disputamus. Prior pars patet ex Scriptura, 2. Cor. 1. 7. *Vt Spes nostra firma sit pro vobis, scientes,*

quoniam sicut socij passionum estis, ita eritis & consolationis. Et ad Philipp. 1. 6. *Confidens, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.*

6 An verò huiusmodi spes pertineat ad virtutem, de qua agimus, disputant Theologi. Negat Richardus in 3. d. 26. art. 1. q. 2. ad 3. Et probatur 1. ex D. Augustino in Enchiridio cap. 8. vbi inter cætera, ponit hoc discrimen inter fidem & spem, quod fides sit rerum suarum & alienarum; spes verò earum tantum, quæ pertinent ad sperantem. Deinde, ex D. Thoma in 3. parte, quæstione 7. art. 4. ad 3. vbi dicit, spem tantum esse illius boni, *quod expectatur ab ipso sperante habendum.* Et ratio est, quia velle aut desirare alicui alteri bonum, nihil aliud est, quàm illum diligere: Ergo pertinet ad virtutem charitatis, & non spei.

7 Contrarium docet Caietanus in 3. parte, quæst. 7. artic. 4. & alij Thomistæ ex D. Thoma quæst. 17. art. 3. & quæstione 18. articulo 2. ad 3. Ratio est, quia possum alteri desiderare beatitudinem, quatenus per vnionem charitatis mihi coniunctus est: Ergo actus sperandi, saltem hoc modo pertinebit ad virtutem spei. Vbi notandum est, beatitudinem proximorum dupliciter sperari posse. 1. quatenus ipsorum bonum est, sine alio respectu ad ipsum sperantem. 2. cum aliquo respectu ad ipsum sperantem, quasi ipsius quoque bonum sit, ratione vnionis, quæ inter ipsum & proximos est. Si speretur priori modo, est actus charitatis seu beneuolentiæ: si posteriori, est actus virtutis spei. Ita colligitur ex D. Thoma quæst. 17 art. 3. vbi disertè ait, aliquem posse sperare alteri vitam æternam, quatenus est ei vnitus per amorem. Et hoc modo intelligendum est quod Augustinus dixit, spem non esse nisi earum rerum, quæ ad ipsum sperantem pertinent.

8 Dices: Hinc sequitur, quod nec iustus peccatori, nec peccator alicui alteri possit sperare beatitudinem,

quia non sunt uniti per amorem & charitatem.

Respondeo. Sicut peccator sperat sibi beatitudinem, & simul dona gratiæ, tanquam possibilia, quibus assequatur beatitudinem; ita potest alteri sperare beatitudinem, & simul unionem charitatis, tanquam possibilem, qua alterius beatitudo ad ipsum quoque possit pertinere.

III. QVÆSTIO.

An aliquis possit sperare in homine?

1 HActenus egimus de obiecto Spei tam primario, quàm secundario. Vtrumque debet nobis conferri per aliquam causam efficientem, à qua speramus nos posse illud obtinere. Est ergo quæstio, an à solo Deo possimus illud obtinere, & consequenter sperare; an verò etiam ab homine?

2 Prima Conclusio. Non licet sperare beatitudinem vel alia dona supernaturalia, ab vllo homine, tanquam à causa principali, sed à solo Deo. Ita D. Thomas quæstione 17. art. 4. Ratio est, quia homo non potest propriis viribus conferre alteri beatitudinem, & alia dona supernaturalia, sed solus Deus: Ergo non licet ab homine, tanquam à principali causa, sed à solo Deo ea sperare. Huc spectat illud Ieremiæ 17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Quo testimonio frequenter vtitur Augustinus contra Pelagianos, vt probet, hominem sine gratia Dei non posse aliquid præstare, quod conferat ad beatitudinem obtinendam.

3 Secunda Conclusio. Licitum est sperare beatitudinem & alia dona supernaturalia ab homine, tanquam à causa secundaria & instrumétali, per quam Deus operatur. Ita D. Thomas ibidem. Ratio est, quia vnus homo potest alteri à Deo impetrare auxilia gratiæ, quibus beatitudinem obtineat: quo pacto Sancti in cœlo pro nobis intercedunt, & multa impetrant, quæ ad salutem

necessaria sunt. Ergo licitum est, hoc nomine, eos inuocare, cum certa spe obtinendi. Prior conclusio est contra Pelagianos, qui putant, hominem propriis viribus sine gratia Dei posse consequi beatitudinem. Posterior contra Lutheranos, qui negant inuocationem Sanctorum. Contra vtrosque alibi disputandum est.

IV. QVÆSTIO.

Qui sint actus virtutis Spei?

1 VIrtus Spei habet quatuor actus circa Deum, quatenus est summum bonum nostrum, seu æterna beatitudo, nempe amorem concupiscentiæ, desiderium, spem & delectationem. Hi actus breuiter explicandi sunt.

2 Prima Conclusio. Amor concupiscentiæ est primus actus virtutis Spei circa Deum; & differt ab amore beneuolentiæ seu charitatis, quod altero amemus Deum, quatenus est nobis bonus, altero quatenus est in seipso bonus.

3 Dices: Idem actus respectu diuersorũ vocatur amor concupiscentiæ & beneuolentiæ: Ergo non sunt duo distincti actus pertinentes ad distinctas virtutes. Antecedens patet ex 1.p.q.20.& ex 1.2. q.26.art.4. quia in eodem actu amoris est duplex respectus: alter ad personam, cui volumus bonum; alter ad bonum ipsum quod volumus. Ratione prioris, dicitur amor beneuolentiæ: ratione posterioris, amor concupiscentiæ. Respondeo cum distinctione. Nam illi duo amores dupliciter spectari possunt. Primo, respectu diuersarum rerum, quarum altera est persona, quæ amatur; altera est bonum ipsum, quod personæ amatur. Hoc modo duo isti amores sunt vnus actus. Nam eodem actu, quo amo Deum, amo illi aliquod bonum, quod illi conuenit. Vnde idẽ actus respectu Dei, vocatur amor beneuolentiæ; Et respectu boni, quod illi amo, vocatur amor concupiscentiæ.

Secundo, possunt spectari illi amores respectu vnius & eiusdem rei. Et sic semper sunt diuersi actus. Possum enim amare Deum duplici actu: Semel amore beneuolentiæ, quo illum amo, quatenus in se bonus est. Et semel amore concupiscentiæ, quo illum amo, quatenus mihi bonus est.

4 Dices secundo: Hic posterior amor videtur esse inordinatus, quia per illum amamus Deum, non propter seipsum, sed propter nos, quod est contra ordinem charitatis. Respondeo. Aliud est, amare Deum propter nos, tanquam propter finem vltimum, quod nullo modo licet: aliud verò, amare Deum in commodum & vtilitatem nostram, quod licitum & honestum est. Nam per hoc, quod amamus Deum in nostram vtilitatem, non excluditur, quin amemus eum propter seipsum, tanquam propter finem vltimum. Sicut enim possum in meam vtilitatem amare cibum & potum, referendo hoc totum ad Dei gloriam, ita etiam possum amare Deum, seruata proportione.

5 Dices tertio: Hic amor, quo amamus Deum in commodum nostrum, videtur esse amor proprius & naturalis, quia naturale nobis est amare proprium cõmodum: Ergo non pertinet ad virtutem spei supernaturalis.

Respondeo primo: Hic amor habet duplicem respectum: Alterum ad Deum, quatenus est bonum nostrum supernaturale; & hoc modo vocatur amor concupiscentiæ, & est supernaturalis, quia per illum concupiscimus nobis bonum supernaturale: Alterum ad nosipsos, quibus illud bonum supernaturale volumus; & sic vocatur amor beneuolentiæ, & est etiam supernaturalis, quia tametsi dicat respectum ad naturam humanam, non tamen quatenus est capax boni naturalis, sed supernaturalis.

Respondeo 2. Hic amor supernaturalis supponit naturalem amorem sui ipsius, eo modo, quo gratia supponit naturam.

6 Secunda Conclusio. Ex hoc amore concupiscentiæ nascuntur alij tres actus circa idem obiectum, nempe desiderium, spes, & delectatio. Qui quidem inter se sic differunt. Desiderium versatur circa Deum, quatenus est bonum nostrum absens, sine conatu obtinendi. Spes circa idem bonum absens, cum conatu obtinendi. Delectatio circa bonum præsens, & iam obtentum. Amor circa idem, siue præsens, siue absens sit. Abstrahit enim ab vtroque. Vbi tamen notandum est, hunc amorem dupliciter spectari posse. Primo, quatenus includitur vel in spe & desiderio, si bonum sit absens: vel in delectatione, si sit præsens. Secundo, quatenus est simplex amor, nondum contractus ad actum spei, desiderij, aut delectationis: Et sic abstrahit à præsentia & absentia, vt dictum est.

7 Dices 1: Si hi quatuor actus inter se distincti sunt, quomodo pertinent ad eandem virtutem? Respondeo. Hîc duæ regulæ seruandæ sunt. Vna, illi actus, qui oriuntur ex amore alicuius boni, tanquam ex radice, pertinent ad eandem virtutem, à qua amor illius boni elicitur. Altera: Illi actus, qui non oriuntur ex amore vnius boni, pertinent ad diuersas virtutes. Iam subsumo. At spes, delectatio, & desiderium oriuntur ex amore concupiscentiæ, tanquam ex radice, vt docet D. Thomas in 1. parte, quæst. 20. articulo 1. & in 1. 2. quæstione 25. articulo 2. Ergo pertinent ad eandem virtutem, à qua elicitur amor concupiscentiæ. Hic autem amor, cum sit supernaturalis, & immediatè attingat Deum, debet elici ab aliqua virtute Theologica. At non elicitur à fide, vt per se patet: nec à charitate, quia charitas est beneuolentia & amicitia erga Deum, vt docet D. Thomas quæst. 17. art. 8. Amor autem concupiscentiæ non est beneuolentia & amicitia erga Deum. Ergo non pertinet ad virtutem charitatis. Debet ergo pertinere ad virtutem spei.

8 Dices

5 Dices 2. Quare hæc virtus vocatur spes, cùm non solùm producat actum spei, sed etiam actum amoris, desiderij, & delectationis? Respondeo. Aliquando fit vt virtus, quæ habet plures actus, denominetur ab vno actu principaliori, vel difficiliori. Sic virtus Pœnitentiæ sortitur nomen ab actu pœnitendi, cùm tamen præter illum actum, habeat etiam alios actus, nempe propositum satisfaciendi & emendandi. Idem est de virtute spei, quæ ab actu sperandi, tanquam difficiliori, nomen adepta est.

V. QVÆSTIO.

Qualis sit habitus Spei?

1 HAbitus Spei infunditur à Deo, sicut habitus Fidei & Charitatis. Potest autem duplex institui comparatio inter hos habitus. Vna, quis illorum sit primus ordine generationis vel infusionis. Altera, quis sit primus ordine perfectionis.

2 Et quidem de priori ordine sic sentio. Primò, probabile esse omnes istos habitus simul infundi, tum in iustificatione infantium, quando baptizantur: tum etiam in iustificatione adultorum infidelium, quando perfectè ad fidem Christi conuertuntur. Hoc videtur colligi ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 7. Secundò, certum esse, quando huiusmodi habitus semel infusi sunt, posse vnum corrumpi sine alio, & postea iterum recuperari. Nam habitus charitatis potest corrumpi per peccatum mortale, saluo habitu fidei ac spei, & postea per pœnitentiam iterum restaurari. Similiter habitus spei potest corrumpi per desperationem, manente habitu fidei. Hîc tamen, in hac vita, corrumpi non potest, manente habitu spei & charitatis.

3 Circa ordinem perfectionis notandum est, eosdem habitus dupliciter spectari posse. Primò in genere moris, id est, quoad bonitatem & honestatem moralem. Secun-

do, in genere naturæ, id est, quoad physicam entitatem & perfectionem quam habent in esse qualitatis. Hoc posito, videndum est an habitus spei vtroque modo perfectior sit quàm habitus fidei. Nam de habitu charitatis dicemus infrà suo loco.

4 Prima Conclusio. In genere moris perfectior est habitus spei, quàm habitus fidei. Ratio est, quia virtutes quæ sunt in voluntate, perfectiores sunt in genere moris, quàm virtutes quæ sunt in intellectu. Nam illæ per se habent libertatem in suis actibus, ac proinde bonitatem moralem: Hæ non habent per se, sed quatenus subsunt voluntati.

5 Dices: Hæc ratio bene probat, habitum spei perfectiorem esse habitu fidei, qui est in intellectu: non tamen habitu fidei qui est in voluntate. Suprà enim, cap. 10. dictum est, duos esse habitus fidei, alterum in intellectu, cuius actus est credere: alterum in voluntate, cuius actus est, velle credere. Respondeo. Habitus spei est etiam perfectior habitu fidei, qui est in voluntate, quia licet hic habitus per se habeat libertatem in suis actibus, ac proinde bonitatem moralem, tamen illa bonitas est inferioris ordinis quàm sit bonitas spei. Nam habitus fidei existens in voluntate, non est virtus Theologica, sicut est habitus spei, quia non versatur immediate circa Deum, sed circa actum credendi, vt capite citato dictum est.

6 Secunda Conclusio. Probabile est, spem quoque in genere naturæ perfectiorem esse fide. Primo, quia Apostolus, quando enumerat tres virtutes Theologicas, ponit spem medio loco inter fidem & charitatem: Ergo spes est perfectior fide, & imperfectior charitate. Secundo, quia quæ sunt priora ordine generationis, sunt etiam imperfectiora: At fides ordine generationis prior est spe: Ergo & imperfectior. Tertio, formale obiectum spei est perfectius quàm fidei. Nam obiectum fidei in-

cludit vnam tantùm perfectionem diuinam, nempe primam veritatem. Obiectum autem spei includit omnes. Nam idem est obiectum spei & visionis beatificæ. At huius obiectum est Deus, sicut in se est, iuxta illud 1. Ioan. 3. 2. *Videbimus eum sicuti est*, secundùm omnes perfectiones quas in se habet.

7 Tertia Conclusio. Probabilius est, spem esse minus perfectam in genere naturæ quàm fidem. Primo, ex parte subiecti, quia fides est in intellectu, spes in voluntate. At intellectus in genere naturæ perfectior est quàm voluntas. Secundo, ex parte obiecti formalis. Nam obiectum formale fidei est prima veritas, quatenus infinita est, & includit infinitam sapientiam, quæ efficit vt non possit errare, vel falli, & præterea infinitam bonitatem, quæ efficit vt non velit alios fallere, vel in errorem inducere. Obiectum vero spei tametsi includat omnes perfectiones diuinas, non tamen includit illas, quatenus infinitæ sunt, sed quatenus limitatæ, id est, quatenus Deus per illas potest esse nostrum bonum, & à nobis possideri. Non potest autem à nobis possideri, nisi finito modo, nempe per finitam visionem. Ergo ex hac parte obiectum spei imperfectius est quàm fidei.

8 Ad argumenta contraria sic respondeo. Ad 1. Apostolus secutus est ordinem generationis seu naturæ, quem inter se habent fides, spes, & charitas, ratione suorum actuum. Tametsi enim simul tempore infundi possint, vt suprà dictum est, tamen fides, ordine naturæ, prius operatur quàm spes, & spes prius quàm charitas, vt docet D. Thomas, qu. 17. art. 8.

9 Ad 2. Maior, tametsi vt plurimùm vera sit in naturalibus, non tamen in supernaturalibus. Nam sæpe quæ ordine generationis priora sunt, solent esse perfectiora. Quo pacto fides, quæ est virtus Theologica, perfectior est virtute pœnitentiæ, religionis, & aliis virtutibus infusis, quæ non sunt Theologicæ: Et tamen illis omnibus,

ordine generationis, prior est, quia actus illarum supponunt actum fidei, tanquam fundamentum salutis. Eodem modo essentialis beatitudo animæ perfectior est, quàm gloria corporis, & tamen ordine generationis prior est, quia non dependet à resurrectione, à qua dependet gloria corporis.

10 Ad 3. Negatur minor, quia licet in obiecto spei includantur plures perfectiones diuinæ, quàm in obiecto fidei, includuntur tamen cum limitatione, vt explicatum est.

VI. QVÆSTIO.

In quibus hominibus sit Spes?

1 QVæritur 1. An spes sit in omnibus viatoribus. 2. An sit in damnatis. 3. An in beatis.

Prima Conclusio. Habitus spei non est in omnibus viatoribus. Ac primò, non est in illis, in quibus non est fides. Nam fides est fundamentum spei: Ergo sublata fide, non potest spes subsistere. Igitur non est in Gentilibus, Iudæis, Turcis, hæreticis, quia in illis non est fides. Secundò, non est in illis Catholicis, qui desperant de sua salute. Nam sicut fides corrumpitur per infidelitatem, ita spes per desperationem. Vide infrà, qu. 11.

2 Secunda Conclusio. Spes non manet in damnatis. Ita D. Thomas qu. 18. art. 3. Probatur primò, quia in illis non manet fides, quæ est fundamentum spei. Secundò, quia damnati in primo instanti damnationis desperant de beatitudine: Ergo non possunt illam sperare. Antecedens patet, quia sciunt damnationem suam fore perpetuam: Ergo iudicant se semper fore miseros, & nunquam posse esse beatos: Ergo non possunt sperare beatitudinem.

3 Tertia Conclusio. Spes non manet in beatis, quoad principalem suum actum, qui est sperare beatitudinem: manet tamen quoad alios quosdam actus. Prior pars est

D. Thomæ qu. 18. art. 2. Et colligitur ex illo Rom. 8. 24. *Quod videt quis, quid sperat?* Ratio est, quia beati iam habent beatitudinem suam præsentem: Ergo non possunt illam sperare, tanquam futuram. Dices: Possunt sperare permanentiam seu durationem illius. Respondeo. Intrinseca duratio beatitudinis est indiuisibilis & tota simul, ac proinde non est futura, sed præsens, & consequenter non potest sperari ab eo, qui iam habet beatitudinem.

4 Posterior pars est Suarij in 3. par. qu. 7. art. 4. Ratio est, quia sunt alij actus virtutis spei, qui manent in beatis, vt amare Deum amore concupiscentiæ, delectari in Deo viso tanquam in bono possesso, sperare resurrectionem & gloriam corporis.

VII. QVÆSTIO.

An Spes sit necessaria ad salutem?

1 SPes est necessaria ad salutem, necessitate præcepti. Solent autem distingui quatuor præcepta in hac materia. Duo quidem affirmatiua, quorum altero iubemur sperare beatitudinem, & media ad illam necessaria: Altero, timere supplicium, & pœnam æternam. Duo item negatiua, quorum vno prohibemur desperare: altero, præsumere de misericordia Dei. Vide Diuum Thomam quæst. 22.

2 Quæres 1. Quando obliget præceptum sperandi? Respondeo. Cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat pro omni tempore, sed pro aliquo. Et potissimum in triplici casu. Primò, quando quis Deum orat. Tenetur enim orare cum spe impetrandi. Secundò, quando pœnitentiam agit. Nam actus pœnitentiæ non potest esse sine spe veniæ. Tertiò, quando insurgit grauis tentatio de desperatione. Tunc enim tenetur adhibere remedium, vel exercendo actum spei, qui desperationi contrarius est; vel orando Deum, vt auertat periculum

desperationis, cum spe obtinendi.

3 Bannes quæst. 22. art. 1. dub. 2. addit quartum casum, quando scilicet homo primùm venit ad vsum rationis. Tunc enim putat eum debere se conuertere ad Deum, & si id faciat, fore vt à Deo illuminetur: & quando illuminatus est, obligari mox triplici præcepto, fidei, spei, & charitatis. Vnde infert, si homo in tali casu non conuertat se ad Deum, committere tria peccata, vnum contra fidem, alterum contra spem, tertium contra charitatem. Quæ sententia, & dura est, & parum probabilis.

4 Quæres 2. Quando obliget præceptum timoris? Suppono ex Diuo Thoma, quæstione 22. articulo 2. duplicem esse timorem honestum, nempe seruilem, & filialem. Seruilis est, quando quis abstinet à peccato, ex timore pœnæ. Filialis, quando abstinet ex timore offensæ Dei. Prior timor pertinet ad virtutem spei, posterior ad virtutem charitatis. Et de vtroque datur præceptum affirmatiuum. Hoc posito, dicendum est, alterutrum præceptum tunc obligare, quando offert se occasio aut periculum peccandi. Tunc enim tenemur abstinere à peccato, vel ex timore offensæ Dei, vel si is timor haberi non possit, ex timore pœnæ. De timore mundano, quia huius loci non est, non agimus.

VIII QVÆSTIO.

Quid sit Desperatio?

1 IN desperante possunt duo spectari. Primo, iudicium intellectus, quo iudicat se non posse à Deo consequi salutem, vel simpliciter, vel ex suppositione. Secundo, fuga voluntatis, qua refugit salutem, tanquam impossibilem obtineri. Quæstio est, in quo proprie consistat desperatio.

2 Prima Conclusio. Desperatio formaliter consistit in fuga voluntatis, non autem in iudicio intellectus, tametsi illud iudicium supponat. Ita Diuus Thomas quæst. 20.

art. 1. Ratio est, quia desperatio opponitur spei. Sicut ergo spes consistit in prosecutione boni, quatenus iudicatur possibile obtineri: ita desperatio in fuga eiusdem boni, quatenus iudicatur impossibile obtineri.

3 Secunda Conclusio. Posito tali iudicio in intellectu, non necessariò sequitur desperatio in voluntate. Ratio est, quia voluntas non necessitatur à tali iudicio: Ergo manet libera: Ergo non necessariò desperat. Vnde licet aliquis iudicaret se non saluandum à Deo, posset nihilominus dicere, Nolo desperare, sed faciam quod possum.

4 Quæres, An posito tali iudicio, & voluntate non desperandi, posset adhuc sperare? Respondeo negatiue, quia nemo potest sperare, nisi habeat contrarium iudicium, quo iudicet se saluari posse. Hoc autem non potest consistere cum altero iudicio.

Quæres 2. An is peccaret, qui iudicaret se non posse saluari, & tamen non desperaret? Respondeo affirmatiue, quia non solùm falsò iudicat, sed etiam exponit se periculo desperationis, & ideo peccat contra spem.

Quæres 3. An per hoc peccatum amitteretur virtus spei? Respondeo negatiue, quia sicut fides non amittitur propter solum periculum hæresis, cui se aliquis exponit: ita etiam de spe dicendum est.

IX. QVÆSTIO.

Quàm graue peccatum sit Desperatio?

1 PRima Conclusio. Peccatum desperationis ex suo genere grauius est quàm omnia alia peccata, quæ sunt contra virtutes morales. Ita D. Thomas quæst. 20. art. 3. Ratio est, quia sicut virtutes Theologicæ ex suo genere perfectiores sunt virtutibus moralibus: ita etiam peccata opposita virtutibus Theologicis, ex suo genere sunt graviora, quàm sint peccata opposita aliis virtutibus. At desperatio opponitur spei, quæ est virtus Theologica: Ergo ex suo genere grauius est, quàm furtum,

homicidium, adulterium, & similia. Dixi, *ex suo genere*, quia per accidens fieri potest vt sit minus graue, quam reliqua peccata, vt si committatur sine plena deliberatione, aut ex surreptione.

2 Secunda Conclusio. Desperatio est minus peccatum quàm odium Dei, & maius quàm infidelitas. Ratio est, quia sicut virtus spei est imperfectior quàm charitas, & perfectior quàm fides, saltem in genere moris, vt suprà dictum est: ita desperatio, quæ opponitur spei, est minus graue peccatum quàm odium Dei, quod opponitur charitati, & magis graue quàm infidelitas, quæ opponitur fidei. Dices: Diuus Thomas, loco citato, ait infidelitatem esse maius peccatum quàm desperationem. Et ratio est, quia infidelitas immediate attingit Deum in se, quatenus est prima veritas: At desperatio non attingit Deum in se, sed quatenus à nobis potest possideri. Respondeo. Hoc verum est in genere naturæ, non autem in genere moris, vt explicatum est quæst. 5.

3 Tertia Conclusio. Desperatio potest esse sine infidelitate. Ita Diuus Thomas art. 2. Ratio est, quia remoto posteriori non statim remouetur prius: Sed spes est posterior fide, saltem ordine naturæ: Ergo remota spe, potest remanere fides: Ergo potest esse desperatio sine infidelitate.

Dices: Nemo potest desperare, nisi prius iudicet se non posse saluari, vt dictum est: At hoc iudicium, non modo falsum, sed etiam hæreticum est, quia fides docet omnes posse saluari per Dei gratiam: Ergo nemo desperat, nisi habeat iudicium hæreticum: Ergo desperatio non est sine infidelitate. Resp. Si desperatio oriatur ex hoc iudicio, *Deus non remittet mihi peccata, quidquid agam*; tunc iudicium est hæreticum, & simul committuntur duo peccata, nempe hæresis, & desperationis. Si autem oriatur ex hoc iudicio, *Ego de facto non perseuerabo*, vel, *Ego de facto non saluabor*; tunc potest esse desperatio sine infidelitate.

X. QVÆSTIO.

An Desperatio semper, & in omni casu, sit peccatum?

1 RAtio dubitandi est, quia si Deus alicui reuelaret suam reprobationem, is licite posset desperare. Suppono talem casum esse possibilem, quamuis Bonauentura in 1. distinct. 48. circa litteram id neget. Ratio est, quia Deus iam de facto reuelauit Antichristum esse reprobum, & tempore Antichristi posset alicui alteri reuelare illum esse Antichristum: Ergo etiam posset ipsi Antichristo reuelare suam reprobationem, præsertim cùm hic nulla appareat contradictio, aut malitia moralis. Hoc ergo posito, quæstio est an in tali casu liceret desperare?

2 Prima Conclusio. Cui facta esset talis reuelatio, non teneretur sperare beatitudinem. Ratio est, quia in tali casu ablata esset potestas sperandi beatitudinem: Ergo etiam obligatio, quia nemo obligatur ad impossibile. Antecedens patet, quia non potest sperari beatitudo, nisi intellectus iudicet posse beatitudinem obtineri. At hoc iudicium non potest esse in eo, cui facta esset reuelatio reprobationis: Ergo ablata esset illi potestas sperandi beatitudinem.

3 Secunda Conclusio. Posset tamen in tali casu sperare à Deo sufficiens auxilium ad vitanda singula peccata, & ad aliqua bona opera facienda. Ratio est, quia hoc non repugnaret reuelationi factæ. Dices: Si posset sperare auxilium ad omnia peccata vitanda, posset etiam à Deo obtinere illud auxilium, & per consequens posset saluari, quod repugnat reuelationi. Deinde qui non potest sperare finem, non potest etiam sperare media: sed is cui facta esset talis reuelatio, non posset sperare finem, iuxta præcedentem conclusionem: Ergo neque auxilia gratiæ, quæ sunt media ad finem. Respondeo. Non posset sperare media ad consequendam beatitudinem, vt bene

obiicitur, posset tamen sperare media ad cauenda noua peccata.

4 Pro quo notandum est, reuelationem reprobationis posse tribus modis concipi. Primo, vt alicui reueletur se reprobatum esse ex sola Dei voluntate, nullo habito respectu malorum operum. Hoc modo, nec fit, nec forte fieri potest reprobatio: quia licet non repugnet ex parte omnipotentiæ Dei, videtur tamen repugnare ex parte infinitæ ipsius bonitatis. Secundo, vt alicui reueletur se reprobatum esse, propter peccata præterita quæ Deus nec remisit, nec statuit remittere. Hoc modo posset fieri reprobatio, & eius reuelatio: Et tunc certum est talem hominem non posse sperare beatitudinem, nec media ad beatitudinem, nec remissionem peccatorum, posse tamen sperare auxilia gratiæ ad cauenda noua peccata. Et hoc sensu procedunt nostræ conclusiones. Tertio, vt alicui reueletur se reprobatum esse propter peccata futura quæ libere facturus est. Et tunc potest esse dubium, an talis homo posset sperare beatitudinem, & media ad illam necessaria. Puto posse, quia teneretur vitare peccata futura, quantum in se esset: Ergo posset petere & sperare media ad non peccandum: Ergo etiam posset sperare se non damnandum, quia non damnaretur, nisi peccaret: Ergo posset sperare se saluandum.

5 Tertia Conclusio. Is, cui facta esset reuelatio suæ reprobationis secundo modo iam explicato, posset desperare de misericordia Dei: non autem is, cui facta esset tertio modo. Prior pars probatur, quia si Deus reuelasset ipsi, quod absolute vellet illum punire propter peccata præterita, & relinquere illum sine omni misericordia, certo deberet credere nullam misericordiam à Deo se consecuturum: Ergo de illa consequenda posset desperare. Posterior patet, quia quamdiu potest aliquis sperare beatitudinem, non licet desperare. At is, qui propter futura peccata reprobatus est, potest sperare

beatitudinem, vt dixi: Ergo non licet desperare.

6 Dices: Ex dictis sequitur, desperationem non esse intrinsece malam, quia in aliquo casu potest esse licita. Respondeo. Est intrinsece mala, si supponamus quod reipsa factum est, Deum promisisse quod non velit alicui negare suam misericordiam in hac vita. At sublata hac suppositione, non est intrinsece mala, præsertim si Deus reuelaret se non velle præstare misericordiam.

IX. QVÆSTIO.

An per actum desperationis corrumpatur habitus Spei?

1 CErtum est, habitum spei corrumpi per quemuis actum, quo quis desperat de salute, vel de aliquo medio necessario ad salutem. Probatur primo, quia reliquæ virtutes infusæ corrumpuntur per quemuis actum sibi contrarium, vt fides per quemuis actum infidelitatis, & charitas per quoduis peccatum mortale: Ergo & spes per quemuis actum desperationis. Secundo, quia qui desperat de mediis ad salutem necessariis, non potest retinere spem circa ipsam salutem consequendam, cùm finis sine mediis necessariis obtineri non possit. Et qui desperat de vno medio necessario, non potest esse dispositus ad sperandum aliud medium necessarium, cùm non sit maior ratio sperandi vnum quàm aliud: Et qui offert misericordiam suam in dando vno, offert etiam in dando alio. Ergo si desperas de vno, non es dispositus ad sperandum aliud.

2 At dubium est, an corrumperetur habitus spei, si quis desperaret de vno medio non necessario ad finem, sed tamen vtili. Respondeo negatiue. Ratio est, quia talis desperatio non esset contraria spei. Nam spes solùm obligat ad ea speranda, quæ sunt necessaria ad salutem, non autem ad ea quæ tantùm sunt vtilia. Ergo is solùm peccat contra spẽ, qui desperat de necessariis ad salu-

tem, non autem is qui desperat tantum de vtilibus.

3 Dices: Talis desperatio esset peccatum mortale: Ergo contra aliquam virtutem, at contra nullam, nisi contra spem. Respondeo. Talis desperatio, quæ esset de re non necessaria ad salutem, non potest esse peccatum mortale, nisi per accidens, quatenus scilicet posset hominem inducere in periculum peccandi mortaliter, aut quatenus est causa alicuius magni nocumenti spiritualis. Et tunc pertineret ad illud genus peccati, in cuius periculum nos induceret. V. g. Si quis desperaret de perpetua castitate seruanda, eo quod ex vna parte experiretur in se vehementes tentationes carnis, & ex altera cogitaret se nullo Dei præcepto obligari ad perpetuam castitatem, & sine illa saluari se posse, non esset per se peccatum mortale. Posset tamen esse per accidens, si talis desperatio crearet illi periculum fornicationis.

XII. QVÆSTIO.

Quid sit Præsumptio?

1 DVplex est præsumptio, vt docet D. Thomas qu. 21. art. 1. & 4. Vna, quâ quis inordinate innititur propriæ virtuti, vt si præsumat se aliquid posse præstare, quod est supra suas vires. Quo pacto Pelagiani præsumebant se posse propriis viribus, sine Dei gratia seruare omnia præcepta, & mereri beatitudinem. Altera, quâ quis inordinate innititur diuinæ misericordiæ & potentiæ, vt si speret se obtinere posse à Deo remissionem peccati sine pœnitentia, aut beatitudinem sine bonis operibus. Quod faciunt illi qui perseuerant in suis peccatis, & nihilominus sperant se posse saluari per infinitam Dei bonitatem & misericordiam.

2 Quæres: An is qui inordinate innititur diuinæ misericordiæ & potentiæ, sperando veniam peccati sine pœnitentia, & beatitudinem sine meritis, sit hæreticus? Ratio dubitandi est, quia qui sic sperat, habet errorem in fide.

Iudicat enim pœnitentiam non requiri ad remissionem peccati, nec merita ad consequendã beatitudinem, quod est contra fidẽ. Resp. Quando præsumptio oritur ex hoc iudicio: *Pœnitentia non est necessaria ad remissionem peccati:* tunc iudicium est hæreticum, & simul committuntur duo peccata, nempe hæresis & præsumptionis. Quando autem oritur ex hoc iudicio: *Deus pro ineffabili sua misericordia condonabit mihi mea peccata, etiamsi modo non agam pœnitentiam:* tunc non videtur esse iudicium hæreticum, sed tamen stultũ & temerarium. Vide suprà, q. 9. circa finem.

CAPVT XVIII.

De Charitate.

SVppono Charitatem esse virtutem creatam, quod c. 22. contra Magistrum probandum est. Hoc posito, quæritur 1. An sit eminentissima inter omnes virtutes, tam Morales quàm Theologicas. 2. An sit forma omnium virtutum, & quo sensu. 3. An sit vera amicitia hominis erga Deum. Addunt alij. An sine charitate possit esse aliqua vera virtus. Sed de hoc dictum est suprà, cap. 10. §. 7. & sequentibus.

I. QVÆSTIO.

An Charitas sit excellentissima inter omnes virtutes?

1 CHaritas potest conferri vel cum virtutibus moralibus, vel cum Fide & Spe, quæ sunt virtutes Theologicæ. Item, potest fieri comparatio vel in genere moris, vel in genere naturæ, iuxta ea quæ cap. 17. qu. 5. dicta sunt.

2 Prima Conclusio. Charitas est perfectior omnibus virtutibus moralibus, tam in genere moris, quàm in genere naturæ. Ita D. Thomas quæst. 23. art. 6. Prior pars, de genere moris, patet ex Apostolo, 1. Corinth. 13. vbi ex professo docet, cæteras virtutes nihil prodesse sine charitate. Item ex illo Colossensium tertio capite, versu

decimoquarto: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et 1. Timoth. 1. 5. *Finis præcepti est charitas.* Posterior probatur, quia obiectum charitatis est infinita Dei bonitas & perfectio: Obiectum autem virtutum moralium est aliquid finitum & creatum.

3 Dices primo: Fortitudo videtur esse perfectior quàm charitas, quia habet nobiliorem actum, nempe actum martyrij, qui maxime omnium commendatur.

Respondeo. Actus martyrij potest dupliciter spectari. Primo, quatenus præcisè elicitur à virtute fortitudinis. Secundo, quatenus imperatur à charitate. Et sic perfectissimus est, non ex se, sed beneficio charitatis, vt explicat Christus, Ioannis decimoquinto capite, versu decimotertio: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vide D. Thomam quæst. 124. art. 3.

4 Dices secundo: Virtus paupertatis, quâ quis sponte propter Deum renunciat omnibus bonis temporalibus, consulitur à Christo, tanquam aliquid perfectius charitate, quia consulitur etiam illi qui iam habet charitatem, Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.*

Respondeo. Paupertas voluntaria consulitur à Christo, quatenus conducit ad perfectionem charitatis, sicut etiam consulitur virginitas, primę Corinthiacæ cap. 7. v. 8. Nam qui abdicat à se curam rerum temporalium & matrimonij, fit promptior & expeditior ad diligendum Deum super omnia, quia minora habet dilectionis impedimenta.

5 Secunda Conclusio. Charitas & in genere moris, & in genere naturæ perfectior est fide & spe. Prior pars patet ex dictis, quia fides & spes nihil prosunt sine charitate. Item ex illo primæ Corinthiacæ, c. decimotertio, versu decimotertio: *Nunc autem manent fides, spes, cha-*

ritas, tria hæc: maior autem horum est charitas. Posterior probatur primò de spe, quia licet spes & charitas ex parte potentiæ sint æquales, cùm ambæ sint in voluntate, tamen ex parte obiecti formalis, perfectior est charitas. Nam charitas versatur circa Deum, quatenus est infinite bonus in se: Spes autem circa eundem Deum, quatenus est bonus respectu nostri. Non potest autem respectu nostri tam bonus esse, quàm in se est.

Secundo, probatur de fide, simili argumento, quia obiectum charitatis est perfectius quàm obiectum fidei. Nam obiectum charitatis est infinita Dei bonitas, quatenus complectitur omnes perfectiones diuinas, quibus Deus in se bonus & perfectus est. Obiectum verò fidei est prima veritas, quatenus includit sapientiam & veritatem, non autem reliquas perfectiones, quas tamen includit obiectum charitatis.

6 Dices primo: Fides præcipue habet vim iustificandi, vt passim patet ex epistola ad Romanos, & Galatas: Ergo est perfectior. Respondeo. Et fides, & spes, & charitas dicuntur iustificare, id est, ad iustificationem disponere, vt constat ex Concilio Tridentino, sessione sexta, capite sexto. Hoc interest, quod fides sit prima dispositio, charitas vltima, sed perfectissima. Hoc alibi explicatum est.

7 Dices secundo: Abraham in Scriptura magis commendatur ob fidem quàm ob charitatem, Romanorum 4. 3. Respondeo. Falsum est. Non enim commendatur ob fidem mortuam, quæ est sine charitate, sed ob fidem viuam, quæ operatur per charitatem (Iacobi 2. 22.) Deinde, non valet hæc consequentia: Abraham magis commendatur ob fidem, quàm ob charitatem: Ergo fides præstantior est charitate. Nam etiam Ioannes Baptista magis commendatur in Euangelio, ob abstinentiam, quàm ob charitatem: Nec tamen sequitur, abstinentiam esse præstantiorem charitate. Potest enim

fieri, & sæpe fit, vt aliquis commendetur ob aliquam virtutem, quæ quidem minus præstans est, sed tamen in qua ille qui commendatur, magis excelluit.

8 Dices 3. Fides operatur per charitatem, teste Apostolo, Galat. 5. 6. Ergo charitas est tantùm instrumentum, quo fides vtitur in operando: Ergo est imperfectior. Respondeo. Fides non operatur per charitatem, tanquam per instrumentum, sed tanquam per formam extrinsecam, à qua valorem & efficaciam habet, vt patebit ex sequenti quæstione. Vide Diuum Thomam, quæst. 22. art. 6. ad 2.

II. QVÆSTIO.

An Charitas sit forma omnium virtutum?

1 Diuus Thomas art. 8. & alij passim docent, charitatem esse quasi formam quandam, seu vitam aliarum virtutum, non quidem in genere naturæ, sed in genere moris. Et hoc sensu affirmant fidem & reliquas virtutes sine charitate mortuas esse, seu nihil prodesse.

2 Nota, charitatem dupliciter spectari posse. 1. Præcise, pro virtute charitatis. 2. quatenus adiunctam habet gratiam sanctificantem, quam semper adiunctam habet, non quidem ex natura rei, sed ex diuina dispositione & voluntate. Hoc posito, sit

3 Prima Conclusio. Charitas priori modo spectata, dicitur esse forma seu vita aliarum virtutum, quatenus refert actus illarum ad vltimum finem, nempe ad Deum, provt in se infinite bonus est, & proprium obiectum charitatis: quem finem aliæ virtutes per se non respiciunt, quia non est proprium obiectum aliarum virtutum, sed solius charitatis. Ita explicat Diuus Thomas loco citato. Et ratio est, quia actus aliarum virtutum præter propriam formam essentialem, quam ex propriis obiectis sortiuntur, acquirunt etiam aliam formam, seu speciem extrinsecam ab obiecto charitatis, quatenus

a

à charitate imperantur, & ad propriùm obiectum charitatis, tanquam ad finem vltimum referuntur. Vide quæ dicta sunt in priori tomo, de bónitate actuum humanorum, quæst. 3 concl 2.

4 Secunda Conclusio. Charitas posteriori modo spectata, dicitur esse forma seu vita aliarum virtutum, quia actus aliarum virtutum habent suam vim & valorem merendi, ex coniunctione cum gratia & charitate. Hoc sensu intelligendus est Apostolus 1. Corinth 13. quando asserit, reliquas virtutes sine charitate nihil prodesse, nempe ad meritum vitæ æternæ.

5 Dices: Prudentia, quæ est in intellectu, est forma reliquarum virtutum moralium, nempe Iustitiæ, Temperantiæ, & Fortitudinis, quæ sunt in voluntate: ergo similiter Fides, quæ est in intellectu, debet esse forma reliquarum virtutum Theologicarum; nempe Spei & Charitatis, quæ sunt in voluntate. Respondeo. Non sequitur. Nam alio sensu Prudentia dicitur esse forma virtutum; alio Charitas. Prudentia per modum regulæ dirigentis: Charitas per modum vitæ seu efficacitatis.

III. QVÆSTIO.

An Charitas sit vera amicitia hominis erga Deum?

1 RAtio dubitandi est, quia ad veram amicitiam requiruntur quatuor conditiones, quæ non conueniunt Charitati, quâ Deũ diligimus. Prima est, æqualitas eorum, inter quos debet esse amicitia, vt docet Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 7. At inter Deum & homines non est æqualitas. Secunda est, mutua beneuolentia, per quam amici diligunt se mutuò propter se. At hæc mutua beneuolentia non potest esse inter Deum & homines, quia licet homines possent diligere Deum propter increatam bonitatem, quâ in se bonus est: Deus tamen non potest diligere homines propter creatam bonitatem, quâ illi in se boni sunt. Diligit enim omnia pro-

pter seipsum. Tertia est, vt mutua beneuolentia, quæ est inter amicos, non lateat ipsos, teste Aristotele ibid. At Dei beneuolentia erga hominem, latet ipsum hominem, iuxta illud Ecclesiastæ 9. 1. *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit.* Quarta est, mutua communicatio inter amicos. At nos nihil possumus Deo communicare, licet ipse nobis multa communicet.

2 Nota 1. Triplex solet statui amicitia. Vna vtilis, quâ amatur amicus propter vtilitatem amantis. Altera delectabilis, quâ amatur propter voluptatem. Tertia honesta, quâ amatur propter honestatem & virtutem. Hæc sola est perfecta & vera amicitia. Vide D. Thom. q. 23. art. 1. & Aristot. lib. 8. Ethic. cap 3.

3 Nota 2. Amicitia honesta, de qua sola hîc agimus, potest esse duplex. Vna æqualitatis, quæ est inter æquales. Altera excellentiæ, quæ est inter eos, qui quidem habent communicationem, & conuenientiam in ordine ad vnum finem honestum; sed tamen constituti sunt in diuerso gradu ac dignitate: & vnusquisque alteri id tribuit amoris, honoris, ac beneficij, quod illi pro suo gradu ac dignitate tribuendum est.

4 Prima Conclusio. Inter homines iustos & Deum intercedit vera & honesta amicitia, non quidem æqualitatis, sed excellentiæ & proportionis. Ita D. Thomas ibidem. Et colligitur ex Scripturis, Ioannis decimoquinto, versu decimoquarto: *Vos amici mei estis.* Et infrà: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*, id est, quamuis natura serui sitis, gratia tamen facti estis amici. Et Iacobi 2. vers. 23. *Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus est.* Et Sapientiæ 7. vers. 27. *Diuina sapientia amicos Dei constituit.*

5 Dices: Sicut homines iusti dicuntur amici Dei, sic etiam dicuntur filij Dei, & templa Spiritus Sancti. At non propriè, sed metaphoricè dicuntur filij Dei, & templa Spiritus Sancti. Ergo etiam non propriè, sed

metaphoricè dicuntur amici Dei. Respondeo. Hæc omnia propriè dici possunt, secundum eum sensum quem Scriptura intendit. Nam homines iusti propriè sunt filij Dei per adoptionem; propriè sunt templa spiritualia, propriè sunt amici Dei per mutuam beneuolentiam supernaturalem.

6 Et ratio est, quia omnes conditiones amicitiæ (præter æqualitatem, quæ necessaria non est) accommodari possunt. Primò, quia inter Deum & hominem potest esse mutua beneuolentia. Nam homo potest amare Deum propter ipsum Deum, qui est amor beneuolentiæ. Et vicissim Deus potest amare hominem, vt illi beneficium præstet; qui est etiàm amor beneuolentiæ Nec obstat, quod omnia bona nostra velit referri ad suam gloriam & honorem. Nam honesta amicitia non impedit, quo minus omnia bona referantur in vltimum finem. Hoc enim per se honestum est, & nobis vtile. Deus autem, qui in hac amicitia est amicus, simul etiam est finis vltimus; ac proinde rectè vult, omnia in suam gloriam referri, licet tota vtilitas nostra sit.

7 Secundò, hæc mutua beneuolentia, quæ est inter Deum & hominem, tam nota & manifesta est homini, quàm notum & manifestum illi est, quod ipse amet Deum, iuxta illud Prou. 8. 16. *Ego diligentes me diligo.* Imo amor noster erga Deum, est signum & effectus diuini amoris erga nos. Vnde quilibet sic potest ratiocinari: Quicunque diligit Deum, diligitur à Deo: Ergo diligo Deum: ergo diligor à Deo. Maior est certa ex Fide. Minor est certa per experientiam. Quilibet enim in se vitaliter experitur se amare Deum.

8 Tertiò, mutua communicatio, quæ requiritur ad amicitiam, dupliciter intelligi potest. Primò, vt sit similitudo quædam, vel in natura, vel in dignitate & officio, in ordine ad aliquem finem honestum. Sic Aristoteles communicationem amicitiæ interpretatur. Hæc

autem communicatio, tametsi inter Deum & homines secundum suam naturam spectatos, non reperiatur; reperitur tamen inter Deum & homines per gratiam eleuatos ad ordinem diuinum. Nam homines per gratiam fiunt quodammodo similes Deo, & diuinæ naturæ participes, 1. Ioan. 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Et 2. Petri 1. 4. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Secundò potest intelligi, vt sit communicatio quædam per mutuam beneficiorum collationem. Sic alij interpretantur. Sed talis communicatio nec potest esse ratio, nec fundamentum honestæ amicitiæ; alioqui non esset honesta, sed vtilis. Potest tamen esse occasio perueniendi ad amicitiam honestam. Et quando ad eam peruentum est, tunc est effectus illius, iuxta illud: *Amicorum bona communia sunt.* Hoc sensu Deus communicat nobis sua bona, vt per se notum est. Et nos vicissim communicamus illi nostra bona: Partim etiam, quando in nomine ipsius communicamus aliquid pauperibus, Matth. 25. 40. *Quod fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

9 Secunda Conclusio. Hæc amicitia, si spectetur ex nostra parte, consistit in charitate qua diligimus Deum. Si autem spectetur ex vtraque parte, quatenus est vinculum inter Deum & nos, comprehendit charitatem Dei, qua ipse nos diligit; & nostram, qua nos illum diligimus. Nam vera amicitia non consistit in charitate vnius tantum partis, sed in mutuo amore vtriusque partis. Vnde si vnus amet, & non redametur, non est amicitia, sed beneuolentia; quo pacto Deus amat prædestinatos, pro eo tempore quo existunt in peccato mortali.

CAPVT XIX.

De obiecto & ordine Charitatis.

1 OBiectum Charitatis (sicut etiam Fidei & Spei) duplex est, materiale & formale. Materiale sunt res ipsæ, quæ amantur, vt Deus, Angeli, homines. Formale est ratio seu motiuum, propter quod amantur. Hoc motiuum, vt initio huius Tractatus insinuaui, est infinita Dei bonitas, qua ipse in se bonus est. Propter hanc enim amamus Deum, Angelos, homines, amore charitatis seu beneuolentiæ, vt distinguitur ab amore concupiscentiæ, qui pertinet ad virtutem Spei, vt suprà dictum est.

2 Ordo charitatis in eo consistit, vt inter eos, quos amore beneuolentiæ diligimus, vnum magis diligamus, quàm alium. Quod tribus modis fieri potest. Primo, obiectiuè. Secundo, intensiuè. Tertio, appretiatiuè, seu efficaciter. Tunc diligimus aliquem magis obiectiuè, quando volumus illi plus boni. Tunc magis intensiuè, quando intensiori actu illum diligimus. Tunc magis appretiatiuè seu efficaciter, quando in effectu pluris illum æstimamus, & in necessitate præferimus. Vel, quod idem est, quando illi potius, quàm alteri parati sumus exhibere effectum charitatis, si vtrique simul exhibere nequeamus. Vide Valentiam quæst 4 par. 1.

3 Hoc posito, quæritur 1. An his tribus modis teneamur magis diligere Deum, quàm quemuis alium. Secundo: An post Deum teneamur nos ipsos magis diligere, quàm proximos. 3. An teneamur magis diligere vnum proximum quàm alium, & quam ob causam.

I. QVÆSTIO.

An homo teneatur magis diligere Deum, quàm quemuis alium?

1 PRima Concluſio. Homo tenetur Deum magis obiectiuè diligere, quàm quemuis alium. Ratio eſt, quia tenetur illi plus boni velle, quàm aliis Quod dupliciter intelligi poteſt. Primo de bono infinito, quod reuera in Deo eſt. Et ſic certa eſt concluſio, quia homo tenetur ex charitate fauere vnicuique id bonum, quod habet. At Deus habet in ſe infinitum bonum, creatura finitum; Ergo tenetur Deo fauere infinitum bonum, creaturis finitum. At hoc nihil aliud eſt, quàm Deo plus boni velle, per modum gaudij & complacentiæ, quàm creaturis; Et conſequenter Deum magis obiectiuè amare, quàm creaturas. Secundo, poteſt intelligi de bono finito, quod Deus non habet, ſed habere poteſt; cuiuſmodi eſt honor & gloria, quæ illi deferri poteſt ab iis, à quibus hactenus delata non eſt. Et ſic etiam certa eſt concluſio, quia homo tenetur maiorem gloriam deſiderare Deo, quàm vlli creaturæ, iuxta illud Pſalmi 113. verſ. 9. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

2 Secunda Concluſio. Homo tenetur etiam magis appretiatiuè & efficaciter diligere Deum, quàm quemuis alium. Ita D. Thomas q. 26. art. 2. & 3. Et colligitur ex illo Matth. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Si hoc eſt maximum & primum mandatum, ergo maximè & præ cæteris obligat: Ergo maximè & præ ceteris tenemur Deum efficaciter diligere. Eodem ſpectat illud Matthæi 10. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Et Lucæ 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem ſuam, & vxorem & filios, adhuc autem & animam ſuam,*

non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quaſi dicat: Oportet Deum omnibus aliis præponere, ita vt nullius creaturę amorę vel timorę velis illum offendere, aut ab illius amicitia recedere. Quem ſenſum expreſſit Apoſtolus Romanorum 8. verſ. 39. *Nulla creatura poterit nos ſeparare a charitate Dei.*

3 Ratio à priori eſt, quia Deum diligimus propter ſeipſum, reliquos verò propter Deum: vel quod idem eſt, Deum diligimus propter infinitam bonitatem, quæ in ipſo eſſentialiter eſt; reliquos propter eandem bonitatem, quæ tantum participatiuè in ipſis eſt. Simile eſt de dilectione finis & mediorum. Nam finem diligimus propter ſe; media propter finem. Sicut ergo recta ratio dictat vt magis amemus finem quàm media; ſic etiam vt magis amemus Deum, quàm creaturam. Et rurſum, ſicut media potius deſerimus, quàm finem, quando obſunt conſecutioni finis; ita creaturam potius deſerimus, quàm Deum, quando abducit nos ab amicitia Dei.

4 Tertia Concluſio. Non tenetur homo magis intenſiuè diligere Deum ex charitate, quàm alios. Ratio eſt, quia in charitate (quantum ad hoc attinet) duo ſpectari poſſunt, habitus & actus. De intenſione habitus, nulla eſt obligatio. Non enim neceſſe eſt, vt Deum diligamus ex intenſiori habitu, quàm alios. Satis eſt, ſi vnumquemque diligamus ſecundum eam intenſionem, quâ nobis à Deo infuſus eſt. Alioqui ſequeretur, quod quando ex habitu duorum graduum diligimus Deum, non liceret poſtea diligere proximum ex eodem habitu, quod eſt abſurdum. Sequela patet, quia habitus duorum graduum intenderetur per illum actum dilectionis Dei, vt ſuppono ex capite vigeſimo ſecundo. Ergo ſi poſtea diligeremus proximum, neceſſario diligeremus illum ex intenſiori habitu, quàm antea Deum dilexeramus.

5 Nec de intensione actus potest esse obligatio. Primo, quia sufficit, si actus, qui elicitur ex habitu Charitatis, sit æquè intensus atque ipse habitus. Si ergo de intensione habitus non est obligatio, non potest etiam esse de intensione actus.

Secundo, quia alioqui homo sæpè esset perplexus. Sæpè enim nescit, an maiori intensione diligat Deum, quàm proximum. Si ergo ad certam intensionem obligaretur, sæpè nesciret an satisfaceret obligationi, necne. Et hinc multi scrupuli sine dubio orirentur.

6 Dices 1. Omnis habitus immediatius inclinat ad obiectum formale, quàm ad materiale: sed quando creatura diligitur propter Deum, tunc obiectum formale est Deus, & materiale est creatura: Ergo habitus Charitatis immediatius inclinat ad Deum, quàm ad creaturam. Hoc argumentum est Dominici Bannes q. 26. art. 2. concl. 3. sicut etiam alterum quod sequitur. Respondeo. Aliud est quærere, an Charitas magis immediatè feratur in Deum, quàm in creaturam: aliud, an magis intensiuè. Deinde, quando disputamus de ordine Charitatis, non conferimus inter se obiectum formale & materiale, sed vnum materiale cum alio materiali. Est enim quæstio, Cum multa sint obiecta materialia, quæ diliguntur ex Charitate, an maiori intensione diligendum sit vnum, quàm alterum. Itaque obiectio non est ad rem. Taceo, quod destruat seipsam. Nam si Charitas intensius fertur in obiectum formale, quàm materiale, necesse est vnum eundemque actum Charitatis intensiorem esse circa obiectum formale, quàm materiale, quod est contra mentem obiicientis.

7 Dices 2. Homo per actum Charitatis assimilatur Spiritui Sancto: sed Spiritus Sanctus intensius amat Deum, quàm creaturam: Ergo etiam homo. Respondeo. Negatur minor & consequentia. Minor quidè, quia Spiritus Sanctus amat Deum & creaturam vno simplici

indiuisibili, & increato actu, in quo nulla est intensio aut remissio graduum, vt expresse docet D. Thomas in 1 p. q 20. art. 3. Consequentia verò, quia non sequitur, si sic inferas: Homo per actum charitatis assimilatur Spiritui Sancto: sed Spiritus Sanctus amat Deum & creaturam vnico infinito & increato actu: Ergo etiam homo. Hæc autem illatio similis est præcedenti. Ergo si hæc non valet, nec præcedens.

II. QVÆSTIO.

An homo teneatur seipsum magis diligere, quàm proximum?

1 NOn est difficultas de ordine intensionis, quia si homo non tenetur magis intensiuè diligere Deũ, quàm alios, vt iam dictum est; optimè sequitur, quòd nec seipsum teneatur magis intensiuè diligere quàm proximum. Solùm ergo quæstio est de ordine, qui sumitur ex parte obiecti; itémque de altero, qui sumitur à maiori æstimatione personæ.

2 Prima Conclusio. Non semper tenetur homo seipsum magis obiectiuè diligere quàm proximum. Ratio est, quia non semper tenetur plus boni sibi velle, quàm proximo. quod dupliciter intelligi potest, vt suprà dixi in simili casu. Primò, de bono, quod actu possidetur. Et sic certa est conclusio, quia homo tenetur ex charitate vnicuique fauere illud bonum, quod quisque habet: At sæpè fit, vt proximus plus boni habeat, quàm ipse: Ergo tunc tenetur proximo plus boni fauere, quàm sibi. Secundò, de bono quod non possidetur. Et sic etiam certa est conclusio, quia homo non semper tenetur ex charitate, sibi ipsi plus boni desiderare, quàm proximo, præsertim extra casum necessitatis. (Nam hic casus pertinet ad sequentem conclusionem.) Nec peccaret contra charitatem, qui quantum in se esset, optaret omnibus æqualem gratiam & gloriam, salua Dei voluntate & ordinatione.

3 Secunda Concluſio. Homo tenetur ſeipſum magis appretiatiuè & efficaciter diligere, quàm proximum, quoad ea bona ſpiritualia, quæ tenetur ſibi & proximo velle ex charitate. Ita D. Thomas q. 26. art. 4. & Valentia q. 4. p. 3. aſſert. 2. Nota triplicem hîc poſſe fieri comparationem. 1. In ſolis bonis ſpiritualibus. 2. In ſolis temporalibus. 3. In temporalibns ex vna parte, & ſpiritualibus ex altera. De prima comparatione nunc agimus: de reliquis in ſequentibus concluſionibus. Sunt autem duplicia bona ſpiritualia Nam quædam ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt fides, ſpes, charitas, gratia gratum faciens perſeuerantia: Alia non ſunt neceſſaria, vt donum caſtitatis, ſtatus religioſus, virtus miraculorum, & aliæ gratiæ gratis datæ. Priora tenetur homo tam ſibi, quàm proximo ex charitate velle, poſteriora non item.

4 Dicimus ergo in concluſione, hominem debere ſeipſum magis appretiatiuè & efficaciter diligere quàm proximum, quoad bona ſpiritualia prioris generis, quæ ad ſalutem animæ neceſſaria ſunt. Et colligitur ex illo Matthæi 16. 26. *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* q. d. Non prodeſt illi; ac proinde neceſſe eſt, vt magis ſollicitus ſit de ſalute propria, quàm totius mundi. Item ex illo Matth. 22. 39. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Vbi dilectio ſui ipſius ponitur tanquam regula ſeu exemplar, cui quantum fieri poteſt, conformari debet dilectio proximi. At regula eſt potior, quàm regulatum, vt argumentatur D. Thomas, quæſt. 26. art. 4. Ergo homo potius tenetur diligere ſeipſum, quàm proximum. Et hoc ſenſu dici ſolet, *Charitas incipit à ſeipſa.* Et, *Proximus ſum egomet mihi.* Et, *Qui ſibi nequam, cui bonus?*

5 quod variis modis confirmari poteſt. Primò, quia hoc intereſt inter gratiam gratum facientem, & gratias gratis datas, quod hæ primario dentur homini pro

ſalute proximorum; illa propter ſalutem propriam, vt docet D. Thomas in 1. 2. q. 111. art. 1. At charitas pertinet ad gratiam gratum facientem: Ergo primario datur propter ſalutem propriam: Ergo qui habet charitatem, debet ſe potius amare quàm proximum, id eſt, debet ſuam ſalutem præferre ſaluti aliorum.

6 Secundò, vnaquæque res illi magis obligata eſt, à qua magis dependet in fieri & conſeruari: At habitus charitatis magis dependet à Deo, quàm ab vllo alio; & poſt Deum, magis dependet ab eo, in quo eſt, quàm à proximo; Ergo magis obligatus eſt Deo, quàm vlli alteri; & poſt Deum magis habenti, quàm proximo. Maior per ſe nota eſt. Minorem probo, quia à Deo dependet eſſentialiter, & quidem duplici titulo. Primò, tanquam ab obiecto primario, non tantùm materiali, ſed etiam formali. Secundò, tanquam à cauſa principali efficiente & conſeruante. Ab eo autem, in quo eſt, dependet etiam dupliciter. Primò, tanquam à ſubiecto, cui inhæret, & à quo, non quidem effectiuè, ſicut à Deo, ſed tamen ſubiectiuè, conſeruatur in eſſe. Secundò, tanquam ab obiecto ſecundario. At à proximo non dependet, niſi hoc vltimo modo, quæ eſt minima dependentia.

7 Idem argumentum adhuc fortius procedit de actu charitatis, qui etiam magis dependet à Deo, quàm ab amante; & magis ab amante, quàm à proximo. Nam ab amante dependet triplici titulo. Primò, quatenus elicitur ab amante, tanquam à cauſa vitali; quæ dependentia eſt eſſentialis, vt in priori tomo, tractatu 1. c. 3. q. 2. concl. 2. oſtenſum eſt. Secundò, quatenus recipitur in amante, tanquam in ſubiecto. Tertiò, quatenus verſatur circa amantem, tanquam circa obiectum ſecundarium, quod fit, quando quis amat ſeipſum. Tunc enim ſimul eſt amans, & amatus. At à proximo ſolùm dependet hoc tertio modo, vt dixi.

8 Ex dictis sequitur, in his casibus peccari contra ordinem charitatis. Primò, si quis neglecta propria salute, sollicitus sit de salute alterius. 2. si mentiatur in gratiam alterius, vt liberet illum à morte corporis aut animæ, Aut si aliud peccatum committat, vt possit proximo subuenire. 3. Si pro salute alterius desideret carere æterna beatitudine, vel in æternum damnari. Nam in his casibus pluris æstimat proximum; quàm seipsum, quod non licet.

9 Dices 1. Moses optabat carere beatitudine propter salutem Iudæorum, vt patet ex illo Exodi 32. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Similiter Paulus. Rom. 9. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Respondeo. Moses hoc dixit per quandam exaggerationem, ex certa confidentia erga Deum. Sicut enim non timebat se delendum esse de libro vitæ; ita etiam sine hæsitatione confidebat se impetraturum à Deo quod petebat. Ita Augustinus quæst. 147. super Exodum. Valentia quæst. 4. p 3. & plures alij. Paulus verò locutus est de eo tempore quo adhuc erat in Iudaismo, ac de zelo & amore quem tunc habebat erga Iudæos, & legem Mosaicam. Tunc enim optabat esse anathema à Christo, vt fratrum suorum ceremonias ac totam Synagogam tueretur. Ita Hieronymus, Anselmus, Caietanus, Camerarius, quos sequitur Vasquez in 1. p. q. 24. art. 3. Quamquàm alij aliter sentiant. Vide quæ de vtroque testimonio diximus in 1. p. Tract. 1. c. 14. q. 8.

10 Dices 2. Homo tenetur magis appretiatiuè diligere Deum, quàm quemuis alium, vt suprà dictum est. Ergo quo quisque Deo coniunctior est, eo magis tenetur illum diligere post Deum. At proximus sæpè coniunctior est Deo, quàm is, qui diligit. Ergo in tali casu tenetur proximum magis diligere, quàm seipsum. Respon-

deo. Negatur prima consequentia. Nam ordo charitatis, quoad efficaciam, non sumitur ex sola coniunctione cum Deo, sed etiam ex coniunctione cum diligente, in quo est charitas, vt notat D. Thomas quæst. 26. art. 4. ad 1. Et nos paulo ante ostendimus. At quisque sibi ipsi coniunctior est, quàm proximo. Ergo se magis tenetur diligere, quàm proximum.

11 Et confirmatur, quia si ordo charitatis sumeretur ex sola coniunctione cum Deo, iam quisque necessario perplexus esset in suis rebus. Cùm enim non constet homini, an proximus sit Deo coniunctior, quàm ipse, sæpè non posset se resoluere, an magis deberet esse sollicitus de propria, quàm de proximi salute. Atque ita sæpè exponeret se periculo, vt possit proximum iuuare; præsertim si putaret proximum esse Deo coniunctiorem, quàm seipsum, ac proinde sibi præferendum. At hoc esset contra illud Euangelij: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Vbi nulla fit distinctio maioris vel minoris coniunctionis cum Deo, sed simpliciter asseritur, vnumquemque oportere magis sollicitum esse pro se, quàm pro aliis, siue alij sint Deo coniunctiores, siue non.

12 Tertia Conclusio. Si autem fiat comparatio in solis bonis temporalibus, distinguendum est. Potest enim homo conferri, vel cum communitate, vel cum priuata persona. Priori modo tenetur magis diligere communitatem, quàm seipsum. Ita D. Thomas, art. 4. ad 3. Et hoc sensu interpretatur illud 1. Cor. 13. 5. *Charitas non quærit quæ sua sunt*, id est, communia propriis anteponit. Et ratio est, quia bonum communitatis est multo præstantius, quàm priuatum: Ergo debet præferri. Deinde, pars corporis naturalis, ex naturali inclinatione, exponit se periculo pro conseruatione totius: Ergo idem fieri debet in communitate, quæ est quasi corpus quoddam politicum & ciuile.

13 Dices. Si hæc argumenta valent in bonis temporalibus, valent etiam in ſpiritualibus: Ergo ſi homo tenetur magis diligere communitatem, quàm ſeipſum, quoad temporalia, tenetur etiam quoad ſpiritualia. Reſpondeo. Non eſt par ratio, vt notat Valentia loco citato. Nam homo priuatus non pendet à communitate quoad bona ſpiritualia, tanquam à cauſa principali, ſed à Deo; tametſi pendeat à miniſtris Eccleſiæ, tanquam à cauſa inſtrumentali. At quoad temporalia, pendet à communitate, tanquam à cauſa principali, & tanquam pars à toto.

14 Porro ſi homo conferatur cum perſona priuata, merito dubitari poteſt, an teneatur ſeipſum magis diligere, quàm proximum, quoad ea bona temporalia, quæ tenetur ſibi & proximo ex charitate velle. V. G. An teneatur ſuam vitam potius conſeruare, quàm proximi, in caſu neceſſitatis, in quo vtramque ſimul ſeruare non poſſit. Aliqui putant in tali caſu, licere illi, ſuam vitam exponere pro vita alterius conſeruanda, ſi vterque ſit æqualis conditionis. Ita Bannes q. 26. art. 4. dub. 2. Et probat tripliciter. Primò ex D. Thoma, Auguſtino, Lactantio, Ariſtotele, Cicerone. Secundo ex illo Ioann. 15. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tertiò, ratione; quia qui exponit vitam ſuam pro amico in caſu neceſſitatis, colit virtutem amicitiæ, quæ valdè neceſſaria eſt Reipublicæ: Ergo benè ac licitè facit.

15 Alij contrà ſentiunt, nunquam id licere, ſed eſſe contra ordinem charitatis. Et probatur primo ex D. Auguſtino libro de mendacio ad Conſentium, cap. 6. vbi ait: *Si quis pro alterius temporali vita ſuam ipſam temporalem perdit, non eſt iam diligere illum, ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum: quod ſanæ doctrinæ regulam excedit.* Secundò, ex D. Thoma, quæſt. 32. art. 6. vbi dicit, non eſſe dandam eleemoſynam ex ijs, quæ ad propriam

vitam sustentandam necessaria sunt. Et q. 64. art. 7. *Plus*, inquit, *tenetur homo vitæ suæ prouidere, quam alienæ.*

16 Accedit duplex ratio. Vna, quia maius peccatum est, occidere seipsum, quam proximum: Ergo maior obligatio est conseruandi propriam vitam, quàm alienam. Altera, quia si duo essent in extrema necessitate, quorum alter esset meus pater, alter extraneus, tenerer ex charitate potius patri succurrere, quàm extraneo, eo quod pater sit mihi coniunctior, quàm extraneus. At ego sum mihi ipsi coniunctior, quàm pater: Ergo si vitam patris in necessitate teneor præferre vitæ extranei, multo magis meam vitam teneor illi præferre.

17 Hæc posterior sententia vera est, si præcisè conferamus vitam nostram corporalem cum vita corporali alterius, nullâ habita ratione boni alicuius, quod sit altioris ordinis. Et eam præter D. Augustin. & B. Thomam, tenent etiam Paludanus in 4. d. 15. q. 3. art. 2. & Durandus ibidem d. 17. q. 6. ad 2. asserentes nunquam licere vitam propriam ponere pro vita alterius. Item multi alij Scholastici in 3. d. 29. assignantes hunc ordinem charitatis, vt homo primo loco diligat Deum. 2. seipsum, quoad vitam animæ. 3. proximum, quoad vitam animæ. 4. seipsum, quoad vitam corporis. 5. proximum, quoad vitam corporis. Quos sequitur Valentia q. 4 p. 3. asser. 3.

18 Si tamen aliquis vitam suam corporalem exponeret pro vita corporali alterius, non ex eo præcisè quasi vitam alterius magis ex charitate diligeret, quàm suam (quia hoc esset contra ordinem charitatis, vt dixi) sed aliquo alio titulo posset hoc licitè fieri in his casibus. Primò, si id faceret, non ex amore vitæ alterius, sed ex amore boni communis, quod pendet ex vita alterius, vt si alter esset valdè vtilis Reipublicæ. Tunc enim exponeret vitam suam pro bono communi, quod laudabile est, vt antea dixi. Secundò, si id faceret ex amore vitæ alterius spiritualis; vt si alter esset in statu peccati mortalis,

& spes esset conuersionis, si superuiueret. Tunc enim liceret homini iusto vitam suam pro illius vita exponere, propter bonum ipsius spirituale. Tertiò, si id faceret ex amore virtutis seu honestatis; vt si essent duo Christiani arctissimo charitatis vinculo inter se coniuncti, & alter pro altero offerret se in mortem, ad commendationem virtutis charitatis. Hoc enim licitè fieret, vt docet Valentia loco citato. Ratio est, quia in tali casu, non præferret vitam alterius vitæ suæ propriæ; sed præferret bonum suum spirituale (quod consistit in exercitio virtutis) bono suo temporali. Et hoc sensu videtur loqui D. Thomas, articulo 4. ad 2. cum ait: *Detrimenta corporalia debet homo sustinere propter amicum, vt in hoc ipso seipsum magis diligat secundum spiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ est bonum mentis.*

19 Quarta Conclusio. Si fiat comparatio inter bona temporalia ex vna parte, & spiritualia ex altera, tenetur homo in casu necessitatis, plus amare spiritualem vitam proximi, quàm vitam corporalem propriam; ac proinde in tali casu, tenetur vitam suam exponere pro salute proximi, si efficaciter potest. Ita D. Thomas, art. 5. & B. Augustinus lib. de mendacio ad Consentium, cap. 6. cum ait: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Et probatur ex illo 1. Ioan. 3. 16. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: Et nos debemus animas pro fratribus ponere.* Et Ioan. 15. 12. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt ponat animam suam pro amicis suis.* Et tamen notanda differentia. Nam Parochi & Episcopi tenentur id facere, non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, ratione officij & stipendij: reliqui, non nisi ex charitate.

20 Dices: quid si amissione propriæ vitæ non possim efficaciter prodesse proximo? Respondeo. Tunc non

teneor

teneor vitam meam pro illo exponere. Dices 2. quid si aliunde iuuari possit? Respondeo. Tunc non est casus necessitatis.

III. QVÆSTIO:

An homo teneatur vnum proximum magis diligere, quàm alterum?

1 ALiqui putant omnes proximos æqualiter diligendos esse, quoad internum affectum; non tamen omnibus æqualiter benefaciendum esse, quoad beneficia externa, vt refert Magister in 3. d. 29. & D. Thom. q. 26. art. 6. Et probatur ex Augustino lib. 1. de doct. Christ cap. 28. vbi sic ait: *Omnes homines æquè diligendi sunt. Sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur.* Et in expositione epist. ad Galatas, c. 6. circa illa verba Apostoli, *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*; sic scribit: *Omnibus pari dilectione vita æterna optranda est, sed non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia.*

2 Hæc difficultas ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile expediri potest. Nam aliud est diligere aliquem magis vel minus obiectiuè: aliud magis vel minus appretiatiuè. Ex qua distinctione explicabitur mens Augustini, vt videbimus.

3 Prima Conclusio. Homo tenetur aliquando vnum proximum magis obiectiuè diligere, quàm alterum, aliquando non tenetur. Prior pars vera est de bono à proximis possesso; quia homo tenetur vnicuique proximo fauere illud bonum, quod quisque possidet: At vnus plus possidet, quàm alter: Ergo tenetur vni plus boni fauere, quàm alteri? & consequenter, vnum magis obiectiuè diligere, quàm alterum. Posterior vera est de bono non possesso, quia homo non tenetur vni plus bo-

ni optare, quàm alteri, loquendo de ſimplici affectu deſiderij, & extra caſum neceſſitatis. Et hoc ſenſu dixit Auguſtinus: *Omnibus pari dilectione vita æterna optanda eſt.* Et Apoſtolus 1. Cor. 7. 7. *Volo omnes vos eſſe, ſicut me ipſum*, id eſt, continentem.

4 Secunda Concluſio. Homo tenetur vnum proximum magis appretiatiuè ſeu efficaciter diligere, quàm alium. Ita D. Thomas & Magiſter loco citato. Ratio eſt, quia tenetur ſeipſum magis appretiatiuè diligere, quàm proximos, vt dictum eſt: Ergo inter proximos, cæteris paribus, tenetur eos magis diligere, qui ipſi coniunctiores ſunt. Et hoc ſenſu dixit Auguſtinus: *His potiſſimum conſulendum eſt, qui conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte iunguntur.*

5 Pro praxi tamen aliqua notanda ſunt. Primò, triplicem eſſe coniunctionem inter homines. Vnam ſanguinis, qualis eſt inter parentes & filios, inter fratres & ſorores, & generatim inter quoſcunque conſanguineos. Alteram politicam, qualis eſt inter amicos, contubernales, ciues eiuſdem loci, ſocios militiæ, mercaturæ, ſtuſtiorum, &c. Tertiam ſpiritualem, qualis eſt inter fideles ratione fidei (quos Apoſtolus domeſticos fidei vocat) inter religioſos eiuſdem ordinis, inter confeſſarium & confitentem, inter Parochum & parochianos.

6 Secundò, duplicia eſſe bona temporalia & ſpiritualia. Et ex temporalibus quædam pertinere ad opes & diuitias; alia ad famam & honorem; alia ad vitam corporalem. Denique ex his bonis quædam eſſe debita coniunctioni ſanguinis, quædam politicæ, quædam ſpirituali, quædam omnibus & ſingulis. Igitur hæc regula ſeruanda eſt. Quando ſunt duo in aliqua neceſſitate, ſiue temporali, ſiue ſpirituali, ſi non potes vtrique ſuccurrere, teneris illum præferre, & pluris æſtimare, qui tibi omnibus conſideratis, coniunctior eſt: idque quoad ea bona, quæ tali coniunctioni debita ſunt.

7 Iuxta hanc regulam, parentes præferendi sunt filiis; consanguinei extraneis, amici inimicis, quoad ea bona temporalia & spiritualia, quæ illis debentur in necessitate. Item parentes & filii spirituales præferendi sunt consanguineis, quoad bona spiritualia, non tamen quoad temporalia. Ratio est quia quoad spiritualia magis coniuncti sunt diligenti seu amanti, non item quoad temporalia. Vide plura apud D. Thomam, art. 8. & Valentiam quæst. 4. p. 5. in explicatione tertiæ regulæ.

CAPVT XX.

De internis actibus Charitatis.

1 DIuus Thomas q 27. & tribus sequentibus, ponit vnum internum actum charitatis, nempe dilectionem: Et tres internos illius effectus, gaudium, pacem, misericordiam. Pro maiori explicatione aliquid addendum est.

Igitur interni actus charitatis sunt duplices: alij consistunt in prosecutione boni, alij in fuga mali. Priores sunt hi. 1. Amor beneuolentiæ, quo volumus Deo, nobis, proximis, aliquod bonum propter Deum, abstrahendo à præsentia vel absentia illius boni. 2. Desiderium, quo volumus illis aliquod bonum absens, quod non habent. Hoc desiderium si sit inefficax, potest vocari simplex desiderium: si efficax, dilectio. 3. Gaudium quo volumus illis aliquod bonum præsens, quod iam habent; & de illo delectamur.

2 Posteriores sunt hi. 1. Odium seu detestatio peccati, quatenus est offensa Dei. Sicut enim motiuum amoris est bonitas Dei, sic motiuum odij est malitia peccati, quæ offendit bonitatem Dei. 2. Timor peccati seu offensæ Dei. Nam ex eo, quod amamus Deum, timemus eum offendere per peccatum. 3. Tristitia de peccato seu offensa Dei. Sicut enim ex charitate gaudemus de honore & gloria Dei; ita ex eadem charitate

tristamur de offensa Dei. Vide quæ diximus in priori Tomo, tract. 1. c. 3. q. 1.

3 Pax animi, est effectus charitatis: & includit duplicem vnionem. Vnam inter voluntatem, & appetitum sensitiuum in eodem homine. Alteram inter voluntates diuersorum hominum. Vtramque efficit charitas. Nam qui diligit Deum ex toto corde, habet appetitum sensitiuum subiectum & obsequentem voluntati. Et qui diligit proximum sicut seipsum, habet vnionem propriæ voluntatis cum voluntate proximi. Hinc sequitur, solos iustos habere pacem animi, de quibus dictum est Psal. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Impios non habere, iuxta illud Isaiæ 48. 22. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Nam in impiis duplex est dissensio, quæ duplici pacis vnioni opponitur. Vna inter propriam voluntatem & appetitum sensitiuum. Galat. 5. 17. *Caro concupiscit aduersus Spiritum.* Altera inter propriam & alienam voluntatem. Prou. 17. 10. *Inter superbos semper sunt iurgia.*

4 Dices, Homines iusti aliquando inter se dissentiunt, vt patet in Augustino & Hieronymo, qui de variis rebus habuerunt discrepantes opiniones. Item in duobus Apostolis, Paulo & Barnaba, inter quos *facta est dissensio.* Act. 15. & 8. Respondeo. Dissensio opinionum, quæ est in intellectu, potest consistere cum pace & vnione voluntatum, vt docet Diuus Thomas quæstione 29. art. 3. ad 2.

5 Misericordia, prout sumitur à D. Thoma quæst. 30. art. 1. est dolor de malo alterius inuoluntario. Et sic non est actus charitatis, nisi quatenus à charitate potest imperari; sed est actus alterius virtutis, quæ etiam vocatur misericordia, vt docet idem author, art. 3. Et ratio est, quia dolor, qui est actus charitatis, versatur circa malum culpæ, quod est voluntarium. Dolor autem, de quo hîc agimus, versatur circa malum miseriæ, quod

est inuoluntarium. De hoc dolore loquitur Augustinus libro 9. de Ciuitate Dei, cap. 5. cùm ait: *Quid est misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua utique si possimus, subuenire compellimur?* Hinc colligitur aliud discrimen inter misericordiam & charitatem. Nam ex virtute charitatis dolemus de malo culpæ, non solùm alienæ, sed etiam propriæ. Ex virtute autem misericordiæ, dolemus tantùm de malo miseriæ alienæ, vt docet D. Thomas, art. 1. ad 2.

CAPVT XXI.

De externis actibus Charitatis.

DIuus Thomas q. 31. 32. & 33. ponit tres externos actus charitatis: Beneficentiam, Eleemosynam, & correctionem fraternam. De quibus breuiter agendum est.

1 Beneficentia est actus externus charitatis, quo alteri ex interno affectu charitatis bene facimus, seu beneficium aliquod præstamus in externa executione. (q. 31. art. 1. & 4.) Eleemosyna est externus actus misericordiæ, quo alterius miseriam subleuamus: qui actus potest imperari à charitate. (q. 32. art. 1.) Correctio fraterna est externus actus charitatis, quo conamur alium à peccato reuocare. (quæst 33. art. 1.) Circa duos posteriores actus occurrunt aliquot dubia.

De Eleemosyna.

2 Dubium 1. quotuplex sit Eleemosyna? Respondeo. Est duplex, corporalis & spiritualis. Ratio est, quia Eleemosyna est actus misericordiæ, quo subleuamus alterius miseriam, vt dixi. At miseria alterius est duplex, corporalis & spiritualis: Ergo etiam duplex Eleemosyna. Et quidem opera Eleemosynæ corporalis sunt hęc septem. 1. Esurientes pascere. 2. potum dare sitientibus. 3. operire nudos. 4. captiuos redimere. 5. ægrotos inuisere. 6. hospitio peregrinos suscipere. 7. mortuos

sepelire. Totidem sunt opera Eleemosynæ spiritualis. 1. peccantes corrigere. 2. ignorantes docere. 3. dubitantibus rectè consulere. 4. pro salute proximi Deum orare. 5. consolari mœstos. 6. ferre patienter iniurias. 7. offensam remittere. Vide D. Thomam q. 32. art. 2. & Bellarminum lib. 3. de bonis operibus, cap. 2.

3 Dubium 2. quam vim habeat Eleemosyna corporalis? Respondeo. Habet vim remittendi peccata, & liberandi à morte æterna; & conseruandi in gratia. Tobiæ 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et Dan. 4. 24. *Peccata tua Eleemosynis redime.* Et Lucæ 11. 41. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Porro hanc vim remittendi peccata, non habet ex opere operato, sicut habent Baptismus & Pœnitentia; quia hoc neque ex Scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ probari potest. Nec habet per modum dispositionis, sicut habet contritio & dilectio Dei super omnia, quia alioqui posito actu Eleemosynæ, infallibiliter daretur gratia iustificans, quod falsum est, ex illo 1. Cor. 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vbi actus Eleemosynæ sine charitate nihil prodest. Prodesset autem, si esset infallibilis dispositio ad gratiam. Vnde ergo habet illam vim? Ex duplici capite. Primò, ex parte causæ, quatenus scilicet imperatur ex charitate. Nam qui dat Eleemosynam ex affectu charitatis, consequitur gratiam à Deo: qui sine charitate non consequitur. Secundò, ex parte effectus, quatenus scilicet is, qui accipit Eleemosynam, mouetur & incitatur ad orandum pro eo, à quo accipit, & orando impetrat illi gratiam & remissionem peccati, iuxta illud Ecclesiastici 29. 15. *Conclude Eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Vide Diuum Thomam q. 32. art. 4. & Valentiam q. 9. p. 3.

4 Dubium 3. An sit aliquod præceptum de danda Elee-

mosyna corporali? Respondeo. Omnino est. Et colligitur primo ex illo Ecclesiastici 4. 1. *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Et infrà v. 8. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* At quod debitum est, cadit sub præceptum: Et qui defraudat aliquem debito suo, facit contra obligationem præcepti. Secundò, ex illo Matthæi 25. 41. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Vnde sic concludo: Qui negligunt dare Eleemosynam, peccant mortaliter & condemnantur: Ergo peccant contra aliquod præceptum, quo obligantur dare Eleemosynam. Tertiò, ex illo Prou. 21. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Vnde sic: Qui punitur à Deo, peccat contra aliquod præceptum, sed qui non dat Eleemosynam, punitur à Deo, quia Deus non vult illum exaudire, quæ magna pœna est: Ergo peccat contra aliquod præceptum. At quod illud est, nisi præceptum Eleemosynæ? Quartò, ex illo Ioan. 3. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vnde sic: Quicquid in hac vita non potest consistere cum charitate, peccatum est: sed omissio Eleemosynæ non potest consistere cum charitate: Ergo peccatum est: At omne peccatum est transgressio alicuius præcepti: Ergo extat aliquod præceptum de danda Eleemosyna.

5 Dubium 4. quando obliget hoc præceptum? Respondeo. Non obligat sub mortali in his casibus. Primò, quando non habes, vnde des Eleemosynam; quia non teneris ad impossibile. Secundò, quando habes quidem, sed nescis proximum esse in necessitate; quia non teneris subleuare miseriam alterius, quam ignoras. Vtrumque casum insinuat Apostolus verbis suprà citatis: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & vi-*

derit fratrem suum necessitatem habere. Si ergo nec habeas substantiam, nec videas proximum in necessitate, non teneris. Tertiò, quando scis proximum esse in necessitate, sed certo aut probabiliter constat, quod ab alio iuuabitur; quia tunc moraliter cessat esse in necessitate. Habet enim paratum præsidium, quo necessitas subleuetur. Secus est, si constet quidem ab aliis iuuari posse, sed non constat, quod reipsa ab aliquo iuuabitur. Tunc enim teneris illi succurrere. Quartò, quando ex vna parte proximus non est in extrema necessitate, & ex altera, non potes illi subuenire, nisi veniendo vel ad parem, vel ad maiorem necessitatem. Tunc enim non teneris. Nam vt suprà dixi, ordo charitatis postulat, vt in pari necessitate teipsum magis diligas, quã proximum.

6 Obligat autem in his casibus. Primò, quando potes subuenire proximo in extrema necessitate constituto. Tunc enim teneris illi dare Eleemosynam ex iis, quæ tibi superflua sunt. Ita D. Thomas quæst. 32. art. 5. & alij passim. Est tamen aliqua dissensio. Nam aliqui putant te teneri ex iis tantùm, quæ omnino superflua sunt, & nullo modo vel vitæ, vel statui necessaria. Ita Antoninus & Rosella apud Valentiam quæst. 9. part. 4. Alij contrà, te teneri ex superfluis naturæ, licet non sint superflua statui, sed necessaria. Ita Valentia ibidem. Ratio est, quia in extrema necessitate, pluris æstimanda est vita proximi, quàm propria bona temporalia, quæ ad vitam propriam non sunt necessaria, sed superflua.

7 Secundò, obligat, quando proximus, qui est in extrema necessitate, talis est, vt ab ipsius vita notabiliter pendeat salus Reipublicæ aut Ecclesiæ. Tunc enim si potes, teneris illi succurrere, non tantùm ex necessariis ad statum, vt in priori casu dixi, sed etiam ex necessariis ad vitam. Ita Caietanus quæst. 32. art. 6. Valentia loco citato, & alij passim. Ratio est, quia bonum publicum præferendum est priuato, vt suprà dixi de ordine charitatis.

8 Tertiò, obligat, quando proximus non est in extrema, sed tamen in cõmuni necessitate, in quo solent esse quotidiani pauperes. Tunc enim si habes superflua, quæ neque ad vitam, neque ad decentiam status necessaria sunt, teneris illi succurrere, & eleemosynam ex superfluis dare. Ita D. Thomas, Richardus, Paludanus, & plures alij apud Valentiam, tametsi aliquid contra sentiant. Et colligitur ex illo Lucæ 11.41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi Christus præcipit Pharisæis, si velint mundari à peccatis, vt ex superfluis dent eleemosynã. Hoc enim significat illa particula, *quod superest*, nempe victui & vestitui. Græcè est, τὰ ἐνόντα, pro τὰ κατὰ τὰ ἐνόντα id est, pro facultatibus vestris, prout quisque potest. Et hic est verus sensus, vt notat ibid. Maldonatus. Deinde ex illo 1. Timothei 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.* Vbi insinuatur, extare præceptum, quo diuites obligentur superflua in eleemosynam erogare. Accedit triplex ratio. Vna, quia qui non dat eleemosynam ex superfluis ostendit se non habere charitatem & misericordiam erga proximos, vt suprà ex Apostolo ostensum est: Ergo charitas & misericordia obligat in tali casu. Altera, quia diuisio rerum, quæ communi gentium consensu facta est, sine dubio rectè facta est: Ergo qui post factam diuisionem, abundant rebus, tenentur aliis, qui indigent, ex superfluis succurrere. Alioqui si non tenerentur, iam licitè retinerent omnia superflua, & sic diuisio facta esset in præiudicium & damnum indigentium, ac consequenter non esset prudenter facta. Tertia, quia sunt multi & graues authores, qui putant diuites obligari ad dandam eleemosynam ex necessariis ad statum, etiam extra casum extremæ necessitatis proximi, dummodo sit aliqua grauis necessitas: Ergo multo magis obligantur id præstare ex superfluis. Vide plura apud Valentiam.

9 Dubium 5. An satisfaciat huic præcepto, qui proximo in extrema necessitate constituto, succurrit quidem, non tamen gratis dando, sed tantum mutuo concedendo rem illam, qua proximus tunc eget? Respondeo. Non satisfacit. Ratio est, quia quando præcipitur actus certæ alicuius virtutis, vt charitatis vel iustitiæ, tunc non satisfit præcepto, nisi per illum actum, qui præcipitur: At in hoc casu, de quo agimus, præcipitur actus misericordiæ, qui consistit in gratuita donatione: Ergo non satisfit huic præcepto per actum concessionis mutui, qui non est actus misericordiæ, sed iustitiæ.

10 Dices: Præceptum eleemosynæ non obligat determinatè ad actum gratuitæ donationis, sed disiunctiuè ad alterutrum, vel vt des mutuum cum onere restituendi. Ita cum Adriano sentit Nauarrus in Manuali c. 17. num. 61. & c. 24. n. 5. Ratio ipsorum est, quia finis præcepti est, vt succurratur necessitati alterius: At vtroque modo potest illi succurri, vel per gratuitam donationem, vel per concessionem mutui: Ergo.

11 Respondeo. Hæc sententia destruit præceptum eleemosynæ contra communem Patrum ac Theologorum sententiam. Si enim alterutrum satis est, vel dare eleemosynam, vel dare mutuum, iam nullus erit casus, in quo obliget præceptum eleemosynæ per se, quia semper sufficiet dare mutuum: Nec obstat contraria ratio. Non enim satisfit præcepto, si quocunque modo consequaris finem præcepti, sed necesse est illum consequi per illum actum, qui præcipitur, v. g. Præcipitur nobis ieiunium, ad hunc finem, vt caro subiiciatur spiritui. Huic præcepto non satisfit, si illum finem consequaris per alias corporis afflictiones, sed necesse est illum consequi per actum ieiunij, qui per se præceptus est, alioqui nunquam obligaret præceptum ieiunij per se.

12 Dices 2. Si alicui, qui à latronibus spoliatus, & veste exutus est, mutuo dem meam vestem in tali necessi-

tate, possum illam postea repetere, quando alter amplius non indiget: Ergo sufficit dare mutuum, & non requiritur gratuita donatio. Idem dici potest de cibo, potu, pecunia, & similibus. Respondeo. Hæc regula seruanda est. Illi, qui in extrema necessitate constitutus est, teneor succurrere si possum, per gratuitam donationem illius, quo tunc indiget. Si ergo indiget solo vsu alicuius rei (vt fit in rebus, quæ vno vsu non consumuntur) teneor illi succurrere per gratuitam donationem illius rei. Sufficit hanc mutuo dare cum onere restituendi. Intellige, si alter potest restituere. Secus est de pauperibus qui non possunt. Si autem indiget vsu ac re simul (vt fit in rebus quæ ipso vsu consumuntur) teneor illi succurrere per gratuitam donationem vtriusque, tam rei, quam vsus. Vnde sequitur, non esse eandem rationem de veste, quæ est de cibo & potu. Nam vestis non consumitur vno vsu, ac proinde aliquando sufficit dare vsum, etiamsi vestis ipsa non detur. At cibus & potus consumuntur ipso vsu, ac proinde non sufficit dare vsum sine re, sed vtrumque simul dandum est.

13 Hæc omnia intelligenda sunt de eo, qui simpliciter & absolutè eget, vt sunt pauperes. Nam si aliquis esset, qui Viennæ quidem indigeret, sed Pragæ diuus esset, non teneret illi succurrere per gratuitam donationem, sed sufficeret mutuum illi dare, cum onere postea restituendi, vt docet Sotus lib. 4. de iustitia & iure, quæstione 7. art. 1. circa finem, Bannes quæst. 32. art. 6. dub. 3. & Valentia q 9. p. 4.

14 Dubium 6. An qui omittit hoc præceptum de danda eleemosyna, teneatur ad restitutionem pauperibus faciendam? Respondeo. Non tenetur ex præcepto charitatis, aut misericordiæ. Ita Alensis, Adrianus, Nauarrus & alij apud Valentiam. Ratio est, quia obligatio restitutionis non oritur nisi ex præcepto iustitiæ, vt notum est. Potest autem aliquis obligari ex præcepto

iustitiæ, si illi committatur aliqua pecunia in pauperes distribuenda. Tunc enim ex iustitia tenetur distribuere: & si non facit, obligatur ad restitutionem. An autem Ecclesiastici teneantur ad restitutionem, si non dent eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis, quæ ipsis superflua sunt, pendet ex alia quæstione, an scilicet Ecclesiastici habeant dominium bonorum Ecclesiasticorum, an tantum dispensationem? Quæ quæstio alibi disputanda est.

15 Dubium 7. Ex quibus rebus liceat facere eleemosynam? Respondeo. 1. Non licet facere eleemosynam ex rebus alienis, nisi in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia. Ita D. Thom. art. 7. ad 3. Ratio est, quia eleemosyna debet esse gratuita donatio, vt dictum est. At non licet rem alienam donare, sine consensu Domini. Licet tamen cum consensu, siue expresso, siue rationabiliter præsumpto; quo pacto interdum filius ex bonis paternis, vxor ex bonis mariti, seruus ex bonis heri, solet facere eleemosynam.

16 Respondeo 2. Potest aliquis facere eleemosynam ex rebus propriis, & honestè acquisitis, si habeat illarum dominium, & plenam administrationem. Imo tenetur, iuxta ea quæ dicta sunt. Si autem vel non habeat dominium (vt si bona ipsius confiscata sunt) vel non habeat plenam administrationem (sicut non habent pupilli, minorennes, amentes) non potest.

17 Respondeo 3. Ex rebus turpiter acquisitis aliquando licitum est facere eleemosynam, aliquando non. Tunc licitum est, quando acquisitio non est per se turpis & illicita, sed solum propter aliquam turpem circunstantiam; quo pacto acquiritur aliquid per meretricium, aut per emptionem, quæ loco aut tempore prohibito facta est. Tunc non est licitum, quando acquisitio per se est turpis & illicita ex parte acquirentis; qualis est acquisitio per furtum, rapinam, vsuram, donatio-

nem vi extortam. Ratio est, quia in priori casu acquiritur verum dominium rei: in posteriori non item: Ergo res, quæ priori modo acquiritur, est propria: quæ posteriori, aliena. At non licet facere eleemosynam ex re aliena, licet autem ex propria.

18 Excipitur vnus casus. Nam si acquisitio sit turpis & illicita, non solum ex parte accipientis, sed etiam ex parte dantis, vt fit in contractu simoniaco, tunc licet acquirenti facere eleemosynam ex pecuniis simoniacè acquisitis, tametsi non habeat illarum dominium. Ratio est, quia non potest huiusmodi pecunias pro se retinere, cum sint alienæ: nec tenetur eas restituere illi, à quo accepit, quia is in pœnam peccati simoniæ meretur eas amittere. Superest igitur, vt per modum eleemosynæ dentur pauperibus. Vide Diuum Thomam art. 7. Valentiam q. 9. p. 5. & alios.

19 Dubium 8. Quinam possint facere eleemosynam? Respondeo. Illi omnes & soli possunt facere, qui habent plenam administrationem suarum rerum, seu bonorum temporalium. Deinde illi, qui ab ipsis consensum habent, vt filius ex consensu patris, vxor ex consensu viri, seruus ex consensu Domini, siue expresso, siue rationabiliter præsumpto. quod si filius, aut vxor, aut seruus habeant propria bona, quæ ab aliis non dependent, possunt ex iis facere moderatam eleemosynam, sine consensu aliorum. Filius quidem ex bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus: vxor ex paraphernalibus: seruus ex bonis proprio labore sibi acquisitis. (Diuus Thomas art. 8.) Hoc intellige, nisi in aliquo regno vel prouincia obstet specialis prohibitio, quo pacto in Hispania prohibitum est, ne vxor ex bonis propriis possit facere eleemosynam sine consensu viri, vt notat Valentia, q. 9. p. 6. Bannes, q. 32. art. 8. & alij.

20 Dubium 9. Quibus facienda sit eleemosyna? Respondeo, iis omnibus, qui indigent, siue sint iusti, siue

impij, siue amici, siue inimici, iuxta illud Rom. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Et in hoc imitamur patrem nostrum, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* (Matth. 2. 45.) Et ratio est, quia tenemur omnes proximos in hac vita diligere ex charitate, sicut nosipsos: Ergo tenemur illis benefacere, quando indigent. Huc spectat illud 1. Ioan. 3. 18. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

21 Dices, Scriptura docet non esse dandam eleemosynam peccatoribus, sed solis iustis. Eccl. 12. 1. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam.* Et versu 4. *Da misericordi, & ne susciperis peccatorem.* Et infrà: *Da bono, & ne receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio.* Respondeo. Ita quidem sentit VVicleffus apud Thomam VVaddensem tom. 3. lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 91. Sed non rectè. Tametsi enim non sit danda eleemosyna pauperibus, quatenus peccatores sunt, id est, vt per eam in peccato foueantur, danda tamen illis est, quatenus homines sunt, id est, vt per eam natura humana sustentetur. Ita D. Thom. art. 9. ad 1.

22 Dubium 10. Quo ordine facienda sit eleemosyna? Respondeo. Ex iis, qui versantur in extrema necessitate, si non potes omnibus simul succurrere, præferendi sunt illi, qui tibi coniunctiores sunt, iuxta ea, quæ diximus de ordine charitatis. Ex iis autem, qui non versantur in extrema necessitate, sed tamen indigent, vt sunt quotidiani pauperes, potes eos præferre, quos prudenter præferendos iudicaueris: siue id facias, quia coniunctiores tibi sunt, siue quia modestiores, siue quia pientiores, siue ob aliam causam rationabilem. In qua re cauendum est scandalum. Esset autem scandalum, si semper præferres hæreticos Catholicis, aut proteruos modestis, & sic deinceps.

23 Hîc quæri potest, an recte faciant illi, qui ex suis

ciuitatibus excludunt pauperes peregrinos? Respondeo. Rectè, si id faciant ob has causas. 1. quia pauperes domestici peregrinis præferendi sunt, si vtrisque satisfieri non possit. 2. Quia peregrini sæpè inferunt morbos, corruptelas, hæreses, contentiones, proditiones. 3. Quia multi ex illis sano & integro sunt corpore, qui si admittantur, computrescunt in otio, & aliis peccatis inde consequentibus: si excludantur, cogitant de victu per labores acquirendo, quod honestius est.

De correctione fraterna.

24 Correctio fraterna, vt suprà dixi, est externus actus, quo conamur alium salutaribus verbis à peccato reuocare, & ad meliorem frugem perducere. Et quidem si conamur illum reuocare à peccato, quatenus peccatum est offensa Dei, est actus charitatis: si autem, quatenus peccatum & pœna illi debita, est quædam miseria proximi, est actus misericordiæ. Et hoc modo solet reuocari ad eleemosynam spiritualem. De hoc actu proponi possunt hæc dubia.

25 Dubium 1. An sit aliquod præceptum de correctione fraterna? Respondeo. Est duplex. Alterum naturale, quo membra vnius corporis tenentur se mutuo iuuare 1. Corinth. 12. 26. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Alterum diuinũ positiuum, Matth. 18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Vbi illa particula *in te*, dupliciter exponi solet. Primo, *in te*, id est, contra te. Secundo, *in te*, id est, te sciente. Prior expositio est conformior textui, vt patet ex quæstione Petri, quę sequitur; *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Et ex Luca cap. 17. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Nihilominus sicut ex vi huius præcepti, tenemur corri-

pere proximum, quando contra nos peccat, sic etiam, quando aliter peccat. Vide Maldonatum in hunc locum, & Valentiam quæst.10. p. 2.

26 Dubium 2. Quando obliget hoc præceptum? Respondeo Tunc obligat quando concurrunt hæ circumstantiæ. 1. Si certo aut probabiliter scias proximum peccasse. 2. Si non resipuerit. 3. Si sit spes resipiscendi. 4. Si indigeat correctione. 5. Si non sit alius, à quo commodius corripiatur. 6. Si sit occasio corripiendi. Denique si peccatum ipsius sit mortale, aut periculosum veniale. Si desit aliqua ex his circumstantiis, non obligat. Vide Valentiam loco citato.

27 Dubium 3. An obliget omnes? Duplex hîc difficultas est. Vna, an etiam subditi teneantur corripere suos Prælatos, præsertim cum non habeant iurisdictionem & authoritatem, quæ videtur requiri ad legitimam correctionem. Altera, an peccatores teneantur corripere alios peccantes. Cum enim ipsimet reprehensibiles sint, deberent seipsos potius corripere, quàm alios. Alioqui dicetur ipsis, *Medice, cura teipsum.* (Lucæ 4.23.) Item, *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.* (Matth. 7. 5.) Respondeo 1. Hoc præceptum, de correptione fraterna, obligat omnes, etiam subditos & peccatores, quando concurrunt circumstantiæ iam assignatæ. Ita Diuus Thomas quæst. 33. art. 4. & 5. Et probatur primo, quia omnes sunt membra vnius corporis. Secundo, omnes tenentur proximum diligere ex charitate: Ergo etiam externa charitatis officia præstare, quando necesse est. Tertio, quia correctio, de qua agimus, non est iuridica, sed fraterna, quæ non requirit authoritatem aut iurisdictionem, sed amorem & misericordiam: Ergo ex hac parte non eximuntur subditi. Quarto, sicut peccatum mortale non liberat hominem ab obligatione aliorum præceptorum, ita

neque

neque ab obligatione huius præcepti de correctione fraterna : Ergo ex hac parte nec peccatores excusari possunt.

28 Respondeo 2. Quamuis tam Prælati, quàm subditi obligentur ad correctionem fraternam, quando necesse est, tamen Prælati magis obligantur, quàm subditi. Hi enim vno titulo tantum obligati sunt, nempe charitatis. Illi duplici titulo : altero charitatis, altero officij, quatenus specialiter illis incumbit cura subditorum in rebus ad salutem animæ spectantibus Vide D. Thom. artic. 3. ad 1. & D. Augustinum lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 9.

29 Respondeo 3. Peccator, tametsi teneatur proximum corripere, quando necesse est, potest tamen variis modis peccare in vsu correctionis. Primo, si non seruet ordinem, de quo in sequenti dubio. Secundo, si corrigat alterum ex interna superbia. Quod tunc fit, quando non considerat proprium peccatum, etiamsi graue sit, & tamen vult reprehendere alienum, etiamsi leue sit. Hoc enim signum est proprij amoris ac superbiæ, quia pluris æstimat seipsum, quàm alium. Huc spectat illud Matthæi 7. 3. *Quid vides festucam in oculis fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Hoc morbo laborabant Pharisæi. Tertio, si corrigat alterum cum externo scandalo. Quod tunc fit, quando ipsius peccatum est publicum & scandalosum, neque adhuc per pœnitentiam sublatum. Quarto, si alioquin non sit rectè dispositus ad corripiendum, vt si procedat ex odio vel alio prauo affectu : Si in correptione sit acerbus, si non spectet salutem eius, quem corripit, sed alium finem indebitum. Vide D. Thom. q. 33. art. 5. & D. Augustinum lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 19.

30 Dubium 4. Quo ordine fieri debeat correctio fraterna? Respondeo. Eo ordine, quem Christus præscripsit. Nempe, vt primo corripias proximum in secreto.

Corripe eum, inquit, *inter te & ipsum solum*. Secundo, Si hoc non prodest, vt coram testibus id facias: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*. Tertio, si neque hoc prodest, vt illum deferas ad Prælatum Ecclesiæ: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Denique, si hoc etiam frustra est, vt habeas illum pro contumaci & excommunicato: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Hinc sequitur, non licere deferre peccatum proximi ad superiorem, nisi prius secreto, deinde coram testibus monitus, non acquieuerit.

31 Dubium 5. An hic ordo semper sit seruandus? Respondeo. In his casibus non necessario seruandus est. Primo, quando peccatum proximi est publicum. Tunc enim non opus est præmittere secretam correptionem, sed potest publicè corripi. Ratio prioris partis est, quia secreta correptio instituta est, vt consulatur famæ proximi, & peccatum illius non publicetur. Si ergo iam publicum est, non opus est secreta correptione. Ratio posterioris, quia quando peccatum est publicum, tunc non solum peccati adhibendum est remedium, vt emendetur, sed etiam aliis, ne & ipsi liberius peccent, si videant publica peccata manere impunita. Hoc sensu loquitur Apostolus 1. Timoth. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*. Ita D. Thom. art. 7.

32 Secundo, quando peccatum proximi, tametsi occultum sit, vergit in detrimentum aliorum, & non videtur efficaciter ac tempestiuè occurri posse per priuatam monitionẽ; vt si aliquis clam moliatur proditionem vel incendium ciuitatis, aut si occultè inficiat alios hæresi. Tunc enim immediatè ad superiorem recurrendum est, vt efficaciter ac tempestiuè impediat eiusmodi malum. Ita Diuus Thomas articulo citato. Ratio est, quia in tali casu pluris æstimanda est salus alio-

tum, qui innocentes sunt, quàm fama vnius, qui nocens est.

33 Tertio, quando quis prudenter iudicat, qualecunque tandem sit peccatum proximi, se nihil effecturum, seruando ordinem correptionis, sed melius fore, si relicta secreta monitione, vel inductione testium, immediatè procedatur ad superiorem, vt is opportunum remedium adhibeat. Ita D. Thom. art. 8. ad 1. Ratio est, quia ordo ille institutus est ad emendationem proximi; si ergo prudenter iudicamus eiusmodi ordinem non profuturum, possumus illum intermittere, & id facere, quod ad eundem finem videbitur vtilius.

Quarto, quando proximus, propter maiorem profectum spiritualem paratus est, & paratum se esse profitetur, vt ipsius imperfectiones & peccata, tametsi occulta, manifestentur superiori, & ab eo corrigatur, nulla præmissa secreta monitione. Et hoc laudabiliter fit apud quosdam religiosos, qui suo iuri de conseruanda fama, in hoc puncto renunciant. Vide Valentiam, quæst. 10. p. 5.

CAPVT XXII.

De habitu Charitatis, eiusque augmento & corruptione.

QVæritur 1. An præter actum Charitatis detur aliquis habitus à Deo infusus, à quo actus ille eliciatur. 2. An ille habitus realiter augeri possit. 3. An augeatur per solos actus intensiores, an etiam per æquè intensos, aut remissiores. 4. An possit augeri in infinitum. 5. An Charitas viæ possit esse tam perfecta, quàm Charitas patriæ. 6. An possit minui aut corrumpi per peccatum.

I. QVÆSTIO.

An detur habitus Charitatis à Deo infusus?

1 MAgister in 1. distinctio. 17. putat non dari habitum Charitatis à Deo infusum, nec charitatis actum procedere ab habitu, sed à Spiritu Sancto, supplente vicem habitus. Itaque hoc esse discrimen inter Fidem, Spem, & Charitatem, quod Spiritus Sanctus efficiat in nobis actum Fidei & Spei, mediante habitu: actum vero Charitatis, immediatè per seipsum.

2 At communis Theologorum sententia est, præter actualem dilectionem, qua diligimus Deum, dari etiam habitum charitatis à Deo infusum, qui sit principium actualis dilectionis. Et probatur primo ex illo Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vbi Apostolus loquitur de Charitate Dei, non qua Deus nos diligit, sed qua nos Deum diligimus, vt exponit Augustinus libro de spiritu & litera, cap. 32. & Conc. Tridentinum, sess. 6. cap. 7. Si ergo charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, necessario distinguitur à Spiritu Sancto, tanquam effectus à sua causa.

3 Dices, Apostolus loquitur de charitate actuali, quam Spiritus Sanctus in nobis efficit, non de habituali. Respondeo. Loquitur de charitate, quæ diffusa est in cordibus nostris per modum doni permanentis, non transeuntis. Sicut etiam 1. Corinth. 13. 13. *Nunc autem manet Fides, Spes, Charitas.* Et 1. Ioan. 3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet.* Vbi per semen, quod manet in homine iusto, intelligitur gratia & charitas habitualis.

4 Secundo probatur ex Conc. Tridentino, sess. 6. c. 6. & 7 vbi duo asserit. Vnum est, Hominem disponi ad iustificationem per actum fidei, timoris, spei, dilectionis, detestationis peccati, & propositi seruandi mandata

Dei. Alterum, Homini sic disposito infundi in ipsa iustificatione, Fidem, Spem, & Charitatem. Hoc posterius non potest intelligi de actu Fidei, Spei, & Charitatis, sed de habitu: quia actus est dispositio præcedens. Ergo id, quod in ipsa iustificatione infunditur, non est actus, sed habitus.

5 Tertio ex Patribus, qui charitatem numerant inter virtutes. Constat autem per virtutem non intelligi actionem honestam, sed habitum, qui honestæ actionis principium est, vt docet Augustinus libro 4. contra Iulianum, cap. 3. vbi ait: *Virtus est animi habitus.* Denique accedit ratio, quia si actus Fidei & Spei procedit ab habitu, cur nō similiter actus Charitatis? Aut si actus Charitatis non indiget habitu, cur actus Fidei & Spei indigebit? Est enim, quoad hoc, par ratio.

6 Obiicitur illud 1. Ioan. 4. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vbi Apostolus sic argumentatur: Cùm Deus sit charitas, necesse est eos, qui in charitate manent, in Deo manere. Quæ consequentia nulla esset, si per charitatem intelligeretur aliquis habitus, & non potius ipse Deus, qui mouet voluntatem ad actualem dilectionem. Respondeo. Apostolus loquitur de duplici charitate. Vna, qua Deus nos diligit: *Deus charitas est.* Altera, qua nos Deum diligimus: *Qui manet in charitate.* Igitur sensus est: qui manet in charitate, qua diligit Deum, manet etiam in charitate, qua diligitur à Deo. Et quia charitas, qua diligitur à Deo, est ipse Deus, ideo dicitur manere in Deo.

II. QVÆSTIO.

An habitus Charitatis realiter augeri possit, & quomodo?

1 DVplex argumentum sanctitatis spectari potest in homine iusto. Vnum morale, quo homo iustus per bona opera moraliter fit sanctior, instior, & Deo gratior: & sic ad maiorem gloriā acceptatur. Sicut

è contrario, peccator per mala opera moraliter fit deterior, ac Deo detestabilior: & sic ad maiorem pœnam destinatur. Alterum physicum seu reale, quo habitus charitatis & gratiæ iustificantis, qui sunt in homine iusto, acquirunt maiorem intensionem in sua reali entitate: siue illa intensio consistat in firmiori radicatione in subiecto, vt volunt Thomistæ: siue in additione nouorum graduum qualitatis, quod est probabilius.

2 Prius augmentum potest separari à posteriori. Nam si non daretur habitus charitatis aut gratiæ, tunc per bona opera non fieret augmentum physicum, sed morale: quia homo iustus non acquireret intensiorem habitum, sed fieret magis Deo dilectus ac gratus. Nunc autem, quia supponimus dari eiusmodi habitum, connexum est vtrumque augmentum. Nam per bona opera non solum physicè augetur habitus charitatis, sed etiam homo moraliter fit sanctior & Deo gratior. Nos hîc disputamus de augmento physico: & quærimus, an hoc augmentum producatur à solo Deo, an etiam ab homine iusto.

3 Conclusio. Augmentum charitatis physicè & effectiuè pendet à Deo, meritoriè ab homine iusto. Nam homo iustus per bona opera meretur hoc augmentum: Et Deus physicè & effectiuè illud producit, ac confert homini iusto. Itaque respectu hominis, est præmium seu merces boni operis: respectu Dei, est effectus seu donum.

4 Quæres, An non possit effectiuè produci ab homine per bona opera? Ratio dubitandi est, quia sicut qualitates naturales physicè augentur & intenduntur per actiones naturales, vt calor per calefactionem, frigus per frigefactionem, temperantia per actum temperantiæ, & sic deinceps: Ita qualitates supernaturales physicè augeri & intendi possunt per actiones supernaturales, vt habitus fidei per actum fidei, habitus

ſpei & charitatis per actum ſpei & charitatis. Nam quæ eſt proportio inter actum & qualitatem naturalem, eadem eſt inter actum & qualitatem ſupernaturalem. Reſpondeo. Facile id concederem, niſi magni Theologi negarent. Cur negent, variæ à variis aſſignantur cauſæ. Vnam dabo à poſteriori, quæ eſt huiuſmodi. Augmentum charitatis eſt merces ſeu præmium boni operis, ex communi Theologorum ſententia: ergo non eſt connaturalis effectus boni operis. Eſſet autem connaturalis effectus, ſi ab homine iuſto, vi boni operis, produceretur.

III. QVÆSTIO.

An Charitas augeatur per ſolos actus intenſiores?

1 HAbitus charitatis conferri poteſt cum triplici genere actuum. 1. cum actibus, qui ſunt intenſiores ipſo habitu. 2. cum actibus æquè intenſis. 3. cum actibus remiſſioribus. quæſtio eſt, An per omnes hos actus meritoriè augeri poſſit. Variæ ſunt Scholaſticorum ſententiæ & longæ diſceptationes. Ego paucis expediam.

2 Prima Concluſio. Homo iuſtus per quemuis actum charitatis, ſiue ſit intenſus, ſiue remiſſus, meretur reale augmentum gratiæ & charitatis. Probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 32. vbi definit, hominem iuſtum *per bona opera, quæ fiunt per Dei gratiam & Chriſti meritum*, mereri augmentum gratiæ: At quilibet actus charitatis, ſiue ſit intenſus, ſiue remiſſus, eſt bonum opus, quod fit per Dei gratiam & Chriſti meritum: Ergo homo iuſtus per quemlibet actum charitatis, ſiue ſit intenſus, ſiue remiſſus, meretur augmentum gratiæ: & conſequenter augmentum charitatis.

3 Dices: Hæc vltima conſequentia non valet, quia augmentum gratiæ diſtinguitur ab augmento charitatis. Poteſt ergo augeri gratia, etiamſi non augeatur charitas. Reſpondeo. Verum eſt, illa duo augmenta

realiter distingui: (si verum est quod docet D. Thomas, habitum gratiæ realiter distingui ab habitu charitatis) sed tamen ita connexa sunt, vt in eodem homine non possit augeri gratia, quin simul augeatur charitas. Alioqui sequeretur, talem hominem, in quo maior esset gratia quàm charitas, magis Deo gratum esse, ratione maioris gratiæ, & minus Dei amicum esse, ratione minoris charitatis, quod est absurdum. Et confirmatur: quia gratia & charitas æqualem habent intensionem in beato: Ergo etiam in viatore. Antecedens patet, quia gratia & lumen gloriæ habent æqualem intensionem: ergo etiam visio & amor beatificus. Nam visio debet esse proportionata lumini: Et amor visioni. quo enim quisque perfectius Deum videt in cœlo, eo perfectius illum amat.

4 Dices 2. Quando Concil. Trident. dicit, hominem iustum per bona opera mereri augmentum gratiæ, potest intelligi de augmento morali. Nos autem disputamus de augmento physico. Respondeo. Debet intelligi de augmento, quod est præmium meriti. At morale augmentum non est præmium meriti, sed moralis quidam effectus, qui necessariò sequitur ex bono opere. Augmentum autem physicum non necessariò sequitur ex bono opere, sed per modum præmij confertur à Deo propter bonum opus. Hoc patet in beato, qui non accipit augmentum physicum propter bonum opus, quia non est in statu merendi. Accipit tamen augmentum morale.

5 Secunda Conclusio. Augmentum gratiæ & charitatis, quod meretur homo iustus per bona opera, statim confertur à Deo, & non differtur in aliud tempus. Nulla enim est causa dilationis, nec ex parte Dei, qui liberalissimus est, nec ex parte hominis iusti, qui nullum habet impedimentum.

IV. QVÆSTIO.

An Charitas possit augeri in infinitum?

1 ALiqui putant charitatem ex sua natura habere certum terminum, vltra quem augeri non possit, vt Scotus & Caietanus. Ratio est, quia charitas habet determinatam speciem & naturam: ergo etiam determinatum augmentum & intensionem. Alij contrà docent, charitatem non habere certum terminum ex sua natura, sed ex parte subiecti, vt Bonauentura & Richardus. Ratio est, quia subiectum charitatis est voluntas: at voluntas est potentia finita, tum in capacitate, vt non possit recipere habitum vel actum infinitum: tum etiam in actiuitate, vt non possit producere augmentum infinitum. Ergo debet esse certus terminus, vltra quem charitas non possit augeri in voluntate humana.

2 Prima Conclusio. Charitas ex sua natura non habet certum terminum, vltra quem augeri non possit, sed potest augeri magis, ac magis in infinitum. Ita D. Thomas quæstione 24. articulo 7. Ratio est, quia habitus charitatis ex sua natura potest esse tam intensus, quàm actus charitatis & visio beatifica: At actus charitatis & visio beatifica non habent ex natura sua certum terminum intensionis: Ergo nec habitus charitatis. Minor probatur, quia istæ duæ actiones immediatè versantur circa obiectum infinitum, nempe circa Deum, qui est infinitè amabilis & visibilis: ergo ex parte obiecti non habent certum terminum. Vnde, quantumcunque intensè quis videt aut amat Deum, adhuc potest intensius illum videre vel amare, quantum est ex parte obiecti. Est enim infinitè visibilis & amabilis, vt dixi.

3 Secunda Conclusio. Charitas non solùm ex sua natura, seu ex parte obiecti, sed etiam ex parte subiecti

potest augeri in infinitum. Ratio est, quia subiectum charitatis est voluntas. At voluntas dupliciter spectari potest. Primò, quoad capacitatem & actiuitatem naturalem. Sic habet determinatum terminum. Secundò, quoad capacitatem & actiuitatem obedientialem. Sic non habet certum terminum. Potest enim magis ac magis eleuari à Deo in infinitum; tam ad agendum, quàm recipiendum. Et confirmatur à posteriori, quia opera meritoria, quæ in hac vita facimus, possunt magis ac magis multiplicari sine certo termino: ergo meritum augeri potest sine certo termino: ergo & præmium quod respondet merito. At præmium consistit in amore & visione beatifica: Ergo visio & amor beatificus non habent certum terminum sui augmenti: ergo nec habitus charitatis.

4 Ad argumenta contraria sic respondeo. Ad 1. Ex eo, quod charitas habet determinatam naturam & essentiam, non sequitur, quod etiam habeat determinatum terminum sui augmenti, seu intensionis. Nam etiam quantitas habet finitam ac limitatam naturam, seu essentiam, & tamen potest augeri, sine certo termino in infinitum. Ratio est, quia essentia quantitatis aut qualitatis non variatur per multitudinem partium extensionis aut intensionis, quæ inter se continuantur, & eandem naturam participant; sed per diuersitatem graduum essentialem, ex quibus constat quidditas & species illius, in qualibet parte intensionis aut extensionis.

5 Ad 2. Voluntas est potentia finita, & certum terminum habet si spectatur secundum capacitatem & actiuitatem naturalem, vt dictum est. Si autem spectetur, quatenus ab agente infinito eleuari potest, sic non habet certum terminum capacitatis aut actiuitatis.

V. QVÆSTIO.

An Charitas viæ possit esse tam perfecta, quàm Charitas patriæ.

1 POtest esse quæstio vel de habitu, vel de actu charitatis. Item vel de perfectione intensionis, vel de obiectiua, tam essentiali quàm indiuiduali.

2 Prima Conclusio. Habitus charitatis potest esse tam intensus in aliquo viatore, quàm in aliquo beato: Imo etiam intensior. Ita D. Thomas opusc. 61. cap. 17. Ratio est, quia multi sunt ~~beati in~~ cœlo, qui non habent intensiorem charitatem, quàm quæ illis data fuit in baptismo. Contra verò, multi sunt viatores, qui charitatem in baptismo acceptam fecerunt intensiorem, vel suscipiendo alia sacramenta, vel exercendo actus meritorios.

3 Obiici potest illud Matth. 11. 11. *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo*, id est, Ioanne Baptista. Hinc enim videtur sequi, in minimo beato maiorem esse charitatem, quàm in maximo viatore. Respondeo. Christus eo loco confert Euangelium cum lege, & personas Euangelij cum personis legis. Sicut enim status Euangelij est excellentior statu legis; ita qui in statu Euangelij minimus est, superat eum qui in statu legis supremus est: non quidem quod semper sanctior sit, sed quod ex vi sui status sanctior esse possit ac debeat. Vide Maldonatum in illum locum.

4 Secunda Conclusio. Actus charitatis potest esse tam intensus in aliquo viatore, quàm in aliquo beato: Imo etiam intensior. Sequitur ex dictis, quia si habitus potest esse intensior, ergo & actus. Nam actus in beatis semper est commensuratus habitui: & in viatoribus potest esse intensior quàm sit habitus, propter gratiam excitantem, quæ sæpè intensior est, quàm habitus.

5 Dices: Gaudium viæ non potest esse tam intensum,

quàm gaudium patriæ: Ergo nec actus charitatis, ex quo gaudium illud oritur. Antecedens probatur, quia gaudium viæ fundatur in spe, quæ propter absentiam obiecti aliquantulum contristat, & consequenter gaudium minuit. Respondeo. Duplex est gaudium. Alterum beneuolentiæ, quod pertinet ad virtutem charitatis: alterum concupiscentiæ, quod pertinet ad virtutem spei. Prius gaudium, de quo hîc agimus, non fundatur in spe, neque est de bono absente, sed de bono, quod reipsa in Deo est, & de quo illi gaudemus. Hoc autem potest esse tam intensum in aliquo viatore, quàm in aliquo beato.

6 Tertia Conclusio. Actus charitatis non solùm potest esse tam intensus in via, quàm in patria; sed etiam tam perfectus in essentiali perfectione obiectiua. Est contra Caietanum & Capreolum, qui docent actum charitatis in patria differre specie ab actu charitatis in via, & essentialiter perfectiorem esse. Ratio est, quia alter versatur circa Deum clarè visum, alter circa Deum obscurè cognitum. Sicut ergo clara visio & obscura cognitio differunt specie, ita etiam amor viæ & amor patriæ, qui in illis fundantur. Sed conclusio nostra est D. Thomæ in 1. 2. q. 67. art. 6. ad 2. vbi asserit dilectionem sumere suam speciem & essentiam, non ex cognitione, sed ex re cognita: ac proinde in via & in patria esse eandem specie charitatem, quia licet cognitio sit diuersa, tamen res cognita est eadem. Et confirmatur, quia diuersitas essentialis in actibus voluntatis, præsertim quando conueniunt in genere proximo, debet sumi ex diuersitate obiecti formalis. At in amore viæ & patriæ est idem obiectum formale, nempe infinita bonitas, qua Deus in se infinitè bonus est: Ergo in illis actibus non est diuersitas essentialis.

7 Dices 1. Actus charitatis, quo diligo Deum naturali cognitione cognitum, differt essentialiter ab eo,

quo diligo Deum supernaturali cognitione cognitum; idque propterea, quia licet res cognita sit eadem, tamen cognitio est diuersa. Ergo idem dicendum est de actu charitatis in via & in patria. Respondeo. Antecedens verum est, sed ratio quæ additur, falsa. Nam licet amor naturalis & supernaturalis differant essentialiter; hoc tamen non fit ex parte cognitionis, sed ex parte obiecti cogniti. Nam obiectum vnius est Deus, quatenus est auctor naturæ: Obiectum verò alterius est Deus, quatenus est author gratiæ.

8 Dices 2. Amor viæ & patriæ non videntur etiam idem habere obiectum. Nam alter versatur circa Deum adæquatè, alter inadæquatè. Ratio est, quia viator non potest vno actu cognoscere Deum adæquatè, secundùm omnia attributa, sed vno actu cognoscit vnum attributum, & altero aliud: Ergo etiam non potest vno actu diligere Deum adæquatè, quia actus dilectionis, non potest se latius extendere, quàm actus cognitionis. At beati in cœlo, sicut vno actu visionis adæquatè vident totum Deum, ita vno actu amoris adæquatè illum amant. Ergo hic amor specie distinguitur ab amore viatoris. Respondeo. Vterque actus charitatis, tam viæ quàm patriæ, debet versari circa bonitatem Dei infinitam adæquatè, quatenus omnes perfectiones in se complectitur. Nam hoc modo est obiectum charitatis, vt suprà dixi. Hoc interest, quod viator, tametsi vno actu possit cognoscere omnes perfectiones Dei, non tamen potest distinctè, sed solùm confusè: ac proinde, tametsi possit amare Deum vno actu, secundùm omnes perfectiones diuinas, tamen id fit confusè, non distinctè. At beati possunt distinctè id facere. Porrò distincta & confusa cognitio, non magis efficiunt distinctionem essentialem in actu charitatis, quàm clara & obscura. Et ratio generalis est, quia cognitio solùm se habet ad actum voluntatis, tanquam quædam

conditio, sine qua obiectum non potest amari. Est enim applicatio obiecti amabilis, quæ nihil essentiale confert actui voluntatis.

9 Dices 3. Amor viæ est liber, & amor patriæ est necessarius: ergo specie differunt. Confirmatur, quia motus primo primi, qui anteuertunt deliberationem animi, differunt specie à motibus deliberatis, cùm hi sint peccata mortalia, illi non sint: Idque propterea, quia alij sunt liberi, alij necessarij. Ergo idem dicendum est de amore viæ & patriæ. Respondeo. Sola libertas & necessitas non efficiunt distinctionem essentialem in genere entis. Nam idem motus, quatenus præuenit deliberationem, & quatenus accedente deliberatione continuatur, manet eiusdem speciei ac naturæ in genere entis, & solùm differt à seipso in genere moris, quatenus ex necessario fit liber. Et cõsequenter, ex indifferẽte fit peccatum. Eodem modo amor viæ & patriæ sunt eiusdem speciei in genere entis, licet alter ab altero differat ratione libertatis, quod solùm spectat ad differentiam moris.

10 quarta Conclusio. Tametsi actus charitatis in via, sit eiusdem speciei, ac proinde eiusdem perfectionis essentialis, cum actu charitatis in patria, vt probatum est ex parte obiecti formalis; non tamen est tam perfectus perfectione indiuiduali intra eandem speciem. Hoc probant quædam argumenta iam facta. Ratio est, quia licet illi duo actus habeant idem obiectum formale, non tamen æquè perfectè circa illud versantur. 1. quia alter versatur circa Deum clarè visum, alter circa Deum obscurè cognitum. 2. alter distinctè, alter confusè. 3. alter constanter sine intermissione, alter mutabiliter & per interualla. 4. Alter excludit omnia peccata, etiam venialia; alter potest consistere cum venialibus.

11 Hinc sequitur primo, simpliciter dicendum esse, charitatem patriæ perfectiorem esse charitate viæ, quia

tametsi possint esse pares in intensione graduum, & similiter in essentiali perfectione obiectiua, tamen in perfectione indiuiduali, charitas patriæ semper excellit. Hoc autem oritur ex visione beatifica. Nam illa facit, vt amor patriæ versetur circa Deum clarè visum, distinctè, necessariò, constanter, & sine vllis peccatis venialibus. Secundo sequitur, quo sensu dicant Scripturæ & Patres, statum viæ similem esse pueritiæ; statum verò patriæ similem esse ætati virili. Hoc enim dicunt propter constantem dilectionem, quæ est in patria, & non in via.

12 Quæres, an sicut in diuersis hominibus potest charitas viæ esse tam intensa, quàm charitas patriæ, vt probatum est; sic etiam in vno eodemque homine. Respondeo per sequentem conclusionem.

13 Quinta Conclusio. In vno & eodem homine, charitas patriæ est tam intensa, quàm fuit charitas viæ, quando erat intensissima. Hæc conclusio est probabilis, & pendet ex duobus fundamentis probabilibus. Vnum est, merita per peccatum mortale mortificata, iterum reuiuiscere per pœnitentiam. Alterum augmentum charitatis, quod meremur per actus remissos, conferri in hac vita. His positis, sequitur, charitatem patriæ in eodem homine tam esse intensam, quàm fuit in hac vita, cùm esset intensissima. Et ita sentit Andreas Vega lib. 15. in Tridentini Concilij cap. 15. vbi etiam addit, contrarium esse erroneum. Sed in hoc fallitur. Nam si quis dicat, merita mortificata per peccatum mortale non reuiuiscere adæquatè, sed solùm secundum proportionem dispositionis, quâ quis resurgit à peccato, (quod sine aperto errore dici potest) fieri poterit, vt charitas non sit tam intensa in patria, quàm fuit in via ante lapsum; vt patet in iis, qui habuerunt magnã charitatẽ, & magna merita ante lapsum, ac deinde post lapsum tepidè surrexerunt, & ita mortui sunt. Nam in his, si

priora merita non reuiuiscunt adæquatè, sed secundùm proportionem tepidæ contritionis, non potest esse tanta charitas post lapsum, quanta fuit ante lapsum. Si ergo cum ista tepida charitate moriantur, non habebunt in patria tantam charitatem quantam habuerunt in via ante lapsum.

14 Similiter si quis dicat, quod etiam sine errore dici potest, augmentum charitatis, quod debetur actibus remissis, dari post hanc vitam; sequitur charitatem patriæ maiorem esse in eodem homine, quàm charitatem viæ, quia crescit in patria ex augmento remissorum actuum. Patet ergo conclusionem positam non esse certam, quia fundamenta eius non sunt certa, sed tantùm probabilia.

VI. QVÆSTIO.

An Charitas viæ possit minui, aut corrumpi per peccatum?

1 Dictum est posse augeri, quoad intensionem, per meritum boni operis. Nunc quæritur, an etiam minui aut corrumpi possit per meritum peccati?

2 Prima Conclusio. Habitus charitatis quoad intensionem, non potest minui per peccatum. Ita D. Thomas q. 24. art. 10. Ratio est, quia si est peccatum mortale, non minuit, sed penitus tollit habitum charitatis. Si veniale, nõ minuit nec tollit, quia nõ repugnat charitati.

3 Dices: Homo iustus dicitur cadere, quando peccat venialiter, iuxta illud Prouerb. 24. 16. *Septies in die cadit iustus.* At si cadit, non manet in illa intensione charitatis, in qua antè erat. Respondeo. Manet quidem in eadem intensione habitus charitatis, sed non manet in eodem feruore exercitij charitatis.

4 Secunda Conclusio. Habitus charitatis corrumpitur per quoduis peccatum mortale. Hoc alibi probatum est. Solet hîc quæri an corrumpatur tantùm demeritoriè, an etiã physicè, & ex natura rei. Rursũ si physicè,

an

an effectiue, an formaliter. Respondeo. Corrumpitur demeritorie, non physice. Prior pars patet, quia homo per peccatum mortale meretur priuari dono charitatis. Posterior patet, quia sicut actus charitatis ex natura rei potest consistere cum peccato mortali, ita etiam habitus, vt ostensum est in priori tomo, tractatu 4. cap. 1. §. 10.

CAPVT XXIII.

De præceptis Charitatis.

1 DVo sunt generalia præcepta charitatis. Vnum de dilectione Dei super omnia. Alterum de dilectione proximi. Prius habetur Deuter. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Posterius Leuit. 19. 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Christus in Euangelio vtrumque coniunxit. Matth. 22. 17. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*

2 Prius præceptum de diligendo Deo, quod Christus maximum vocat, iubebantur Iudæi scribere in limine & ostiis domorum suarum, iuxta illud Deuter. 6. 6. *Erunt-que verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ea eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Et Deut. 11. 20. *Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ, vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra.*

3 Quæres primo, quo sensu intelligendum sit, quod Iudæi debuerint hoc præceptum de diligendo Deo scribere super postes & ianuas domus suæ. Respondeo. Iudæi proprie intelligebant de vera scriptione, sicut verba sonant. Sicut etiam proprie intelligebant illud Exod.

13. 9. *Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum inter oculos tuos.* Vnde duplex apud eos seruabatur consuetudo. Vna, vt scriberent præceptum de diligendo Deo in membrana, & affigerent parieti & ostio domus suæ. Altera, vt similiter scriberent legem Decalogi in membrana, & affigerent fronti, brachio, & fimbriis. Vnde Christus Matth. 23. 15. *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Vbi per phylacteria intelligit membranulas, in quibus præcepta Decalogi scripta erant: quas Scribæ & Pharisæi circum caput, & circum brachia, & in fimbriis gestabant, vt perpetuò Dei legem ante oculos haberent. Dicta autem sunt à Græcis φυλακτήρια, id est, conseruatoria, quod ad conseruandam legis memoriam instituta essent. Vide Maldonatum in commentario illius loci. At nostri Interpretes aliter explicant illa verba: *Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ*: non proprie, sed metaphorice: non de externa scriptione, sed de iugi memoria & recordatione illius præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Vnde secundum nostros pro eodem sumuntur hęc duo. Primo: *Scribes ea in limine & ostiis domus tuæ.* Secundo: *Meditaberis in eis sedens, ambulans, dormiens, consurgens.* At Iudæi, vt dixi, distinguebant illa duo. Vide Lyranum, Abulensem, & Cornelium in cap. 6. Deuteronomij.

4 Quæres secundò, An hoc præceptum de diligendo Deo ex toto corde, sit possibile in hac vita? Hoc disputatum est in priori tomo, tractatu 4. q. 1. §. 29. vbi dixi, sensum illius præcepti esse, vt diligamus Deum supra omnes creaturas: vel, vt præferamus illum omnibus creaturis: vel, vt nullius creaturæ timore vel amore, velimus Deum offendere, & ab illius amore recedere. Hunc sensum expressit Apostolus, Rom. 8. 39. *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei.* Et Christus in Euangelio, Matth. 10. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus:* id est, qui amorem parentum

præfert amori Dei, non diligit Deum super omnia. Vnde è contrario, qui amori parentum (qui in filiis solet esse maximus) præfert amorem Dei, conuincitur diligere Deum super omnia.

CAPVT XXIV.

De vitiis Charitati oppositis.

1 VItia charitati opposita sunt hæc: Odium, acedia, inuidia, discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, seditio, scandalum. Ita D. Thomas qu. 34. & sequentibus. Quod sic explico. Varij sunt actus charitatis, vt suprà dictum est. Sed hi præcipui. Primus, amor beneuolentiæ, quo amamus Deum propter se, & proximum propter Deum. Huic opponitur odium Dei & proximi. Secundus, gaudium seu lætitia de bono Dei & proximi. Huic opponitur acedia, quæ est tristitia de bono Dei; & inuidia, quæ est tristitia de bono proximi. Tertius, pax seu concordia. Huic opponitur discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, seditio. Quartus, correctio fraterna. Huic opponitur scandalum. Nam sicut correctio retrahit hominem à peccato, ita scandalum præbet illi occasionem peccati. De singulis dicam aliquid. Et quidem hoc capite, de odio, acedia, inuidia, discordia, contentione, schismate, rixa, seditione. Sequenti capite, de bello, postea de duello, postremo de scandalo.

De Odio.

2 Odium duplex est: Alterum abominationis, quo quis abominatur malum, siue proprium, siue alienum. Alterum inimicitiæ, quo quis ex displicentia personæ vult illi malum. (Caietanus qu. 34 art. 1. Malderus ibidem, Valentia qu. 11 p. 4. & alij.) De vtroque intelligitur illud Sap. 14. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Nam Deus odit impium odio inimicitiæ: impietatem, odio abominationis.

3 Prius odium, quod est abominationis, potest esse vel

actus virtutis, vel vitij. Nam si odisti malum culpæ, quatenus est contrarium summo bono, seu, quatenus est offensa Dei, qui est summum bonum, est actus charitatis: Si autem quatenus est contrarium bono iustitiæ aut temperantiæ, est actus iustitiæ aut temperantiæ. Et sic deinceps. Si verò odisti malum pœnæ, quod iuste à Deo vel homine infligitur, est actus peccati.

4 Posterius odium, quod est inimicitiæ, potest esse duplex: Vnum charitatis, vt si odisti aliquem quia peccator est, & Deum offendit. Psal. 5. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Psal. 100. 3. *Facientes præuaricationes odiui.* Alterum oppositum charitati, vt si odisti aliquem ob aliam causam. De hoc posteriori hîc agimus. Quod iterum diuiditur in odium Dei & proximi. De odio Dei intelligitur illud Num. 10. 35. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te.* Et Ioan. 15. 24. *Oderunt me & Patrem meum.* De odio proximi. Leuit. 19. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et 1. Ioan. 2. 11. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.*

5 Quæres, quomodo potest aliquis odisse Deum, qui est summe bonus? Respondeo. Nemo odit Deum, quatenus in se bonus est, sed quatenus aliqua facit extra se, quæ displicent malis hominibus. V. g. quatenus prohibet voluptates, præcipit pœnitentiam, punit delinquentes. Vide D. Thomam, qu. 24. art. 1.

De Acedia & Inuidia.

6 Acedia est quædam tristitia, quæ adfert tædium, torporem, & negligentiam operis: Vel circa studia, vel circa militiam, vel circa exercitium iustitiæ, temperantiæ, charitatis, aut aliarum virtutum. Hoc loco sumitur, quatenus adfert tædium circa opera charitatis erga Deum, vt si quis audiens vel cogitans de diligendo Deo super omnia, sentiat tædium & languorem propter difficultatem illius operis. Vnde sequitur, acediam non esse tristitiam de bono, quatenus bonum est, sed quatenus diffi-

cileac molestum est. Ac proinde, quatenus apprehenditur vt malum. (D. Thomas qu. 35. art. 1. Valentia qu. 12. p. 1. & alij.) Opponitur autem charitati: quia sicut actus charitatis est gaudere in exercitio dilectionis Dei, ita actus acediæ est in eo tristari.

7 Inuidia est quædam tristitia, qua doles de bono proximi, non quatenus bonum illius est, sed quatenus videtur diminuere tuum honorem & excellentiam: vt si propterea doleas de doctrina alterius, quia videtur obscurare vel diminuere existimationem de tua doctrina. (D. Thomas qu. 36. art. 1.) Opponitur autem charitati, quia sicut ex charitate gaudes de bono proximi, sic ex inuidia doles de bono proximi.

De Discordia & Contentione.

8 Discordia est dissensio voluntatis tuæ à voluntate proximi circa bonum spirituale, vt si dissentias à proximo suadente opera charitatis. (D. Thomas qu. 37. art. 1.) Opponitur autem concordiæ seu paci, quæ est effectus charitatis, vt cap. 26. dictum est.

9 Contentio est altercatio verborum cum proximo, contra veritatem, ad ipsam veritatem oppugnandam: vt si contendas cum aliquo, *Ecclesiam errare posse*, sicut contendunt hæretici. (D. Thom. qu. 38. art. 1.) Opponitur autem charitati, eo modo, quo discordia repugnat paci & concordiæ voluntatum: ita contentio paci & concordiæ verborum.

De Schismate.

10 Schisma, si nomen spectes, nihil aliud est quàm scissio, quæ scindit pacem & vnionem. Si vsum spectes, sic definiri potest: *Schisma est discessio, quâ quis separat se ab vnione Ecclesiæ, quam charitas efficit.* Est autem duplex vnio Ecclesiæ: Vna membrorum Ecclesiæ, id est, fidelium inter se: Altera membrorum Ecclesiæ cum suo capite, id est, cum Pontifice. Vnde illi proprie vocantur Schismatici, qui non volunt subesse Pontifici, nec cum aliis

Ecclesiæ membris communicare. (D. Thomas qu. 39. art. 1.)

Differt schisma ab hæresi. Primo, quia hæresis opponitur fidei, schisma charitati. Secundo, schisma latius patet quàm hæresis. Nam omnis hæreticus est schismaticus, quia separat se ab vnitate Ecclesiæ per hæresim, seu propriam vnionem. At non omnis schismaticus est hæreticus, quia potest aliquis se separare ab vnitate Ecclesiæ, quoad charitatem, aut obedientiam, vt tamen non separet se quoad fidem. Vt si Princeps Catholicus, retenta fide Catholica, non vellet obtemperare Pontifici, quem tamen agnoscit Pontificem. quod raro fit. Nam plerumque qui separat se à Pontifice, vel aliis fidelibus, fingit sibi nouam hæresim vel doctrinam, per quam conatur defendere se non temerè ab vnitate Ecclesiæ recessisse. (Diuus Thomas quæstione 39. articulo primo ad tertium.)

De Rixa & seditione.

12 Rixa dicitur à rixando, & nihil aliud est, quàm priuatum quoddam bellum inter priuatas personas, vt docet Diuus Thomas quæstione 41. articulo primo. Vel, vt alii, est quædam pugna, quæ inter priuatas personas oritur, ex mutua ira, seu excandescentia, qualis solet esse inter canes, quorum proprium est ringi, cùm irritantur. Prouerb. 10 12. *Odium suscitat rixas.*

13 Seditio est dissensio ciuium inter se. Dicitur autem seditio, quasi seorsum itio, quia ciues in dissensione solent alii alio ire, & in diuersas sententias discedendo, tumultum excitare. (Diuus Thomas quæst. 42. art. 1.) Nota, rixam & seditionem esse peccatum illius qui malam causam fouet, vt dicemus etiam de Bello, non autem alterius, qui iustam defendit.

CAPVT XXV.

De Bello.

1 BEllum duplex est, defensiuum & offensiuum. Defensiuum est, quod solius defensionis causa suscipitur. Offensiuum seu aggressiuum, quod ad vindicandam seu compensandam iniuriam infertur. De vtroque tria generatim dicenda sunt. 1. De iusta belli susceptione, 2. De iusta belli administratione. 3. De quibusdam belli adiunctis & circunstantiis.

2 Speciatim verò sic procedam. 1. An bellum ex natura sua sit licitum, & quæ conditiones requirantur vt sit licitum. 2. An fuerit licitum in veteri Testamento. 3. An sit licitum Christianis in nouo Testamento. 4. An Christiani possint bellum gerere contra Turcas. 5. An possint bellum gerere contra Hæreticos, propter solam hæresim. 6. An Christiani in bello contra Christianos, possint in auxilium vocare Turcas & alios infideles. 7. An bellum ex vtraque parte possit esse iustum. 8. Quid faciendum, quando causa belli est dubia. 9. Quando, & quomodo inchoandum sit bellum. 10. An post bellum inchoatum, liceat omnes hostes occidere, & eorum bona diripere. 11. An liceat etiam innocentes occidere. 12. An eorum bona diripere. 13. An in seruitutem redigere. 14. An milites durante bello possint prædari, seu spolia ab hostibus accipere. 15. Quænam soleant esse peccata militum & Ducum militiæ. 16. An in bello liceat vti insidiis. 17. An liceat pugnare in die festo. 18. An Episcopis & Clericis licitum sit pugnare.

I. QVÆSTIO.

An bellum ex natura rei sit licitum, & quæ conditiones requirantur vt sit licitum?

1 MAnichæi docuerunt ex natura sua illicitum esse, & ideo Moysen, Iosue, Dauidem, & alios veteris Testamenti Patres, qui bella gesserunt, tanquam impios accusabant, vt refert Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. & sequentibus. Nos dicimus tunc licitum esse, quando adsunt hæ tres conditiones. 1. Legitima authoritas indicendi bellum. 2. Iusta causa. 3. Recta intentio. Tunc illicitum, quando vel omnes, vel aliqua earum conditionum deest. (D. Thomas qu. 40. art. 1.) Et quidem si desit prima vel secunda conditio, non solùm charitati, sed etiam iustitiæ contrarium est, cum onere restitutionis: Si desit sola tertia, non est contrarium iustitiæ, sed charitati. (Bellarminus libro de laicis, cap. 15.

2 Legitima authoritas indicendi bellum offensiuum, est in quouis Principe vel Republica non agnoscente superiorem in temporalibus: cuiusmodi est Imperator, Rex Galliæ, Rex Hispaniæ, Dux Lotharingiæ, Respublica Veneta, & similes. Hi omnes possunt indicere bellum offensiuum. De bello defensiuo est alia ratio. Nam sicut quilibet homo priuatus potest iure naturali seipsum defendere contra iniquum inuasorem, vim vi repellendo: ita etiam quilibet Princeps & Respublica, etiamsi agnoscat superiorem in temporalibus. (Bellarminus loco citato, Molina tract. 2. de Iure & Iustitia, disput. 100. & alij passim.)

3 Notandum tamen est, Principem inferiorem in tribus casibus posse suscipere bellum offensiuum. Primo, quando præsumit consensum supremi Principis. Secundo, quando diuturna & legitima præscriptione hoc ius obtinuit. Tertio, quando necessitas vrget, nec propriæ se-

curitati, aut indemnitati satis est consultum, nisi statim vindicta exerceatur. (Molina disput 100. & 101.)

4 Iusta causa indicendi bellum, generatim loquendo, est grauis iniuria, quæ alicui Principi aut Reipublicæ vel imminet, vel facta est. Si imminet, vt impediatur per bellum defensiuum, iure defensionis. Si facta est, vt vel resarciatur per bellum offensiuum, iure iustitiæ commutatiuæ: vel vindicetur, iure iustitiæ vindicatiuæ. (Augustinus quæst. 10. super Iosue. D. Thomas qu. 40. art. 1. Molina disput. 102.)

5 Speciatim solent hæ causæ assignari. Primo, publica Principis contumelia. Sic Dauid mouit bellum contra Hanon Regem Ammonitarum, eo quod nuncios à Dauide missos affecisset magnâ contumeliâ, dimidiam barbæ partem, & vestes vsque ad nates præcidendo. (2. Reg. 10. 4.)

Secundo, rebellio subditorum. Sic idem Dauid suscepit bellum contra Seba filium Bochri, qui cum quibusdam aliis separauerat se à Dauide, legitimo suo Rege. (2 Reg. 20. 1.)

Tertio, defensio malefactorum, ne iustè puniantur. Sic filij Israel pugnarunt contra Beniamitas, eo quod nollent tradere quosdam ex sua Tribu, qui nefandum flagitium perpetrarant. (Iudic. 20. 1.)

Quarto suppetiæ inimicis latæ. Sic Dauid percussit viginti duo millia virorum de Syria Damasci, quia suppetias tulerant Adarezer Regi Soba. (2. Reg. 8. 5.)

Quinto, negatio innoxij transitus per alienam terram, qui iure naturali negari non potest. Sic Israelitæ indixerunt bellum Arad Regi Chananæo, quod negaret illis transitum per suam prouinciam. (Num. 21. 1.)

Sexto, violatum fœdus. Sic Rex Ioram indixit bellum Regi Moab, qui nolebat illi soluere centum millia ouium, quę ex antiquo fœdere tenebatur soluere. (4. Regum 3 5.)

Septimo, idololatria subditorum. Sic Moyses cum filiis Leui bello aggressus est filios Israel, & interfecit triginta tria millia hominum, propterea quod aureum vitulum adorassent. (Exod. 32. 26.) An idem dici possit de hæreticis, disputandum est qu. 5. Vide plura apud Molinam, disput. 104. & duabus sequentibus.

6 Recta intentio, quæ est tertia conditio ad iustum bellum requisita, triplex est. 1. Recuperare amissa. 2. Iniuriam iustè vindicare. 3. Stabilire pacem Reipublicæ. Si alio fine vel intentione bellum suscipias, malè facis. Vnde Augustinus libro 22. contra Faustum, cap. 74. ait: *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.* Vide D. Thomam quæst. 40. art. 1. Molinam disput. 107. & alios passim.

7 Seruatis his tribus conditionibus, certum est, bellum esse licitum ac iustum ex natura rei. Quod vlterius sic confirmo. Bellum, vt dixi, vel est defensiuum, vel offensiuum. Si defensiuum, constat ex natura sua licitum esse. Nam si iure naturali licet homini priuato vim vi repellere, multo magis licet id Principi, aut Communitati. Si offensiuum, tunc etiam licitum est propter similem rationem. Nam si homo priuatus potest aduersario suo intentare litem, vel actionem iniuriarum, per viam iuris: cur Princeps vel Communitas non possit idem facere per viam belli, quando via iuris non est sufficiens? Alioqui publica iniuria, quæ Principi vel Communitati facta est, nunquam posset resarciri aut vindicari, & consequenter nec publica iustitia & indemnitas custodiri, quod est absurdum.

8 Dices primo. Etiamsi seruentur hæ tres conditiones, quæ iam explicatæ sunt, nihilominus bellum videtur esse contrarium paci charitatis. Nam inter illos, qui bellum contra se mutuò gerunt, non est pax, sed pugna &

diſſenſio. Reſpondeo. Ex parte illius, qui iniuſtam cauſam fouet, aut malam intentionem habet, contrarium eſt paci charitatis. De hoc nemo dubitat. At ex parte alterius, qui iuſtam cauſam fouet, & rectam habet intentionem, non eſt contrarium, ſed conforme charitati. Quod ſic oſtendo. Homo priuatus, qui ex charitate diligit ſe & proximum ſuum, poteſt ſecundum ordinem charitatis præferre ſe proximo. Vt ſi occurrat caſus, in quo vel ipſe, vel proximus debeat pati aliquod damnum, vel incommodum, poteſt, ſalua charitate, ſeipſum ſaluare, cum damno vel incommodo proximi, modò non faciat iniuriam proximo, vt cap. 18. quæſtione ſecunda probatum eſt. Idem dico de Principe vel Republica. Si ergo Principi inferatur iniuria ab alio Principe, poteſt, ſalua charitate, vindicare iniuriam per bellum, & ſe indemnem conſeruare. In quo facto ſeruatur ſimul charitas & iuſtitia. Charitas, quia ſeruatur regula charitatis: *Proximus ſum egomet mihi:* Iuſtitia, quia officium iuſtitiæ eſt, illatam iniuriam legitimè vindicare.

9 Dices ſecundo, Bellum eſt cauſa multarum cædium ac damnorum: Ergo eſt illicitum. Reſpondeo. Hoc verum eſt ex parte illius, qui iniuſtam cauſam fouet: non ex parte alterius, qui iuſtam fouet. Nam Princeps qui alteri facit iniuriam, eſt cauſa belli, & conſequenter omnium damnorum quæ fiunt per bellum. At Princeps qui patitur iniuriam, non eſt cauſa belli, ſed inuitus cogitur ad bellum, vt vindicet iniuriam ſibi illatam, & ſtabiliat publicam pacem, iuſtitiam, & tranquillitatem. Quo ſpectat illud Auguſtini epiſtola 207. ad Bonifacium Comitem: *Non pax quæritur, vt bellum excitetur; ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem bellando perducas.*

10 Sed contrà: Qui fouet iuſtam cauſam, poſſet impedire mortes multorum hominum, ſi abſtineret à bello.

Respondeo. Sic est. Sed simul impediret publicam iustitiam, quæ postulat vt iniuria vindicetur. Igitur Princeps qui fouet iustam causam, debet ex vna parte ponderare damna quæ sequuntur ex bello: Et ex altera, publicam iustitiam, quę defenditur per bellum. Hæc, in re magni momenti, præferenda est: vnde si quis vellet abstinere à bello, propter hoc solùm, ne interficiantur homines, daret occasionem maioris mali, quia sic nulla seruaretur iustitia publica, sed impunè liceret furta, latrocinia, rapinas, & alias iniurias exercere. Nec esset vir bonus, sed timidus. Audi eundem Augustinum apud Gratianum, can. *Quid culpatur*, 23. quæst. 1. *Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur, quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorum est, non religiosorum.*

II. QVÆSTIO.

An Bellum fuerit licitum in veteri Testamento?

1 ALiqui putant non fuisse licitum, sed solùm à Deo permissum, tanquam minus malum: sicut permissa fuit polygamia, & libellus repudij. Ita Erasmus, teste Bellarmino, lib. de laicis, cap. 14. Vera sententia est, absolutè fuisse licitum, seruatis illis conditionibus, quæ iam enumeratæ sunt. Quod tripliciter probari potest.

2 Primo, quia Deus non solùm permisit bellum in veteri Testamento, sed etiam mandauit. (Num. 25. 16. & 1. Regum 15. 2. & alibi.) Secundo, prescripsit leges & precepta gerendi bellum. (Deuter. 20. 1. & Deuter. 23. 9. & alibi.) Tertio, laudantur in Scriptura, qui in veteri Testamento fortiter se gesserunt in bello. Sic laudatur Abraham, (Genes. 14 19.) sic Leuitę, (Exod. 32. 29.) sic Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Samuel, Dauid, & alij. (Hebr. 11. 32.)

3 Accedit ratio. Nam quod ex natura sua licitum est, hoc etiam licitum fuit Iudęis, nisi speciali mandato fue-

rit illis prohibitum : At bellum ex natura ſua licitum eſt, vt oſtendi quęſtione pręcedenti : Nec vllo ſpeciali mandato fuit Iudæis prohibitum, cùm nullum extet tale mandatum in veteri Teſtamento. Imo legimus, vt ſuprà dixi, fuiſſe illis imperatum.

4 Quæres, quæ fuerint illa præcepta belli gerendi, quæ Deus præſcripſit Iudæis ? Reſpondeo. Fuerunt hæc præcipuè. Primum : Si exieris ad bellum, ſtabit Sacerdos ante aciem, & dicet : *Audi Iſrael, Nolite timere, nolite cedere, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit.* (Deuteronomii 20. 1. & ſequentibus.)

Secundum : Duces populi per ſingulas turmas proclamabunt, vt domum redeant, quicunque ædificarunt nouam domum aut vineam, itemque ſponſi & pauidi. (Ibidem, v. 5. & ſequentibus.)

Tertium : Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam, *Cuſtodies te ab omni re mala,* (Deut. 23. 9.) id eſt, ab omni immunditia legali, & ab omni peccato, vt à ſcortatione, ebrietate, rapinis, iuramentis, blaſphemiis, duellis, inuidiis, &c.

Quartum : Si acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si ſponte ſe dedat, fiat tributaria : ſin vi expugnetur, maſculi omnes occidantur, præter infantes. In Chananæa autem omnes omnino, etiam fœminæ & infantes occidantur. (Deut. 20. 11. & ſequentibus.)

Quintum : Quando obſederis ciuitatem multo tempore, non ſuccides arbores frugiferas, quæ iuxta illam ſunt, ſed tantum infrugiferas, ad machinas bellicas ex iis inſtruendas (Deut. 20. 19)

Sextum : Fac duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis populum, quando mouenda ſunt caſtra. (Num. 10 2.)

Septimum : Si exieritis ad bellum, *clangetis vlulantibus*

tubis, & Deus recordabitur vestri, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. (Ibidem, v. 9.)

III QVÆSTIO.

An Bellum Christianis sit licitum?

1 ALiqui docent, tametsi bellum ex se licitum sit, & olim à Iudæis licitè vsurpatum: tamen Christianis, qui debent esse mansueti & pacifici, interdictum esse. Ita Cornelius Agrippa, Ioannes Ferus, & Anabaptistæ apud Valentiam, qu. 16. puncto 1. Argumenta eorum paulo post soluam.

2 Contrarium docent Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. & epist. 5. ad Marcellinum, & epist. 50. ad Bonifacium Comitem. Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. 40. & in illud Lucæ 3. 14. *Contenti estote stipendiis vestris*. Gregor. lib. 1. epist. 72. Bernardus serm. ad milites templi, cap. 3. & alii passim.

3 Et probatur ex Euangelio. Primo, quia Ioan. Baptista rogatus à militibus, *Quid faciemus & nos?* Non disuasit illis militiam, sed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* (Luc. 3. 14.) vtitur hoc testimonio Augustin. epist. 5. ad Marcellinũ, vbi ait: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consiliũ salutis petentibus, in Euangelio diceretur vt abiicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat nobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtrique non prohibuit.* Et lib. 22. contra Faustum, cap. 7. 4. *Alioquin Ioannes, cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes, Et nos quid faciemus? Responderet eis, Arma abiicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat nobis stipendium vestrum.*

4 Similiter Christus rogatus à Pharisæis, an liceret Cæsari dare censum seu tributum pro stipendiis militaribus, respondit, *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* (Matth. 22. 21.) De quo idem Augustinus loco posterius citato: *Sed quia Manichæi apertè Ioannem blasphemare consueuerunt, ipsum Dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessariò militi stipendium præbeatur.*

5 Tertio, Christus commendauit fidem Centurionis, qui dicebat: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: Et dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit.* Non respondet Christus, Deserere militiam; sed potius, *Non inueni tantam fidem in Israel.* (Matth. 8. 10.) Vnde Augustinus loco citato: *Fidem*, inquit, *Centurionis laudauit, non militiæ desertionem imperauit.*

6 Et ratio duplex est. Vna, quia Principes Christiani possunt vti gladio in puniendis priuatis malefactoribus. (Rom. 13. 4.) Ergo etiam in vindicanda publica iniuria. Altera, quia bellum ex natura sua licitum est, vt suprà ostendi: Ergo etiam licitum est Christianis, modò non sit illis peculiari mandato prohibitum, vt patebit ex solutione argumentorum quæ contrà obiiciuntur. Sunt autem hæc.

7 Dices primo. Prophetæ prædixerunt in Aduentu Christi cessatura bella. Isaiæ 2. 4. *Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et Micheæ 4. 3. *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltra belligerare.* Respondeo. Hæc prædictio debet esse vera, quia alioqui Deus mentiretur, quod est absurdum. At non esset vera, si prædiceret Christianos nunquam bella gesturos, quia constat hoc falsum esse. Vt ergo vera sit, aliter explicanda est. Solet autem dupliciter explicari. Primo, quod in ipso Christi Aduentu,

absolutè nulla futura sint bella; licet postea iterum sint futura. Secundo, quod in ipso Christi aduentu, & etiam multo post, non sint futura bella inter gentiles ad Christum conuersos. Vtrumque verum est. Nam in Natiuitate Christi, sub Augusto Cæsare, fuit pax in vniuerso orbe. (Lucæ 2. 1.) Et diu post mortem Christi, fuit pax inter Gentiles ad Christum conuersos: tametsi Gentiles nondum conuersi persequerentur nouos Christianos, sub Nerone, Diocletiano, & aliis Ethnicis Imperatoribus. Priorem explicationem sequitur Valentia quæstione 60. puncto 1. Posteriorem magis probat Ribera in cap. 4. Micheæ.

8 Dices 2. Christus & Apostoli prohibét bellum. Matth. 5. 39. *Ego autem dico vobis, Non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe & illi alteram.* Et Matth. 26. 52. *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Rom. 12. 16. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et infra: *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Et 2. Cor. 10. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt.* Qualia ergo? *Spiritualia:* nempe *lorica iustitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritus, quod est verbū Dei*, vt habetur Ephes. 6. 14.

9 Hæc singula testimonia seorsim discutienda sunt. Primum est: *Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.* Respondeo. Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, vt absolutè nunquam resistas malo, sed quotiescunque te aliquis percutit in vnam maxillam, præbeas illi & alteram. Hoc necesse non est. Nam neque Christus, neque Apostolus hoc fecit. Christus enim cùm percuteretur in vna maxilla, coram Pontifice, non præbuit alteram, sed restitit, dicendo: *Si bene locutus sum, quid me cædis? si autem male, testimonium perhibe de malo.* (Ioan. 18. 23.) Similiter Paulus, cùm mandato Principis Sacerdotum iuberetur percuti, respondit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* (Act. 23. 3.)

Secundo

Secundo potest intelligi, vt non resistas malo, id est, vt non quæras priuatam vindictam, sed potius paratus sis alteram maxillam præbere, id est, alteram iniuriam accipere, quàm acceptam vlcisci. Hoc necesse est. Nec inde sequitur, bellum esse illicitum. Nam etiam qui bellum infert, non debet hoc facere ex priuato affectu vindictæ, sed ex recta intentione boni publici, vt quæst. 1. dictum est.

10 Alterum: *Conuerte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Respondeo. Christus prioribus verbis modestè reprehendit Petrum, ob has causas. Primo, quod cum omnes discipuli interrogassent: *Domine, si percutimus in gladio?* ipse solus, non expectato Christi responso, strinxisset gladium, & seruum Pontificis vulnerasset. Secundo, quod temerarium esset, vnum hominem insurgere contra totam militum cohortem. Tertio, quod, si opus fuisset defensione, Angeli Christum defendissent. *An putas*, inquit, *quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quarto, quod non vellet suam mortem impediri. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Hæc non obstant, quo minus bellum sit licitum, seruatis conditionibus ad illud requisitis.

11 Posterioribus verbis, non significat omnes qui gladium acceperint, gladio perituros, [quia constat hoc falsum esse] sed allegat veterem legem, quæ iubebat homicidam occidi, Gen. 9. 6. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Ex eo autem, quod homicidæ secundum legem debeant occidi, non sequitur bellum illicitum esse aut fuisse. Nam bellum pertinet ad publicam Iustitiam: Homicidium ad priuatam vindictam. Hæc illicita est, illa licita. Imo sequitur potius, bellum licitum esse. Nam si priuatum homicidium debet vindicari per gladium, multo magis publicæ

iniuria, quæ Principi vel Reipublicæ facta est.

12 Tertium: *Nulli malum pro malo reddentes.* Item, *non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.* Respondeo. Prior sententia prohibet priuatam vindictam. Posterior similiter. Nam Græcè est, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, id est, non vosmetipsos vindicantes vel vlciscentes, vt vertit D. Hieronymus in Apologia contra Ruffinum.

13 Quartum: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia:* nempe lorica iustitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritus, quod est verbum Dei. Respondeo. Hîc distinguenda sunt duo testimonia. Vnum est, 2. Corinthiacæ, versu 10. 3. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum,* &c. Alterum Ephes. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Et paulo post: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere: Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

14 In priori loquitur Apostolus de militia, quam Apostoli & eorum successores exercent in prædicando & suadendo Euangelio. Et est hic sensus: Tametsi viuamus in carne humana, non tamen vtimur carnalibus armis in propagando Euangelio; cuiusmodi sunt, humana scientia, prudentia, facundia, adulatio, iactantia, simulatio, affectata grauitas, quibus vtuntur mundani homines, vt apud suos authoritatem sibi concilient: Sed vtimur præsidiis diuinis, id est, zelo, feruore, charitate, patientia, oratione, virrute miraculorum, quæ valent ad destruendas munitiones humanas, vt sunt sophismata, eloquentia, potentia sæcularis, gratia Principum, & quæ similia sunt. Hunc sensum expressit, 1. Corinth. 2. 4. *Sermo meus & prædicatio mea,*

nem in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

15 In posteriori loquitur de militia, quam omnes Christiani debent exercere contra diabolum. Et quia diabolus oppugnat nos armis spiritualibus, id est, prauis suggestionibus; ideo nos vicissim debemus sumere arma spiritualia, quibus illi resistamus. Cuiusmodi sunt, Fides, Iustitia, Veritas, Verbum Dei.

16 Ex neutro testimonio sequitur, bellum externum, quod contra hostes externos geritur, prohibitum esse Christianis. Non enim valet hæc consequentia: Apostoli in prædicando Euangelio non debent vti mediis humanis, sed diuinis: Ergo bellum est prohibitum. Neque hæc: Christiani contra diabolum debent assumere arma Fidei, Iustitiæ, & Veritatis: Ergo contra homines non possunt sumere arma corporalia.

17 Dices 3. In Concilio Nicæno can. 11. damnatur professio militaris, his verbis: *Si quis per Dei gratiam vocati, primo ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, posthæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent rursum redire ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes.* Quæ verba referuntur apud Gratianum de Consecratione, dist. 5. can. *Si qui vero.* Respondeo. Illi verba debent intelligi de ijs militibus, qui postquam facti erant fideles seu Christiani, volebant iterum militare Imperatori infideli (nempe Licinio) parati fidem Christianam deserere, & falsam profiteri. Hoc significat illa particula, *ad proprium vomitum reuersi.* Vide Valentiam quæstione 16. puncto 1.

IV. QVÆSTIO.

An Christiani possint bellum gerere contra Turcas?

1 NEgat Lutherus art. 34. his verbis: *Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.* quod sic ferè explicat: Bellum à Turcis illatum est virga seu flagellum Dei, quo paternè castigat peccata nostra: At non licet repugnare flagello Dei: Ergo non licet pugnare contra Turcas, qui nos mandato Dei flagellant. quod confirmat ab euentu, quia hactenus pugnando contra Turcas nihil profecimus, & Turcæ semper facti sunt potentiores: Ergo signum est, Deo non placere, vt pugnemus contra Turcas.

2 Hunc errorem, quia non potuit Germanis persuadere, postea reuocauit. Et meritò. Primo, quia etiam in veteri Testamento Gentiles Reges, qui Iudæos bello opprimebant, erant flagella Dei, quibus castigabat peccata Iudæorum, vt habetur Iudicum 3. 8. & alibi sæpius. Et tamen licebat Iudæis bello se defendere contra Gentiles. Imo Deus suscitauit Othonielem, Gedeonem, Samsonem, & alios Iudices (qui Saluatores vocati sunt) vt populum liberarent à seruitute & oppressione Gentilium, vt patet ex libro Iudicum.

3 Secundo, quia sicut bellum Turcarum aut aliorum infidelium est flagellum Dei, sic etiam fames, pestis, & alij morbi sunt flagella Dei. (Deut. 28. 10. & 2. Reg. 12. 10. & Ieremiæ 14. 1.) At licitum est homini Christiano, quantum in se est, arcere famem, munire se contra pestem, propulsare morbos: Et si faciat, non censetur Deo repugnare: ergo etiam licitum est defendere se contra Turcas: Et qui id facit, non censetur contra Deum facere.

4 Nec obstat, quod euentus sæpè malus sit. Nam & filij Israel, quando pugnarunt contra Benjamitas, sæpè victi ac fugati sunt, & tamen Deus approbauit illorum

bellum. Imo & Ducem militiæ illis assignauit, & ad pugnandum cohortatus est, Iudic. 20. 18. *Iudas sit Dux vester.* Et infrà: *Ascendite ad eos, & inite certamen.*

5 Dices; Deus per Ieremiam Prophetam monuit Iudæos, vt sponte subiicerent se Nabuchodonosori Regi, (qui erat flagellum Dei ad peccata eorum punienda) neque resisterent illi; alioqui fore, vt grauius puniatur. (Ieremiæ 27. 12.) Respondeo. Quando speciatim constat, hanc esse Dei voluntatem, vt non resistamus tyrannis & gentilibus, qui nos affligunt propter peccata nostra, sed patienter toleremus: Tunc sine dubio obsequendum est. Quando autem speciatim id non constat, tunc possumus vti nostro iure, & iniuriam nobis illatam iusto bello vindicare. Et sic fit in bello contra Turcas. Nam ex vna parte, non constat nobis ex peculiari Dei reuelatione, quod ipsius voluntas sit, vt sponte subiiciamus nos iugo ac imperio Turcarum. Et ex altera, certum est, nos habere iustam ac legitimam causam pugnandi contra illos, quia iniustè & per tyrannidem terras Christianorum occuparunt.

V. QVÆSTIO.

An liceat bellum gerere contra hæreticos, propter solam hæresin?

1 CErtum est, licere bellum gerere contra hæreticos, quando est iusta belli causa, & recta intentio. Tunc enim & contra Catholicos licet. At quæstio est, an sola hæresis sit iusta belli causa? Repeto distinctionem, quam posui, cap. 15. quæst. 6. §. 5. quæ est talis. Duo spectari possunt in hæresi. Primo, quod sit peccatum. Secundo, quod turbet pacem Ecclesiæ & Reipublicæ. Hoc posteriori sensu est sufficiens causa belli. Et quidem triplici modo.

2 Primo: Si subditi alicuius Regis aut Principis deficiant à fide Catholica, & alios secum trahant in eandem

hæresim, & sic dissensionem faciant in regno vel prouincia, potest Rex aut Princeps Catholicus bello eos coercere, si alius coercendi modus non suppetit. Sic fecit Moyses, quando pars populi commisit idololatriam in adoratione vituli. Nam bello eos aggressus est, & interfecit triginta tria millia hominum.

3 Secundo: Si Rex, vel subditi vnius regni deficiant à fide Catholica, & conentur subditos vicini regni in eandem defectionem pertrahere; potest vicinus Rex bello se defendere, & iniuriam illatam vindicare.

4 Tertio: Si in aliquo regno vel prouincia sint multi hæretici, turbantes vnitatem Ecclesiæ; potest Pontifex tanquam vniuersalis omnium pastor, mandare alicui potenti Regi aut Principi, vt illos vi ac armis compescat. Sic fecit Gregorius Magnus, quando hortatus est Exarchum Affricæ, vt Donatistas bello compesceret. Verba eius habentur lib. 1. Epist. 72.

VI. QVÆSTIO.

An Christiani, in bello cõtra Christianos, possint in auxilium vocare Turcas aut alios infideles?

1 ALiqui affirmant. Primo, quia in bello licitum est vti auxilio hæreticorum, vt fecit Carolus V. & hoc tempore faciunt Catholici Reges ac Principes, qui habent multos Lutheranos & Caluinistas in suo exercitu. At hæretici sunt infideles: Ergo. Secundo, habemus similia exempla in veteri Testamento. Nam Asa Rex Iuda, vocauit Benadad Regem Syriæ in auxilium contra Regem Israel. (2. Paralip. 16. 2.) Et Iudas Machabæus iniit fœdus cum Romanis, vt in bello se mutuo iuuarent. (1. Machab. 8. 1.)

2 Alij contrarium tenent. Primo, quia Turcæ sunt iurati hostes Christianorum: Ergo Christiani non debent cum illis inire societatem belli. Secundo, quia Deus in veteri Testamento seuerè prohibuit Iudæis, vt

non contraherent amicitiam aut fœdus cum infidelibus: Et minatus est, nisi obtemperarent, se eos puniturum. (Deut.7.2. Et Iosue 23.12. Et Iudic.2.2.) Et quia non obtemperarunt, puniti sunt. Nam Deus permisit illos à Gentilibus opprimi, & in seruitutem redigi, vt patet ex lib. Iudic. ex 3. & 4.Reg. ex lib.Tobiæ, Esther, & Prophetarum.

3 Nota. Hæc duo distinguenda sunt. Primo, quid per se,& ex natura sua liceat, vel non liceat. Secundo,quid ratione scandali vel periculi, liceat vel non liceat. Item, aliud est vocare in auxilium infideles contra fideles, de quo hîc disputamus: aliud,vocare in auxilium infideles contra alios infideles, de quo non disputamus. Hoc enim certum est, licere. Et sic fecit Iudas Machabæus, quando contra externos hostes iniit fœdus societatis cum Romanis. Sic Ionathas frater eius, quando opem tulit Demetrio Regi infideli, contra Alexandrum similiter infidelem. (1.Machab.11.) Igitur de priori puncto statuendum est, iuxta sequentes concl.

4 Prima Conclusio. Per se, & ex natura rei (secluso periculo & scandalo) licitum est in bello iusto vocare in auxilium infideles contra fideles. Ita Dominic. Bannes, q.40.art.1.dub. 3. & alij ab eo citati. Ratio est,quia infideles possunt ex se suscipere iustum bellum, contra quoscunque hostes: Ergo possunt etiam alios iuuare in iusto bello,contra quoscunque hostes: Ergo licitum est ab iis petere, vt nos iuuent in iusto bello. Et confirmatur 1. quia actus Iustitiæ, loquendo præcisè ex natura rei, potest ab omnibus, tam fidelibus,quàm infidelibus exerceri: At gerere iustum bellum, vel iuuare in iusto bello, est actus Iustitiæ: Ergo potest ab omnibus exerceri. 2. quia in iusto bello licitum est vti subsidio equorum,elephantorũ,& aliorum brutorũ animalium: Ergo etiam hominum infidelium. 3. Licitum est, in iusto bello, præbere auxilium infidelibus contra fideles:

ergo etiam licitum est ab eis petere auxilium, cum sit par ratio. Antecedens patet exemplo Dauidis, qui auxilium præbuit Achis Regi Philistinorum, contra populum Israel, (1. Reg. 28. & 29.) Videatur ibidem Abalensis q. 5. in cap. 28.

5 Secunda Conclusio. Ratione periculi vel scandali, sæpè illicitum est vocare in auxilium infideles contra fideles. Ita Authores citati. Et merito. Nam sicut in aliis rebus cauendum est periculum & scandalum; ita etiam in bello. Et sicut grauiter peccat, qui in aliis rebus non cauet periculum & scandalum; ita etiam qui in bello non cauet. Hinc Deus in veteri Testamento, seuerè prohibuit Israelitis, ne inirent fœdus cum infidelibus. 1. Ratione periculi subuersionis, quia periculum erat; ne ex tali fœdere & societate desererent cultum Dei, & fierent idololatræ. (Exod. 39. 12. Et Deut. 7. 3. & alibi.) Secundo, ratione periculi perfidiæ, ex parte infidelium. Nam infideles sæpè non seruabant pacta cum Iudæis inita. Non seruauit Rex Moab, (4. Reg. 3. 5.) nec Demetrius, (1. Machabæorum 11. 53.) nec Tryphon, (1. Machabæorum 12. 48.) nec Ptolomæus, (1. Machabæorum 16. 6.) nec multi alij. Tertio, ratione scandali, quod erat duplex. Vnum, quia qui in bello petebant auxilium ab infidelibus, videbantur fiduciam suam in illis potius ponere, quàm in Deo. quod, quia erat contra legem Dei, erat scandalosum. Et hoc nomine reprehensus fuit Asa Rex Iuda, qui à Benadad Rege Syriæ petiuerat auxilium, iuxta illud 2. Paral. 16. 7. *Venit Hanani Propheta ad Asa Regem Iuda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* Alterum, quia sicut erant socij & fautores, infidelium in bello, sic etiam putabantur esse socij & fautores in impietate; quod æquè erat scandalosum. Vnde dictum est Iosaphat Regi Iuda, qui auxilium præbuerat

impio Regi Achaz, 2. Paral. 19. 2. *Imperio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis, sed bona opera inuenta sunt inte, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda.*

6 Idem periculum & scandalum esset hoc tempore, si quis Princeps Christianus imploraret auxilium Turcarum, vel aliorum infidelium, contra Christianos. Nam, vt taceam de scandalo, periculum esset, ne Turcæ vel alij infideles violarent pacta: ne, si victores essent contra Christianos, occuparent eorum terras, abolerent cultum religionis, euerterent templa & altaria, conculcarent Sacramenta, abducerent Christianos in captiuitatem. Notum est, quid Lutherani & Caluinistæ fecerint Romæ, quando Borbonius sub Carolo V. vrbem obsedit & expugnauit. Legantur historici.

VII. QVÆSTIO.

An bellum ex vtraque parte possit esse iustum?

1 CErtum est, ex vtraque parte esse iniustum: Vt, si vna pars foueat iniustam causam, & altera non habeat legitimam potestatem indicendi bellum. Quæstio est, an vtrinque possit esse iustum & licitum. Solet præmitti hæc distinctio. Bellum tribus modis potest esse iustum. 1. formaliter tantùm. 2. materialiter tantùm. 3. vtroque modo simul. Tunc est iustum formaliter tantùm, quando est iustum in conscientia gerentis, non tamen ex parte rei, id est, quando is qui bellum gerit, prudenter & practicè indicat se habere iustam causam: Et tamen ex parte rei, est aliqua iniustitia, quæ illum latet. Tunc est iustum materialiter tantùm, quando est iustum ex parte rei, non tamen in conscientia gerentis: vt si gerens bellum, reuera habeat iustam causam, sed tamen putet se habere iniustam: Tunc est iustum vtroque modo, quando & habet iustam causam, & practicè iudicat se habere; ita, vt si contrarium iudicaret, nollet

persistere in bello. Hoc posito, sit.

2 Prima Conclusio. Bellum ex vtraque parte potest esse iustum formaliter tantum, & sæpè est. Nam fieri potest, & sæpè fit, vt vtraque pars practicè & prudenter iudicet se habere iustam causam, etiamsi altera non habeat. Et hoc solet fieri ex inuincibili ignorātia; vt si vterque Princeps, inter quos bellum est, bona fide procedat, & re diligenter examinata, non reperiat vllam iniustitiam ex sua parte, etiamsi ex alterutra parte sit aliquid occultæ iniustitiæ, quæ ipsum lateat. Sic factum est in bello Israelitarum contra Chananæos. Nam Israelitæ iusto titulo, nempe titulo veteris possessionis ac hæreditatis, repetebant terram Palæstinam, tanquam suam. Chananæi, quia nihil sciebant de hoc titulo, & putabant suam esse hæreditatem, quam actu possidebant, bona fide defendebant se: & sic vtrinque erat bellum iustum formaliter. Ex parte quidem Chananæorum, formaliter tantum; ex parte verò Israelitarum, formaliter & materialiter simul. Vide Serarium in c. 6. Iosue, q. 2. & 3. proemiali. Valentiam q. 16. puncto 2. Molin. disp. 102.

3 Nota. Quando bellum ex vtraque parte est formaliter iustum, id est, quando vterque Princeps practicè & prudenter iudicat se habere iustam causam; id sæpè verum est, respectu ipsorum Principum; sed falsum respectu consiliariorum, aut eorum, qui Principem vel consiliarios informant de variis causæ circumstantiis. Nam sæpè contingit, vel informationem falsam esse, vel consiliarios falsò persuadere suo Principi, quod habeat iustam causam. In quo casu, informatores & Consiliarij formaliter iniusti sunt; Princeps formaliter iustus. Nam hîc secundum allegata & probata, bona fide procedit, & credit verum esse quod ipsi à Consiliariis tanquam verum proponitur. Simile est de Iudice, qui secundū allegata & probata condemnat innocentem. Nam ille quidem iustè procedit, sed testes iniqui sunt. Frequens hic casus est.

4 Secunda Concluſio. Bellum non poteſt ex vtraque parte materialiter eſſe iuſtum. Nam fieri non poteſt vt vterque Princeps, inter quos bellum eſt, foueat iuſtam cauſam à parte rei. Sic bellum Iſraelitarum contra Chananæos, tametſi ex vtraque parte fierit iuſtum formaliter, vt dixi, non tamen materialiter. Nam terra Palæſtina re vera non debebatur Chananæis, ſed Iſraelitis: ac proinde ex parte Iſraelitarum, non autem ex parte Chananæorum, erat bellum materialiter iuſtum.

5 Dices 1. Si Princeps iuſto bello oppugnaret aliquam arcem vel ciuitatem hoſtilem, in qua multi eſſent innocentes, qui ſe iuſtè defenderent, ne occiderentur; iam bellum ex vtraque parte materialiter eſſet iuſtum, quod eſt contra concluſionem. Reſpondeo. quando dicimus bellum ex vtraque parte non eſſe iuſtum materialiter, intelligendum eſt, circa eandem rem. In hoc autem caſu, qui obiicitur, non eſt bellum circa eandem rem. Nam qui oppugnat ciuitatem hoſtilem, non ſuſcipit bellum contra innocentes (alioqui non eſſet iuſtum bellum) ſed contra nocentes: Et per accidens eſt, quod inter illos ſint aliqui innocentes. Ac viciſſim innocentes, qui ſe defendunt, non defendunt nocentes, qui propter iniuriam illatam bello oppugnantur; ſed defendũt ſuam innocentiam, quæ propriè non oppugnatur.

6 Dices 2. quando Iudex ſecundum allegata & probata legitimè condemnat innocentem, poteſt innocens ſe tueri contra Iudicem: Ergo inter illos poteſt eſſe bellum ex vtraque parte materialiter iuſtum. Reſpondeo. Eadem eſt ſolutio. Nam ciuſmodi bellum non eſt circa eandem rem. Qui enim defendit ſe contra Iudicem, defendit ſe, vt innocentem, ſicut re vera eſt. Iudex autem, qui oppugnat illum, non oppugnat vt innocentem, ſed vt publico teſtimonio probatum nocentem ac reum. Vide Valentiam q. 16. puncto 2. §. ad tertium.

VIII. QVÆSTIO.

Quid faciendum quando causa belli est dubia?

1 TVnc censetur dubia, quando duo Principes inter se contendunt de aliqua ciuitate, pago, arce, prouincia, vel alia re simili: Et in vtramque partem occurrunt probabiles rationes; neque satis constat, vtra pars alteri præferenda sit. Est ergo quæstio, quid tunc fieri debeat? An res, de qua controuertitur inter Principes litigantes, diuidenda? Et, si alter nolit, an bellum illi inferendum? Distinguo. Nam in triplici casu potest hęc quæstio proponi. Primus est, quando alter Principum legitimè, & bona fide cœpit possidere rem, antequam controuersia circa illam moueretur. Secundus est, quando post ortam controuersiam cœpit illam possidere. Tertius, quando neuter adhuc illam possidet, sed controuertitur, vter possit aut debeat illam tanquam suam possidere. Iuxta hunc triplicem casum, ponam tres conclusiones.

Prima Conclusio. Si alter Principum est in legitima possessione rei, & postea oritur circa illam controuersia; non tenetur possessor partem illius alteri tradere, etiamsi dubium sit, vter habeat iustam causam: nec alter, qui non possidet, potest illi bellum inferre, vel partem rei possessæ sibi vindicare; sed tantum rationibus potest ius suum experiri: Et possessor debet eas audire, & moralem diligentiam adhibere, vt sciat an res ad se, an ad alterum iure pertineat. Ita Victoria de iure belli, num. 25. & sequentibus. Et Molina disp. 103. Hæc conclusio habet quatuor partes.

2 Prima est, quod possessor bonæ fidei non teneatur partem rei possessæ alteri tradere, etiam si dubium sit vtri debeatur. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Huc spectat 11. regula iuris, in 6. *Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius quam*

actori. At possessor est reus respectu alterius, qui non possidet, & contendit rem ad se pertinere. Et regula 65. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.*

Secunda pars est, quod alter, qui non possidet (& in hac causa sustinet personam actoris) non possit bellum inferre possessori, quamdiu non constat de Iustitia causæ. Ratio est, quia in tali casu ius fauet possessori, vt dictum est Hoc autem ius non potest alter violare, aut per bellum infringere.

Tertia est, quod possit rationibus ius suum experiri; quia per hoc nullam facit iniuriam possessori. Nam si possessor habet legitimum ius rei possessæ, manebit in possessione. Si non habet, non auferetur illi, quod suum est, sed quod alienum. Nulla igitur fit illi iniuria.

Quarta est, quod possessor debeat audire rationes alterius, & adhibere moralem diligentiam, vt constet de iustitia causæ. Nam cum ipse dubitet an possideat rem suam; si non vellet inuestigare veritatem, inciperet esse possessor malæ fidei, & exponeret se periculo retinendi rem alienam, inuito Domino, quod iniustum est.

3 Quæres 1. Si re diligenter examinata, maneret quidem dubium, sed tamen probabilius esset, actorem habere plus iuris, quàm possessorem; an tunc possessor deberet diuidere cum actore, pro quantitate dubij, maiorem partem illi tribuendo, & minorem sibi reseruando? Et, si id nollet facere, an actor possit illi inferre bellum, tanquam iniusto detentori? Respondeo cum distinctione. Nam si causa agitur per arbitrum, non ex rigore iustitiæ, sed ex quadam æquitate; potest arbiter in tali casu decernere diuisionem, pro quantitate dubij: Et si vterque Princeps ab initio consensit in arbitrum, tenetur vterque stare ipsius arbitrio. Si autem agitur per Iudicem & per viam iuris, (cùm vterque Princeps sit iudex in sua causa, & neuter agnoscat superiorem in temporalibus) non tenetur possessor, qui in hac causa iudex

est, durante dubio, decernere diuisionem, sed potest rem totam sibi reseruare, donec manifestè constet de veritate rei; quia iuxta regulam iuris allegatam, potior est ipsius conditio, quàm actoris. Similiter actor, qui etiam est Iudex in hac causa, non potest secundum viam iuris exigere hanc diuisionem; quia debet sequi regulam iuris, quæ decernit, possessorem esse potioris iuris, quàm ipse sit.

4 Quæres 2. Si re diligenter examinata, possessor maneret dubius; & actor, sepositio omni dubio, affirmaret rem ad se pertinere, quid tunc faciendum? Respondeo. Tunc actor bona fide posset rem suam exigere; & si possessor nollet dare, posset illi bellum inferre. Possessor verò, vel deberet arbitris causam committere; vel diuidere cum actore, si actor vellet; vel alio modo cum illo componere. Ratio est, quia actor in tali casu est Iudex, sicut & possessor. Cùm enim vterque, vt suppono, sit supremus Princeps, & neuter agnoscat superiorem in temporalibus, non habent communem iudicem, cui subesse teneantur; ac proinde quisque in sua causa debet esse Iudex. Si ergo actor bona fide iudicat, rem ad se iure pertinere; potest iusto bello eam exigere, si possessor nolit tradere. Contra verò possessor, non potest bona fide iudicare, rem ad se iure pertinere, quamdiu dubius est. Tenetur ergo satisfacere actori, vel per arbitros, vel per diuisionem, vel alio modo, prout circumstantiæ exigunt. Non enim agnoscit alium Iudicem, à quo sententiam expectet. In quo differt ab homine priuato, qui cùm habeat communem Iudicem cum suo aduersario, non tenetur cum illo componere, quamdiu dubius est, etiamsi aduersarius dicat se non dubitare: Sed potest expectare sententiam iudicij, vt vel res tota ipsi relinquatur, vel tota aduersario adiudicetur.

5 Secunda Conclusio. Si alter Principum ingressus est

possessionem rei post ortam controuersiam, altero renuente, & contradicente, non censetur possessor bonæ fidei, nec in dubio potior est ipsius, quã alterius conditio: Ac proinde, si causa diligenter examinata, adhuc manet dubium, ad quem duorum res pertineat, diuidenda est inter vtrumque pro quantitate dubij; vel aliqua alia compensatio facienda, si res commodè diuidi non potest. Ita Victoria & Molina locis citatis. Ratio est, quia in tali casu, est par vtriusquè conditio, cùm vterque dubitet de sua causa, & neuter sit possessor bonæ fidei: Ergo manente tali dubio, non supereſt alius modus finiendi litem, nisi per compositionem, aut diuisionem pro quantitate dubij.

6 Dices: Si alter nolit consentire, quid faciendum? Respondeo. Si non consentit, iniustus est, ac proinde aduersarius potest illi bellum inferre, & sic compellere ad diuisionem, & expensas belli faciendas. Confirmatur, quia si in simili casu contenderent duo priuati homines, coram communi Iudice, & Iudex adhibita morali diligentia, videret causam manere dubiam; certè non posset aliud decernere, quàm vt fieret compositio vel diuisio pro quantitate dubij. Et si alter litigantium renueret, posset à Iudice compelli. Idem dico de Principibus, qui communem Iudicem non habent.

7 Tertia Conclusio. Si neuter Princeps est in possessione rei, de qua inter illos oritur controuersia, tunc idem faciendum est, quod dixi faciendum esse in præcedenti conclusione. Nam in tali casu, par est vtriusque conditio. Ergo si re diligenter examinata, adhuc manet dubiũ, vter debeat rem possidere, vel diuisio vel cõpositio faciẽda est. Et qui renuit, iusto bello cõpelli potest.

8 Quæres, quid faciendum, quando mortuo Rege, duo subditi contendunt de successione? Respondeo. Tunc ipsa Respublica, quæ mortuo Rege est superior respectu omnium subditorum, debet iudicare ad quem regnum pertineat, & illud ei tradere. Sicut

etiam facit Ecclesia, quæ tempore schismatis iudicat quis debeat esse Pontifex.

IX. QVÆSTIO.

Quando & quomodo bellum inchoandum sit?

1 BEllum defensiuum statim inchoari potest, quando opus est iusta defensione. quæstio est de offensiuo. Et quidem duplex. Vna, an Princeps, qui habet iustam & exploratam causam, possit statim inferre bellum aduersario: an verò prius debeat petere ab eo condignam satisfactionem. Et si aduersarius eam offerat, teneatur ipse acceptare, & à bello abstinere. Altera, an si aduersarius post inchoatum bellum, id est, post vnum aut alterum conflictum, offerat condignam satisfactionem, teneatur Princeps eam acceptare, & bellum inchoatum intermittere?

2 Prima Conclusio. Princeps, etiam si constet de iustitia causæ, non debet statim inferre bellū offensiuum, sed prius petere condignam satisfactionem. Quæ si offeratur, debet à bello abstinere. Ita Caietanus, Ioannes Maior, & Driedo, quos sequitur Molina disp. 103. Et colligitur ex illo Deut. 20. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam,* &c. Et ex Augustino epist. 205. ad Bonifacium comitem, vbi ait: *Pacem habere debet voluntas; bellum necessitas.* Vel, vt refertur apud Gratianum, cap. *Noli* 23. q. 1. *Pacem habere voluntatis est; bellum autem debet esse necessitatis.*

3 Quæres. Si Princeps nolit acceptare oblatam satisfactionem, nec à bello abstinere, an tunc bellum sit illicitum & iniustum? Respondeo. Certum est illicitum esse, quia contra charitatem est. An etiam iniustum sit, seu contra iustitiam, disputari solet. Aliqui affirmant, quia

quia quando offertur condigna satisfactio, tunc seruatur iustitia: Ergo qui non est contentus condigna satisfactione, sed maiora damna vult inferre, peccat contra iustitiam. Sed distinguendum est. Nam si iniuria, quam aduersarius intulit, talis est, quæ condignè & ex rigore iustitiæ compensari potest, absque occisione hominum, tunc oblata compensatio acceptanda est. Vt, v. g. si aduersarius restituat ciuitatem vel arcem, quam iniustè detinebat, & refundat omnia damna temporalia quæ intulit. Si autem iniuria talis est, quæ condignè & ex rigore iustitiæ compensari non potest; nisi etiam tradantur aliqui in particulari, qui mortem meriti sunt; tunc Princeps non tenetur esse contentus vlla alia compensatione, quæ fieri potest per bona temporalia, nisi simul fiat compensatio per traditionem nocentum, vt morte puniantur: Simile est de Iudice, respectu priuati malefactoris. Nam Iudex non tenetur acceptare compensationem pecuniariam, quæ offertur pro malefactore; sed potest illum morti adiudicare, si meritus est. Vide Molinam loco citato.

4 Secunda Conclusio. Si post bellum inchoatum, & aliquot cædes in conflictu perpetratas, offerat aduersarius debitam satisfactionem; tenetur Princeps, qui iustam causam habet, eam acceptare & bellum intermittere. Hæc conclusio est contra Caietanum, Maiorem & Driedonem, qui putant Principem non teneri. Ratio ipsorum est, quia aduersarius, qui ante bellum inchoatum non voluit præstare debitam satisfactionem; sua culpa constituit se extra statum satisfaciendi, & posuit se in statu executionis iustitiæ vindicatiuæ. Nam eo ipso, quod bellum inchoatum est, incipit executio iustitiæ vindicatiuæ, ac proinde potest Princeps eam perficere si velit, & non tenetur acceptare satisfactionem. Hoc tamen aliqui limitant, non teneri, si sit in actuali conflictu; teneri tamen, si cessauit conflictus actualis.

Nos cum Molina asserimus, semper teneri, quando offertur certa & condigna satisfactio, non solùm pro iniuria ante bellum, sed etiam in ipso bello illata; Ita vt aduersarius paratus sit, non solùm omnia damna temporalia resarcire, quæ vsque ad illud temporis momentum facta sunt; sed etiam ad mortem tradere eos omnes, qui digni sunt morte. Ratio est, quia aduersarius eo momento, quo offert talem satisfactionem, cessat ab vlteriori iniuria: Et pro præterita iniuria nihil amplius potest Princeps exigere, quàm quod offertur.

5 Dices: Moraliter impossibile est, vt aduersarius præstet talem satisfactionem. Tamersi enim possit debitam satisfactionem præstare pro damnis temporalibus illatis; non tamen potest omnes illos in mortem tradere, qui digni sunt. Sic enim deberet & seipsum, & multos alios tradere; qui potius fugerent, vel in bello persisterent, quàm se ad certam mortem paterentur destinari. Respondeo. quando iniuria ab aduersario facta, est tantum materialis, ita vt ipse sine culpa & bona fide processerit, putans se habere iustam causam; tunc si post conflictum intelligat se habere malam causam, vel certè aduertat, se non esse sufficientem ad resistendum, & ideò offerat debitam satisfactionem; tenetur Princeps eam acceptare. Nec talis satisfactio difficilis est, quia cùm aduersarius fuerit sine culpa, non opus erit aliquem ad mortem tradere, sed sufficiet, si damna illata resarciantur, eo modo quo resarciri possunt. Quando autem iniuria ab aduersario illata, est materialis & formalis simul, ita vt ipse mala fide processerit, sciens se habere iniustam causam; tunc si post conflictum offerat debitam satisfactionem, tenetur eam Princeps acceptare, si possibilis & certa est: Si autem incerta, aut moraliter impossibilis, non tenetur (saltem ex iustitia,) sed potest in bello perseuerare. Vide Molinam loco citato.

X. QVÆSTIO.

An in bello iusto, postquam inchoatum est, liceat omnes hostes occidere, & eorum bona diripere?

1 HOc intellige, si hostes non offerant debitam satisfactionem, sed in bello iniusto perseuerent. Tunc quæritur, an liceat omnes interficere, & suis bonis spoliare?

2 Communis regula est, ea omnia tunc licere facere contra hostes, (occidendo, spoliando, destruendo, & in seruitutem redigendo) quæ necessaria sunt ad finem belli obtinendum. Finis belli defensiui, est legitima sui & suorum defensio, contra iniquum inuasorem. Quicquid ergo necessarium est ad hunc finem, hoc licitum est facere in bello defensiuo. Finis belli offensiui, vt suprà dixi, triplex est. 1. recuperare res amissas. 2. vindicare iniuriam illatam. 3. pacem & securitatem stabilire. Quicquid est necessarium ad hos fines, vel ad aliquem illorum obtinendum; hoc licitum est facere in bello offensiuo. Ita Valentia q. 16. puncto 3. assert. 1. Molina disp. 117. & alij passim.

3 Primo ergo licitum est, recuperare omnia damna, quæ vel ante bellum, vel in ipso bello illata sunt; inter quæ debent etiam computari sumptus in bello facti. Et quia huiusmodi damna sæpè non possunt recuperari, nisi diripiendo bona hostium; ideò licitum est ex tali direptione sufficientem compensationem quærere: sed non vltra. Si quid vltra accipitur, restitutioni obnoxium est. Excipiuntur tamen spolia seu prædæ, de quibus quæstione 14. dicendum est.

4 Secundò, licitum est, omnes hostes interficere, qui in actuali conflictu contra nos pugnant. Post conflictum verò, (vt quando ciuitas aliqua per conflictum capta est) non semper licet omnes interficere. Tunc quidem licet, quando constat nocentes esse; & non spera-

tur firma pax & securitas, nisi omnes interficiantur. In duplici casu non licet. 1. quando constat innocentes esse, eo quod bona fide putauerint se habere iustam causam. 2. quando quidem nocentes sunt, sed tamen cupiunt cessare à bello, & tanta est eorum multitudo, vt sine graui detrimento, vel scandalo, vel etiam innocentum damno, interfici omnes non possint. Tunc enim esset contra charitatem omnes interficere; non tamen contra iustitiam, vt notat Molina disp. 122. concluſ. 3.

5 Tertiò, licitum est iniuriam illatam vindicare. Vnde si hostes non solum damna temporalia, sed etiam culpabilem iniuriam vel contumeliam intulerunt; licitum est non solùm diripere eorum bona, ad compensationem damnorum temporalium; sed etiam poscere ad mortem eos omnes, qui authores iniuriæ extiterunt. (Molina disp. 117.)

6 Quartò, licitum est omnia ista præstare, quæ ad pacem firmandam ac stabiliendam necessaria sunt. Licitum est ergo ciuitates & munitiones hostium capere: & captas vel destruere, si aliter pax secura sperari non potest; vel retinere, quamdiu periculum est nouæ rebellionis. Similiter licitum est in eorum terris nouas munitiones excitare, vt eorum rebellio coerceatur. Denique licitum est, omnes interficere, omnia eorum vastare ac diripere, si pertinaces ac desperati sint, à quibus, si viuant, firma pax sperari non possit, (Molina ibidem.)

7 Quintò, licitum est obsides petere ab hostibus, postquam debellati sunt: quo securiores simus de pace in posterum seruanda. Sicut si ciuis ciui iniuriam fecerit, potest Iudex illum cogere, vt non solùm satisfaciat illi pro iniuria illata, sed etiam vt satisdet, vel ab vrbe recedat, si periculum sit, ne vlterius pergat iniuriam inferre. (Molina ibidem.)

8 Quæres, ad quem spectent ciuitates & alia bona

immobilia, quæ tempore belli eripiuntur hostibus? Respondeo. Si antea erant bona hostium, transeunt ad supremum Principem, qui iusto bello ea occupauit; quatenus iustam compensationem aut satisfactionem non excedunt. Si non erant bona hostium, sed ab iis iniustè occupata detinebatur, prioribus Dominis restituenda sunt, eo quod ipsi eorum dominio legitimè non sunt priuati. Ita Valentia q. 16. puncto 3. propositione 4. Molina disp. 118. & colligitur ex L. *Si captiuus*, ff. de captiuis, & L. *Pomponius*, ff. de acquirendo rerum dominio.

XI. QVÆSTIO.

An in bello iusto liceat innocentes interficere?

1 INnocentum varia sunt genera. 1. Infantes & mulieres. 2. Monachi, Conuersi, & Presbyteri. 3. Rustici ad agriculturam euntes, inde redeuntes, & in agro laborantes. 4. Legati & Oratores. 5. Peregrini & exteri. 6. Mercatores accedentes & abeuntes (cap. *Innouamus*, de Treuga & Pace, & cap. *Paternarum*, 24. q. 3.) Hi omnes tam diu præsumuntur innocentes, quamdiu contrarium de illis non constat. His annumerandi sunt alij. 1. Multi è populo, qui nihil hostile moliuntur. 2. sponte dediti. 3. Obsides. Nisi etiam contrarium constet.

2 Prima Conclusio. In bello, quantumuis iustum sit, nunquam per se, & ex intentione licitum est interficere vllos innocentes. Ita Valentia q. 16. puncto 3. Molina disp. 119. & alij ab eo citati. Et colligitur ex illo Exod. 23. 7. *Insontem & iustum non occides.* Et ratio est, quia Princeps in propria Repub. non potest occidere innocentem, propter culpam alterius: Ergo nec in Repub. est enim contra iustitiam.

3 Dices: Israelitæ in veteri Testamento occidebant etiam mulieres & infantes, vt habetur Iosue 6. 21. *Cæperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem.* Respon-

deo. Hoc non faciebant ex ordinaria lege iustitiæ, sed ex speciali mandato Dei, qui est Dominus vitæ & mortis. Nam ordinaria lex erat, quæ habetur Deut. 20. 13. *Percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladij, absque mulieribus, & infantibus, & iumentis.* Non obstante hac lege mandabat aliquando Deus, vt etiam mulieres, infantes, & iumenta interficerentur. 1. Reg. 15. 3. *Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius. Non parcas ei, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Aliquando, vt omnes mulieres, exceptis puellis & virginibus. Num. 31. 17. *Cunctos interficite, quicquid est generis masculini, etiam in parvulis: & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem & omnes fœminas virgines reseruate vobis.* In his & similibus casibus, Dei iussio pro lege est, vt ex August. notat Serarius in c. 6. Iosue, q. 36.

4 Secunda Conclusio. Aliquando per accidens, & præter intentionem, licitum est in iusto bello interficere innocentes: quod tunc fit, quando victoria obtineri, aut ciuitas expugnari non potest, nisi cum nocentibus interficiantur simul aliqui innocentes. Ita authores citati. Vnde si aliqua ciuitas iustè oppugnatur, in qua permixti sunt innocentes cum nocentibus, licitum est globos in eam mittere, aut ignem supponere; etiam si probabile sit, aliquos etiam innocentes perituros. Idem licitum est, quando oppugnantur triremes Turcarum, in quibus aliqui remiges sunt Christiani & innocentes. Ratio est, quia bonum publicum, quod speratur ex victoria vel expugnatione, tale est, cui merito postponi debeat aliqua innocentum interfectio. quod si tale non sit, & multi innocentes essent interficiendi, abstinendum esset ab interfectione. (Valentia ibidem.)

5 Et confirmatur: quia si in tali casu non liceret interficere innocentes, iam nunquam liceret iusto bello oppugnare hostilem ciuitatem; nunquam se defendere

contra triremes Turcarum, & consequenter, nunquam publicas iniurias vindicare, bona amissa recuperare, firmam pacem stabilire, iustitiam inter Principes & Resp. custodire: quæ omnia absurda sunt. Sequela patet, quia semper in ciuitatibus & triremibus reperiuntur aliqui innocentes qui periculo mortis expositi sunt.

XII. QVÆSTIO.

An in bello iusto liceat innocentum bona diripere?

1 EX iis innocentibus, quos recensui, alij pertinent ad Rempub. hostilem, tanquam illius membra: alij non pertinent. Rursum, Aliud est loqui de vita innocentum, quæ propriè non est subiecta iurisdictioni & dispositioni Reip. vel Magistratus, sed solius Dei, quatenus innocentes sunt: Aliud de externis eorum bonis, quæ sunt subiecta dispositioni & iurisdictioni Reip. & Magistratus.

2 Prima Conclusio. Innocentes, qui sunt membra Reipub. hostilis, contra quam iustum bellum geritur, possunt spoliari suis bonis temporalibus, quantum necesse est ad condignam compensationem faciendam, de qua, quæst. 10. §. 3. dictum est. Ita Valentia quæst. 8. puncto 3. Molina disp. 121. concl. 4. & apud ipsum Caietanus, Victoria Couarruuias & alij. Ratio est, quia tota Resp. contra quam iustum bellum geritur, censetur hostis: ergo licitum est eam punire in omnibus suis membris, quatenus dispositioni & iurisdictioni illius subiecta sunt. At innocentes quoad bona temporalia, subiecti sunt dispositioni & iurisdictioni Reipub. ergo Resp. in iis puniri potest. Et ob hanc causam, quando aliqua Resp. vel ciuitas, quæ iusto bello capta est, fit tributaria, non solùm exigitur tributum à nocentibus, sed ab omnibus illius membris, siue nocentes,

siue innocentes sint: Neque solùm ab illis, sed etiam ab eorum posteris, quos constat innocentes esse.

3 Quæres: Si ex bonis nocentum sufficiens compensatio fieri posset, an tunc parcendum esset innocentibus? Respondeo. Compensatio dupliciter fieri potest. Primò, quando exigitur ab hostibus certa summa pecuniæ, statim persoluenda. Tunc æquitas postulat, vt soli nocentes grauentur, si sufficiunt ad præstandam solutionem. Si non sufficiunt, petant subsidium ab innocentibus, quantum necesse est ad supplendum defectum debitæ solutionis. Et postea si commodè fieri potest, restituant. Secundò, quando non exigitur certa summa pecuniæ statim persoluenda, sed toti ciuitati imponitur annuum tributum. Tunc omnes, tam innocentes, quàm nocentes grauandi sunt, cum suis posteris, vt dixi. In priori casu notandum est, aliquos in Repub. hostili esse innocentes quoad vitam, non tamen quoad bona temporalia; vt sunt filij ciuium nocentum. Nam bona temporalia filiorum & parentum sunt eadem. Si ergo parentes, quoad bona temporalia nocentes sunt; censentur etiam filij esse tales. Rursum, aliquos vtroque sensu innocentes esse, & quoad vitam, & quoad bona temporalia; vt sunt pupilli, viduæ, virgines adultæ, non subiectæ parentum potestati. Hi tempore belli, si compensatio præstanda sit, debent esse potioris conditionis.

4 Quæres 2. An etiam rustici, qui sunt membra hostilis Reip. grauari debeant? Ratio dubitandi est, quia in cap. *Innouamus.* (quod suprà citaui) definitum est, eos tempore belli securos esse oportere. Non ergo debent priuari bonis temporalibus ad faciendam condignam satisfactionem. Respondeo. Non est definitum, eos absolutè securos esse, ita vt nihil omnino debeant oneris sustinere; sed securos esse pro eo tempore, quo cum suis animalibus eunt ad colendos agros & inde reuertuntur. Quod ideò definitum est, ne agri tempore

belli, maneant inculti. Alioqui sequeretur fames, quæ toti Reip. esset perniciosa.

5 Quæres 3. Si aliquis pagus vel ciuitas illius Reip. contra quam iustum bellum geritur, non vellet illi adhærere, sed potius sequeretur partes alterius Principis, qui illam Remp. oppugnat; an in tali casu deberet aliquid conferre ad præstandam compensationem, quæ Reip. imposita est? Respondeo, Non debet. Nec alter Princeps, cuius partes secuti sunt incolæ illius pagi vel ciuitatis, quicquam ab iis potest exigere, sed potius gratias agere, quod ipsorum subsidio victoriam consecutus sit. Vide Molinam loco citato.

6 Secunda Conclusio. Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reip. non quidem possunt spoliari suis bonis temporalibus, ad faciendam compensationem, quæ hostili Reip. incumbit (in quo differunt ab innocentibus, qui ad Remp. hostilem pertinent) possunt tamen spoliari iis bonis, quibus, si non spoliarentur, vsuri essent hostes contra nos. Cuiusmodi sunt arma, naues, pecunia, frumentum, equi, & similia. Ita Molina disp. 121. concl. 1. & alij ab eo citati. Ratio est, quia si licitum est innocentes occidere, non quidem per se, sed per accidens, id est, non intentione nocendi ipsis, sed hostibus, quando status belli id exigit; multo magis in simili casu licebit eorum bona diripere.

7 Quæres, an huiusmodi bona ipsis postea restituenda sint? præsertim cùm sint bona innocentum, qui ad Remp. hostilem non pertinent. Respondeo Si illa bona consumpta sunt propter necessitatem belli, neque ex illis facti sumus locupletiores, non tenemur, ea restituere. Ratio est, quia neque tenemur ex parte rei acceptæ, quę iam periit, & ex qua non sumus facti locupletiores, vt suppono: neque ex parte iniustæ acceptionis, cùm licitè & sine culpa acceperimus. Hostes tamen, qui suâ culpâ fuerunt causa acceptionis, tenentur ad resti-

tutionem. Vnde, quando paciscimur cum hostibus, vt præstent nobis condignam satisfactionem pro illatis damnis, simul paciscendum est, vt restituant innocentibus, quæ illis, ipsorum culparablata sunt. Si autem eiusmodi bona non sunt consumpta propter necessitatem belli, sed vel in proprios vsus consumpta, vel adhuc supersunt, tenemur ea Dominis suis restituere. Ratio est, quia nullum ius habemus ad eiusmodi bona, nisi quatenus necessaria sunt ad bellum: Si ergo vel supersunt, vel consumpta sunt extra necessitatem belli, nullo iure excusamur ab onere restitutionis.

XIII. QVÆSTIO.

An liceat innocentes iusto bello captos, in seruitutem redigere?

1. ALiud est loqui de Christianis, qui in hac re habent priuilegium; aliud de Turcis, Saracenis, Iudæis, Gentilibus, qui non habent. Item, alij innocentes sunt membra hostilis Reip. alij non sunt.

2. Prima Conclusio. Non solum nocentes, sed etiam innocentes, qui sunt membra hostilis Reip. si iusto bello capiantur, in seruitutem redigi possunt, & iure gentium fiunt mancipia ipsorum capientium. Excipiuntur Christiani, qui, nisi fidem Christi penitus negauerint, non debent in seruitutem redigi, sed tamen possunt capi, & iusto pretio redimi. Prior pars habetur in iure ciuili, L. *si quid bello*, & L. *Hostes*, ff. de captiuis. Et ratio est, quia vt supra dixi, tota Resp. contra quam iustum bellum geritur, censetur hostis: Ergo in omnibus suis membris puniri potest, quoad bona fortunæ, quæ dispositioni & iurisdictioni Reipub. subiecta sunt: At libertas pertinet ad bona fortunæ: Ergo resp. potest in omnibus suis membris priuari libertate, & in seruitutem redigi. Excipiuntur, vt insinuaui, Christiani, qui

capti ab aliis Christianis, non rediguntur in seruitutem, sed pecunia redimuntur. Sic enim legitima consuetudine, quæ vim legis habet, introductum est. De qua videri possunt Bartholus, Panormitanus, Couarruuias, & alij apud Molinam disp. 117. concl. 4. Ex hac conclusione sequuntur tria. 1. Omnes Turcas & Saracenos, tam infantes & mulieres, quàm viros, qui à Christianis iusto bello capiuntur, fieri mancipia Christianorum. 2. Christianos nunquam fieri mancipia Christianorum, propter consuetudinem communi consensu & vsu approbatam. 3. Christianos, de facto quidem fieri mancipia Turcarum & Saracenorum; non tamen de iure; quia iusto bello non capiuntur. Nam bellum, quod Turcæ & Saraceni contra nos gerunt, iustum non est.

3 Secunda Conclusio. Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reip. non possunt capi & in seruitutem redigi; nisi forte per accidens, quando periculum est, ne aliquando coniungant se hostibus, aut ab hostibus vi adigantur, vt ipsis subsidium præstent. Sicut enim in tali casu licitum est, eiusmodi innocentes spoliare armis, pecunia, frumento, vt præcedenti quæstione dixi; sic etiam licitum est spoliare libertate. (Molina. disp. 120.)

XIV. QVÆSTIO.

An milites, durante bello, possint prædari, seu spolia ab hostibus accipere?

1 SVperius q. 10. dictum est, licitum esse in bello iusto diripere bona hostium, & ex illa direptione condignam compensationem acquirere pro damnis iniustè allatis, & pro sumptibus in bello factis. Nunc quæritur, an spolia seu prædæ, quæ fiunt durante bello, licitæ sint, & quo iure.

2 Communis sententia est, eiusmodi prædas, quas accipiunt milites in bello iusto, licitas esse, & iure gentium fieri ipsorum militum capientium: quas vero accipiunt in bello iniusto, illicitas esse, & propriè vocari rapinas. Ita D. Thomas q. 66. art. 8. ad 1. Valentia q. 16. puncto 3. assert. 3. Molina disp. 117. concl. 4. & alij passim. Et expresse habetur in iure Canonico cap. *Dicat.* 22. quæst. 5. & in Ciuili L. *Si quid bello*, vt L. *Hostes* ff. de captiuis. Porro per prædas intelliguntur res omnes mobiles, quæ auferri vel abduci possunt. Cuiusmodi non modo sunt pecuniæ, vestes, suppellex, pecora, sed etiam homines iusto bello capti, qui mancipia capientium fiunt. Nisi quod Christiani à Christianis cauti excipiantur, vt qu. præcedenti dictum est.

3 Quæres 1. An quando milites capiunt prædas ab hostibus, possit quisque pro se retinere, quod capit? Aliqui putant, prædas militum ad Ducem adferendas esse, vt inter ipsos pro quantitate meritorum diuidantur. Ita Couarruuias, & nonnulli alij apud Valentiam. Et colligitur ex iure Canonico cap. *Ius militare.* dist 1. vbi sic legimus: *Ius militare est, prædæ decisio, pro personarum qualitatibus & laboribus iusta diuisio, ac Principis portio.* Et confirmatur exemplo Dauidis, qui prædam ab hostibus acceptam distribuit inter milites: Nec solum inter illos, qui certamini interfuerant, sed etiam inter alios, qui apud Sarcinas remanserant. (1. Reg. 30 20.) Respondeo. Si in aliquo Regno vel Prouincia viget cõsuetudo, vel aliqua lex particularis, vt fiat huiusmodi prædarum diuisio, seruanda est. Sin minus, standum est iure gentium, vt quisque militum pro se tenear, quod cap. (Molina & Valentia loco citat.)

4 Quæres 2. quid faciendum, quando spolia seu prædæ, quæ hostibus eripiuntur, non erant hostium, sed iniustè ab illis possidebantur? Respondeo. Seruanda est cuiusque Regni vel nationis recepta & approbata

consuetudo. Et quidem iure Cęsareo constitutum est, eiusmodi spolia, si ab hostibus in tutum locum erant perducta, non necessario restituenda esse prioribus Dominis. Si non erant in tutum locum perducta, restitui oportere (L. *Si quid bello* ff. de captiuis.) Vide Molinam disp. 118. vbi etiam notat, si prioribus dominis restituantur, debere ipsos compensare laborem & industriam militum, qui illa ex hostium manibus eripuerunt: Idque titulo actionis negotiorum gestorum.

XV. QVÆSTIO.

Quænam soleant esse peccata militum, & Ducum?

1 LOquor de peccatis militum, qua milites sunt. Solent autem his modis potissimum peccare. Primo, quando parati sunt militare cuicunque Principi, etiam in bello iniusto, modo stipendia accipiant. Secundo, quando non contenti suis stipendiis, aut ea turpiter consumentes, molesti sunt rusticis, apud quos hospitantur, extorquendo cibum & potum, & alia necessaria, vel etiam superflua, contra illud Luc. 3. 14. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Tertio, quando deserunt stationem aut munitionem sibi commissam; contra L. 3. ff. ad legem Iuliam maiestatis, qua capite plectuntur, qui hostibus cedunt. Nisi forte nulla esset spes prævalendi. (Molina disp. 11) Quarto, quando sine facultate deserunt castra contra datam fidem; præsertim si valdè necessarij sint. (cap. *Infames.* 6. q. 1. & L. *Omne.* ff. de re militari.

2 Similiter subordinati Duces militum peccant his modis. Primo, quando lucri causa, non complent numerum suorum militum, & tamen capiunt stipendium pro completo numero. Secundo, quando dimissis veteranis & exercitatis militibus, nouos & imperitos minori pretio substituunt. In vtroque casu tenentur ad compensanda bona, quæ per huiusmodi fraudem im-

pediuntur; & ad resarcienda damna, quæ inde emergunt: Cuiusmodi sunt, quod belli sumptus & conatus in irritum cadunt, quod Principis & Reip. honor læditur; quod ab hostibus ciuitates, castra, & munitiones obtinentur, quod plurimi innocentes intereunt, quod sæpè religio Christiana in discrimen adducitur, & quæ similia sunt. Tertio peccant, quando non soluunt stipendia, sed permittunt militem à rusticis extorquere necessaria. Quarto, quando per aliquam prouinciam ducentes exercitum, accipiunt pecuniam ab obuiis pagis ac ciuitatibus, quæ offertur ad redimendam vexationem. Sic enim fit, vt dum aliqui exonerantur, alij plus æquo grauentur. Vide Molinam disp. 116.

3 Peccant etiam alij officiales in exercitu. Primo, quando, qui ex officio debent victualia ad exercitum comportare, non diligenter id faciunt, sed per auaritiam aut negligentiam, dant militi corruptum cibum & potum, ex quo morbi oriuntur. Secundo, quando lucri causa, pulueri tormentario admiscent aliquid extraneum, vt non sit aptus ad victoriam comparandam. Tertio, quando plus pecuniæ exigunt à militibus pro cibo, potu, vestibus, armis, & aliis necessariis, quàm præscriptum est. Quarto, quando in designandis hospitiis, alicui militi dant tria aut quatuor chirographa, ad tres vel quatuor distinctas domos, vt in vnaquaque hospitio recipiatur. Tunc enim in vna habet hospitium, ab aliis accipit pecuniam pro subleuato onere. (Molina ibidem.)

XVI. QVÆSTIO.

An in bello liceat vti insidiis?

HÆc tria distincta sunt. 1. An liceat vti insidiis. 2. An liceat vti mendacio. 3. An liceat fidem datam hosti violare. Duo posteriora non licent. De primo quæstio est. Respondeo. In bello iusto licitum est vti

insidiis, modo fiat sine mendacio & perfidia. Ratio est, quia non tenemur hosti patefacere nostra consilia, vt se muniat, ac sibi caueat: Ergo possumus aliquid moliri contra illum, de quo ipso non cogitauerat: ac proinde possumus insidiis contra illum vti. Habemus exempla in scripturis. Nam Iosue ex mandato Dei, vsus est insidiis contra vrbem Hai. (Iosue 8. 4.) Et Iudith contra Holofernem. (Iudith 11. & sequentibus.) Vide plura apud Serarium in c.8. Iosue, q.2.

XVII. QVÆSTIO.

An liceat bellare in die festo?

1 D. Thomas quæst. 40. art. 4. docet hæc duo. 1. licitum esse, iustum bellum gerere in die festo, si necesse sit, ad defensionem Reipublicæ. 2. Non esse licitum, si necesse non sit. Vtrumque videtur intelligi de bello tantum defensiuo, non de offensiuo, de quo etiam dicendum est.

2 Prima Conclusio. quandocunque hostes nos oppugnant, semper licitum est iusto bello nos defendere, etiam in die festo. Ita D. Thomas loco citato. Et probatur exemplo Iudæorum, de quibus 1. Machab. 2. 41. Sic legimus: *Cogitauerunt in die illa dicentes: Omnis homo, quicunque venerit ad nos in bello, die sabbathorum, pugnemus aduersus eum.* Et ratio est, quia in Sabbatho, licet laborare pro corporali salute vnius hominis, sicut faciunt Medici, & fecit Christus in Euangelio. (Ioan. 7. 23.) Ergo multo magis licet laborare pro salute totius Reipublicæ, quod faciunt milites in bello defensiuo. Similiter, in Sabbatho licet extrahere bouem aut asinum ex puteo, ne pereat. (Luc. 14. 5.) Ergo etiam licet Rempub. extrahere ex manibus hostium, ne deuastetur & euertatur.

3 Secunda Conclusio. Licitum est etiam in die festo, iusto bello aggredi & oppugnare hostem, si necesse

aut opportunum sit ad obtinendam victoriam, quæ fortè alio tempore tam commodè obtineri non posset. Ita Molina disp. III. Valentia q. 16. puncto 5. Caietanus & Bannes q. 40. art. 4. Ratio est, quia licitum est in die festo piscari, si speratur magna captura piscium, (vt habetur cap. *Licet*, de feriis.) Ergo multò magis licitum est bellare, si speratur magna victoria: Hæc enim maius bonum est, quàm captura piscium.

4 Quæres, An etiam liceret, si æquè commodè obtineri posset victoria die prophano, quàm festo? Respondeo. quando die festo non negligitur Missa, tunc non est peccatum mortale, bellum offensiuum exercere. Ita authores citati. Ratio est, quia in die festo solum prohibentur opera seruilia, id est, quæ seruorum propria sunt: at bellare non est opus seruile, quia non minus pertinet ad Dominos ac Principes, quàm ad seruos. An saltem sit veniale? Affirmat Bannes, quia bellum affert magnas distractiones, quæ impediunt pietatem ac deuotionem, cui diebus festis vacandum est. Molina putat, non semper esse veniale, quia sæpè fit, vt milites, quando pugnant, potius abstrahantur à peccatis, quàm à pietate. Nam extra pugnam, quando in otio viuunt, multas habent peccandi occasiones, quas non habent in ipsa pugna actuali. Tunc potius solliciti sunt de pia morte & dolore peccatorum, quàm de nouis peccatis perpetrandis.

5 Dices 1. In die festo non licet malefactores supplicio afficere: Idque propterea, quia per effusionem humani sanguinis videtur aliquid decedere sanctitati diei festi. Vnde Iudæi dicebant, Ioan. 18. 31. *Nobis non licet interficere quemquam*; quia scilicet erat dies festus. Et Matth. 26. 5. *Non in die festo*. Et Herodes post Pascha volebat occidere Petrum, quia in diebus azymorum non licebat. (Act. 12. 3.) Ergo multo minus licet bellum gerere, quia plus sanguinis funditur in bello quàm in priuato

priuato ſupplicio. Reſpondeo. Non ſequitur, quia maior neceſſitas eſt belli, quàm priuati ſupplicij. Hoc differri poteſt ſine vllo detrimento, illud ſæpè non poteſt, niſi cum magno Reip. damno.

6 Dices ſecundo. In iure Canonico decernitur, abſtinendum eſſe à bello certis anni temporibus. Sic enim legimus; cap. 1. de Treuga & pace: *Treugas à quarta feria poſt occaſum ſolis, vſque ad ſecundam feriam in ortu ſolis: item ab aduentu Domini vſque ad octauas Epiphaniæ, & à Septuageſima vſque ad octauas Paſchæ, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari præcipimus.* Reſpondeo. Ille canon non eſt vſu receptus, vt notat ibidem Gloſſa, & ex Theologis Valentia, quæſt. 16. puncto 5. in fine. Malderus quæſtione 40. art. 4. & quidam alij. Deinde poteſt explicari de bello offenſiuo extra omnem neceſſitatem. Nam in neceſſitate, licitum eſt quouis tempore bellum gerere, vt conſtat ex capite, *Si nulla*, 23. q. 8.

7 Dices tertio. In die feſto non licet exercere ludos militares, vt ſunt haſtiludia, & torneamenta: Ergo multo minus bellum. Reſpondeo. Haſtiludia & torneamenta poſſunt dupliciter exerceri. 1. Eo fine ac euentu, vt homines inde fiant habiliores ad bellum, & ſuo tempore poſſint prodeſſe Reipublicæ. Sic ſemper licita ſunt. 2. Eo fine ac euentu, vt alter alteri noceat, ſicut fit in duello: vel vt alter altero audaciorem ſe iactet, cum periculo vulneris aut mortis. Sic prohibita ſunt. Priori ſenſu permittuntur à Ioanne 22. Extrauag. vnica, de torneamentis. Poſteriori perhibentur à Concilio Lateranenſi, cap. *Fœlicis*, de torneamentis. Vide D. Thom. quæſt. 40. art. 1. ad 4. Bannes & Caietanus ibidem, Molinam diſp. 111. Nauarrum in Manuali, cap. 15. num. 9.

XVIII. QVÆSTIO.

An Clericis licitum sit bellare?

1 HIc tria probanda sunt. 1. Clericos iure Ecclesiastico prohibitos esse bellare. 2. Non tamen iure naturali, aut diuino. 3. In quibusdam casibus posse illos bellare, non obstante prohibitione Ecclesiastica. (D.Thom.q.40.art.2.)

2 Prima Conclusio. Clericis iure Ecclesiastico prohibitum est per seipsos, propria manu pugnare, cap. *Eos qui*.20.q.3. & cap. *Quicunque Clericus*, & cap. *Clerici*, & cap. *Quicunque ex Clero*, 23.q.8. Ratio prohibitionis sumitur ex D. Thoma, quia non decet, vt illi, qui se tradiderunt militiæ spirituali, tractent arma vel negotia sæcularia, iuxta illud 2. Timoth.2.4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Et confirmatur, quia omnes gradus Clericorum ordinantur ad ministerium altaris, vbi in Sacrificio Missę repręsentatur mors Christi. (1. Corinth. 11.26.) Ergo Clerici non debent alienum sanguinem fundere, sed potius cum Christo paratì esse ad proprium sanguinem effudendum, *vt quod ministerio gerunt, opere imitentur*. Ob eandem causam, inquit D. Thomas, institutum est ab Ecclesia, vt effundentes sanguinem, fiant irregulares.

3 Dixi, *propria manu*, quia tametsi Clerici per seipsos propria manu non debeant pugnare, possunt tamen multa alia facere, quæ ad bellum pertinent. Primo, possunt suadere bellum, vt notat D. Thom. art.2. ad 3. Et apertè colligitur ex cap. *Scire vos oportet*, & cap. *Omni timore*, & capite *Hortatu*, 23. qu. 8. Secundo, possunt Principem sæcularem in subsidium vocare, vt bellum pro defensione Ecclesiæ suscipiat contra infideles. Vnde Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium, de Maximiano Episcopo sic scribit: *Auxilium ergo petiuit ab*

Imperatore Christiano, non tam sui vlciscendi causa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Tertio, possunt etiam indicere bellum, & Ducem belli constituere, qui vice ipsorum militiæ præsit, & bellum exerceat. Quod intellige de iis Clericis, qui habent dominium & iurisdictionem temporalem, cuiusmodi est Pontifex; Archiepiscopi, Moguntinus, Coloniensis, Treuirensis; Episcopi, Bambergensis, Herbipolensis, Spirensis, & similes. Ita passim docent Theologi. Et ratio est, quia qui habet dominium & iurisdictionem temporalem, potest ea vti, ad quod instituta est, & si per se non potest facere executionem, potest per substitutum. quod expresse definitum est à Bonifacio, cap. *Episcopus*, Ne Clerici vel Monachi, in 6. Quarto possunt similiter, cum consensu superiorum, interesse bello, non quidem vt propria manu pugnent, sed vt iustè pugnantibus succurrant in spiritualibus, exhortando, confessiones audiendo, à peccatis absoluendo, consolando, vt notat D. Thom. art. 2. ad 2. Et probat ex veteri Testamento, vbi Sacerdotes in bello iubebantur clangere buccinis, & militibus animum addere. (Iosue 6 4. & Deuter. 20. 2.)

4 Quæres, An Clerici, qui ex consensu superioris sunt in bello, vt militem hortentur & consolentur, possint etiam excitare & hortari ad actualem pugnam? Respondeo. Possunt in genere excitare ad pugnam & victoriam, (quando agitur contra hostes Ecclesiæ) dicendo: *Fortiter age*: vel, *ne succumbas*: vel, *strenuè pugna pro fide*. Modo in particulari non dicant, *Interfice, occide*. Ita Valentia quæstione 16. puncto 4. Molina disputatione 108. circa medium, Nauarrus in Manuali, capite 27. numer. 215. Et ratio est, quia Clerici ante conflictum possunt hortari militem ad fortiter pugnandum contra hostes fidei, vt omnes concedunt: Ergo

etiam in ipso conflictu possunt idem facere, quando cum facultate superioris possunt esse præsentes in conflictu. Nota. Multum interest inter hæc duo: *Pugna fortiter*, &, *interfice*, vel *occide*. Nam hoc posterius est immediata seu propinqua causa mortis & effusionis sanguinis; Illud prius non item. Nam potest aliquis fortiter pugnare, neminem interficiendo, sed hostem terrendo, & in fugam conuertendo.

5 Dices, Contrarium colligitur ex capite, *Quod in dubiis*, de pœnis, vbi planè prohibitum est, ne Clerici in bello hortentur militem ad pugnandum. Verba canonis sunt hæc: *Quia verò tam Sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quàm qui personaliter exercent conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponendos.* Respondeo. Duplex est solutio. Vna Glossæ, asserentis canonem intelligi de bello iniusto. Nam hortari aliquem ad iniustè pugnandum, enorme peccatum est. Altera Nauarri, canonem intelligi de incitatione ac occidendum, & mutilandum in particulari. Non autem de incitatione ad fortiter pugnandum in genere. Vide Molinam disputatione centesima octaua, post medium.

6 Secunda Conclusio. Iure naturali non est Clericis prohibitum bellare. Ita Molina loco citato, Bannes quæstione 40. articulo 2. Et plures alij, tametsi contrarium sentiat Valentia cum quibusdam Canonistis. Probatur primo, quia Pontifex potest dispensare cum Clerico, vt possit bellare: at non dispensaret, si esset prohibitum iure naturali. Secundo, Clericis iure naturali non est prohibitum matrimonium, aut mercatura, aut similia negotia sæcularia, quæ non minus distrahunt animum, quàm bellum: Ergo nec bellum iure naturali prohibitum est. Tertio, Leuitæ in veteri Testamento bellarunt contra idololatras, & ideo à

Moyſe laudati ſunt, Exodi 32. 29. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino:* At non fuiſſent laudati, ſi iure naturali fuiſſet illis prohibitum pugnare. Idem dico de Mathatia, Iuda Machabæo, Ionatha, Simone, qui fuerunt ſummi Pontifices, & ſimul ordinarij belli Duces, vt patet ex libris Machabæorum.

7 Dices, Non decet homines Deo conſecratos attendere rebus ſæcularibus. Reſpondeo. Multa non decent, quæ tamen non ideo prohibita ſunt iure naturali. Verbi gratia, non decet homines Deo conſecratos attendere nuptiis, agriculturæ, mercaturæ, opificio, & tamen iure naturali non eſt illis prohibitum. Nam hæc duo inter ſe diſtincta ſunt. Primo, non decet hominem hoc facere. Secundo, ex natura rei illicitum eſt ſe malum hoc facere. Quo pacto, non decet publicè ambulare Regem ſine famulo, ruſticum geſtare gladium, mendicum habere aurum, quæ tamen ex natura ſua non ſunt mala & illicita.

8 Tertia Concluſio. Clerici in quibuſdam caſibus poſſunt bellare, non obſtante prohibitione Eccleſiaſtica. Primo, quando Pontifex diſpenſat. Secundo, quando neceſſarium eſt ad defenſionem propriæ vitæ. Tertio, quando neceſſarium eſt ad defenſionem patriæ. quarto, quando neceſſarium eſt ad obtinendam magni momenti victoriam. Et in his caſibus non opus eſt diſpenſatione Pontificis. Aliqui addunt quintum caſum, quando neceſſarium eſt ad defenſionem innocentis. Vide Caietanum quæſtione quadrageſima, articulo ſecundo, Malderum ibidem, Molinam diſputatione centeſima octava, & alios paſſim. Nec obſtat, quod Gratianus dicit Pontificem non poſſe diſpenſare, quia in hac re non ſequimur illius ſententiam.

9 Quæres, An quæ hactenus dicta ſunt de Clericis, debeant intelligi de omnibus Clericis? Valentia puncto 4. putat intelligi de iis tantum, qui in ſacris ordinibus

sunt constituti. Et citat pro se Couarruuiam. Vnde consequenter dicit, canones, quibus prohibentur Clerici pugnare, non loqui de Clericis inferioribus, aut si de illis etiam loquantur, ex ea parte per contrariam consuetudinem abrogatos esse. Molina disp. 108. circa finem, vtitur distinctione, vt iam videbimus.

10 Quæres 2. An Clerici peccent mortaliter bellando contra prohibitionem Ecclesiasticam? Molina sic distinguit. Si sunt constituti in maioribus ordinibus, peccant mortaliter. Si in minoribus, & habent beneficium Ecclesiasticum, probabile est peccare mortaliter. Si non habent beneficium, & gaudent priuilegio fori, peccant venialiter. Si non gaudent priuilegio fori, non peccant, quia propter contrariam consuetudinem, non amplius obligantur prohibitione Ecclesiastica. Idem sentit Malderus loco citato.

CAPVT XXVI.

De Duello.

1 DVellum est singulare duorum certamen, ex pacto seu condicto initum. Græci Monomachiam vocant. quæritur, quando licitum, & quando illicitum sit? Et quæ sint pœnæ illiciti duelli? Valentia quæst. 17. puncto 1. cum Caietano & Nauarro asserit hæc duo. 1. Duellum iure naturæ licitum esse in vno casu, nempe, quando necessarium est ad euitandam iniustam mortem, certo alioqui imminentem. 1. In omni alio casu, iure naturæ, esse illicitum, & seuerè à canonibus prohibitum,

2 Nota, duellum suscipi posse ac solere ob varias causas vel fines. 1. Ad ostentationem roboris, aut voluntatem spectantium. 2. Ad vindicandam iniuriam. 3. Ad indagandam veritatem, & iustitiam alterius partis: vel ad obiecti criminis purgationem: vel ad terminandam litem. 4. Ad dirimendum bellum. 5. Ad defensionem

proprii honoris. 6. Ad defensionem bonorum temporalium. 7. Ad defensionem propriæ vitæ. quæ defensio potest dupliciter fieri. 1. Quando vita aliter defendi potest, quàm per duellum. 2. quando aliter defendi non potest, quàm per duellum. Et tunc dicitur suscipi duellum, ad euitandam mortem certo alioqui imminentem. In quo solo casu putat Valentia duellum esse licitum, quod deinceps ordine examinandum est.

I. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad ostentationem virium, aut voluptatem spectaculi, licitum sit?

1 SEnsus est, an duellum sit licitum & legitimum medium ad talem finem consequendum, id est, ad ostentandum robur, vel ad recreandos spectatores. Hoc ex duplici capite æstimari debet. 1. Ex parte medij. 2. Ex parte finis. Medium est difficile ac periculosum, quia ambo, qui duellum suscipiunt, exponunt se præsentissimo vitæ periculo. Finis est exigui momenti, videlicet inanis ostentatio virium, vel spectantium oblectatio. quæritur ergo, an licitum sit exponere se præsenti vitæ periculo pro re leuissima?

2 Communis sententia est, non esse licitum, sed seuerè prohibitum, vt patet ex cap. 1. de torneamentis, vbi sic legimus: *Torneamenta, in quibus milites ex condicto conuenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ, temerè congredi, vnde mortes hominum & animarum pericula sæpè proueniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pœnitentia non negatur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Et ratio est, quam insinuaui, quia stultum ac temerarium est, exponere se vitæ periculo ac salutis, pro inani ostentatione vel oblectatione. Hinc sequitur peccare Duces militiæ, qui inter se committunt milites pari numero ex vtraque parte factionis, vel spectaculi,

ve ostentationis causa; Sicut fecerunt Abner & Ioab. (2.Reg.2.14.)

3 Quæres, An nullo casu licitum sit duellum inter milites contrariæ factionis? quod intelligitur ex parte illius, qui militat in bello iusto. Respondeo. In duobus casibus licitum est. Primo, quando miles nostræ partis in bello iusto, prouocat militem alterius factionis, eo animo, vt si alter recuset, nostri milites fiant alacriores ad bellum. Nam in tali casu, non suscipitur duellum ad solam ostentationem virium, aut voluptatem spectantium, sed ad iustum bellum promouendum. Secundo, quando miles contrariæ partis prouocat nostrum militem ad duellum, sicut Goliath prouocauit vnum ex Hebræis. Tunc noster, qui iustam causam fouet, potest acceptare duellum eo animo, vt ostendat nostros milites non timere hostem, sed paratos esse ad certamen, quandocunque hosti visum est. Hoc etiam prodest ad promouendum iustum bellum, & ad hostem deterrendum. Et sic ex diuino instinctu fecit Dauid in duello contra Goliath. quamuis enim duellum illud, ex parte Goliath, fuerit illicitum, quia & pro iniusta causa, & ad virium ostentationem susceptum: tamen ex parte Dauidis fuit licitum, eo modo quo dixi, quia fiebat ex instinctu Dei, ad debilitandos Philistinorum animos, vt habetur 1. Reg. 17. 51. *Videntes autem Philistiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* De vtroque casu videri potest Sanchius lib. 2. Moralium, cap. 39. num. 13. & 14. & alij ab eo citati. Et ratio est, quia homo priuatus potest exponere se periculo vitæ pro communi bono conseruando vel promouendo.

II. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad vindicandam iniuriam, sit licitum?

1 NOn esse licitum, docent Valentia q. 17. puncto 1. Sanchius l. 2. c. 39. n. 15. & alij. Ratio est, quia priuata persona non potest vindicare iniuriam sibi factam, vt patet ex scripturis, Matth. 5. 39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Et Matth. 26. 52. *Converte gladium tuum in locum suum.* Et Rom. 12. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et infrà: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: Ego retribuam, dicit Dominus.*

2 Publica persona potest quidem vindicare iniuriam, sed per viam iuris aut belli vindicatiui; non autem per duellum. Ratio est, quia qui vult vindicare iniuriam, debet se habere per modum agentis, respectu alterius, quem vult punire: Ac proinde debet esse fortior ac potentior, vt moraliter certus sit de victoria. At in duello, alter altero non censetur fortior, quia vterque paribus armis & æquali sorte procedit ad certamen; nec moraliter certum est, vtri victoria sit obuentura. Ergo duellum non potest esse accommodatum medium, ad vindicandam iniuriam. Nisi fortè in vno casu, in quo necesse esset bellum resoluere in duellum, vt quæst. 4. dicturus sum.

III. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur an indagandam veritatem, & iustitiam alterius partis, sit licitum?

1 HOc genus duelli fuit olim valde vsitatum. quãdocumque enim alicuius criminis, vel cuiuscunque alterius iuris probatio erat obscura, tunc vel actor prouocabat reum ad duellum; vel reus ipse offerebat se, & animo ac fine, vt si reus vinceret, haberetur pro pur-

gato & innocente : si succumberet , pro conuicto & nocente. Et ob hanc causam, duellum à quibusdam solet appellari *Iudicium* , quia in duello iudicium Dei expectabatur. Quo pertinet illud Ciceronis pro Ligario : *Nunc certe melior ea causa iudicanda est, quam etiã dij adiuuerint.* Vide authores apud Sanchium lib. 2. c. 29. n. 1.

2 Nũnc quæstio est, an hoc genus duelli, quod computatur inter purgationes vulgares, licitum sit, necne ? Respondeo, Illicitum est, & damnatur in iure Canonico , capite *Monomachiam* , 2. q. 5. & cap. *Significantibus*, de purgatione vulgari. Et merito, quia duplex malitia reperitur in hõc duello. Vna superstitionis, vt notat Diuus Thomas quæst. 95. art. 8. ad 3. Altera mendacij. Nam duellum, quod assumitur in testimonium veritatis, seu in testimonium proprij iuris ac innocentiæ, ex se fallax est, respectu illius finis, quia sæpè contingit innocentem in duello succumbere, vt habetur in citato, cap. *Significantibus*.

3 Hîc aliqui vlterius disputant, an liceat duellum suscipere ad terminandam litem criminalem vel ciuilem? Vel ad defensionem vitæ ac rerum suarum , pendente lite ? Sed eadem est responsio , quæ data est; non licere. Primò, quia duellum, cum ex se fallax sit, non potest esse aptum medium ad indagandam veritatem, vt dixi: nec consequenter ad terminandam litem, quæ secũdum veritatem & iustitiam terminari debet. Secundò, quia sunt alia media aptiora, quæ possumus vsurpare; vt est conuentio partium, aut sententia Iudicis, si partes agnoscant communem Iudicem ; aut bellum , si non agnoscunt communem Iudicem.

4 Quæres primo, Si innocens certo sciat, se per fraudem in iudicio opprimendum ab actore, & iniustè condemnandum ad mortem; an tunc liceat illi duellum offerre vel acceptare , ad euadendam iniustam mortem ? Aliqui negant, vt Abulensis & Salonius apud

Sanchium, numero 7. Ratio est, quia non licet, nisi titulo iustæ defensionis: at in duello cessat titulus iustæ defensionis: Quia solus ille censetur se iustè defendere, qui ad pugnam cogitur ab iniquo inuasore. Nemo autem cogitur ad duellum, sed sponte & ex condicto illud suscipit. Alij contrà sentiunt, vt Valentia quæst. 17. puncto 1. cum Caietano & Nauarro. Ratio est, quia semper licitum est subire minus malum ad euitandum maius: At minus malum est, exponere se periculo mortis per duellum, quàm incurrere certam mortem per iniustam condemnationem: Ergo ad certam mortem euadendam, licitum est subire periculum duelli. Neque deest titulus iustæ defensionis, quia quando non supersit alius defendendi modus, potest aliquis per duellum iustè se defendere. Is autem qui in tali casu defendit suam innocentiam, cogitur id facere ab iniquo actore, qui per fraudem vult illum opprimere, & iniquam condemnationem à Iudice impetrare. quamuis enim ex condicto suscipiat duellum, non tamen susciperet, nisi iniustè compelleretur.

5 Aliqui addunt, innocentem in tali casu, occultè posse iniurioſum actorem interficere, & sic suam innocentiam defendere, ac in tuto collocare. Et talis defensio certior est, quàm per duellum. Nam in duello periculum est, ne innocens occidatur. Si autem innocens occultè interficiat aduersarium, iam extra periculum est. Sunt qui vlterius addant, innocentem teneri prætermittere duellum; si potest occultè aduersarium occidere, & sic certam mortem, alioqui imminentem euadere: quia ex duobus mediis, quæ ambo licita sunt, illud præferendum est, quod efficacius est ad euadendam mortem. Vide Sanch. num. 7.

6 Quæres secundo si innocens damnaretur ab iniquo Iudice, vt vel mortem subeat, vel in duello pugnet; an

liceret ei duellum acceptare? Negant Ostiensis, & nonnulli alij apud Sanchium, Primò, quia duellum est fallax medium ad indagandam veritatem, vt dixi. Secundò, quia innocens non patitur iniuriam ab eo, cum quo pugnaturus est, sed à Iudice: Ergo non potest cum illo suscipere duellum, & vitam illius exponere periculo, cùm sit æquè innocens. Alij affirmant, vt Angelus, Toletus, Nauarrus, apud eundem. Ratio est, quia tametsi innocens non patiatur iniuriam ab eo, cum quo pugnaturus est, sed à Iudice; habet tamen ius euadendi certam mortem per incertum duelli euentum, etiam cum detrimento tertij: quia in tali casu potest plus sese ipsum diligere quàm proximũ. Præsertim, cùm iniquus Iudex vtatur illo tertio, tanquam instrumento ad exequendam iniquam sententiam, quoad vnam illius partem. Et confirmatur, quia si Iudex offerret illi duellum cum leone vel tauro, posset illud periculum subire ad euadendam certam mortem. Hæc sententia probabilior est, si innocens suscipiat duellum, non eo fine ac animo, vt se purget ab obiecto crimine, & testetur suam innocentiam, (quia hoc esset superstitiosum, vt dixi) sed vt euadat certam mortem, quam aliter euadere non potest. Hoc enim nihil aliud est, quàm defendere suam vitam in casu necessitatis, in quo non occurrit alia defendendi ratio.

IV. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad dirimendum bellum, sit licitum?

1 DIctum est q. 1. §. 3. Tempore belli licitum esse duellum, in duplici casu: Non ad bellum dirimendum, sed ad promouendum. Nunc quæritur an etiam licitum sit ad dirimendum? Respondeo. Tunc licitum est, quando Princeps, qui iustum bellum gerit, videt se imparé esse, ac probabiliter timet succumbere,

nisi bellum mutet in duellum. Ita Caietanus q. 95. art. 8. Valentia q. 17. puncto 1. Zanchius n. 16. & alij ab eo citati. Ratio est, quia in tali casu cessat malitia duelli. Nam malitia eius in eo consistit, vt sæpè dixi, quod vterque, inter quos duellum est, coniiciat se in periculum mortis, sine sufficienti causa: At hoc non fit in proposito, respectu illius, qui gerit iustum bellum. Tametsi enim coniiciat se in periculum mortis, hoc tamen facit ex sufficientissima causa, quia per periculum priuatæ mortis, vult totum exercitum liberare à maiori periculo publicæ cladis ac internecionis. Nam maius periculum est, quando debilior exercitus confligit cum fortiori in bello, quàm quando par pugnat cum pari in singulari duello.

2 Et in hoc casu, non solùm licitum est acceptare duellum, sed etiam offerre, vt bene notat Valentia ex Caietano, quia nihil aliud spectatur, quàm defensio totius exercitus, qui in periculo est. Est autem licita talis defensio, siue offeras duellum aduersæ parti, siue oblatum acceptes. Non enim offertur animo vindicandi, sed defendendi.

V. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad defensionem proprij honoris, sit licitum?

1 HÆc duo distinguenda sunt. 1. Defendere proprium honorem, ne lædatur. 2. Læsionem proprij honoris iam factam vicisci, seu vindicare. Hoc posterius illicitum est, vt patet ex quæst. 2. vbi ostendi, prohibitum esse duellum, quod suscipitur ad vindicandam iniuriam. quando enim alter, lædendo tuum honorem, fecit tibi iniuriam, non debes vindicare per duellum, sed per viam iuris, aut belli vindicatiui.

2 De priori manet quæstio, an scilicet licitum sit duellum, ad defendendum proprium honorem, ne lædatur.

Aliqui affirmant, teste Bannesio quæst. 64. art. 7. dub. 3. Ratio est, quia si vir nobilis, aut miles prouocatus ad duellum, non acceptet, magnam facit iacturam sui honoris: Ergo ad cauendam hanc iacturam, potest duellum acceptare. Et confirmatur 1. Quia qui prouocat alterum ad duellum, habet se instar inuasoris, ad honorem illius auferendum: Ergo alter potest defendere suum honorem, & duellum oblatum admittere. 2. Maior ignominia est, duellum oblatum recusare, quàm fugere. Si ergo vir fortis non audet fugere, ne faciat iacturam sui honoris, non audebit etiam duellum abnuere, propter eandem causam.

3 Contrarium tenent Caietanus, Sotus, Nauarrus, Bannes, Valentia, & plerique alij apud Sanchium n. 9. Ratio est, quia quando agitur de vero honore vel ignominia, non oportet spectare, quid sentiant homines improbi & mundani, sed quid probi & sapientes. Nam multa censentur ignominiosa apud mundanos, quæ honorifica sunt apud sapientes; vt recusare oblatam scortationem, ebrietatem, & similia, quibus improbi delectantur. quamuis ergo apud improbos & mundanos ignominiosum sit oblatum duellum respuere; tamen apud probos & sapientes honorificum est. Et merito. Nam probi & sapientes seruant hanc regulam. Honorificum est, respuere quicquid diuinæ legi aduersatur. At scortatio, ebrietas, duellum, & similia, diuinæ legi aduersantur: Ergo honorificum est ea respuere.

4 Addo, quod etiam apud mundanos cesset ignominia, si prouocatus respondeat prouocanti: Vt scias me non esse timidum & ignauum, paratus sum me defendere, quandocunque me inuaseris. Nolo tamen ex condicto duellum acceptare, quia diuinæ legi contrarium est. Ita Valentia & Bannes. Et ratio est, quia paratum esse ad iustam sui defensionem, non est malum. Est autem malum ex condicto acceptare duellum, sine causa sufficienti.

5 Nec obstat, quod prouocans ad duellum habeat se instar inuasoris. Nam prouocatus potest se defendere contra inuasorem, sine duello, vt dixi. Potest enim dicere: Si me inuaseris, defendam me. Neque necesse est, vt dicat: defendam me duello. Quod obiicitur de fuga, facilè diluitur ex dictis. Nam etiamsi aliquando possit esse ignominiosum, fugere: tamen duellum recusare, honorificum est. Neque sequitur: Non est ignominiosè fugiendum; ergo duellum est acceptandum. Nam datur medium; quia potes te defendere, vt nec fugias, nec duellum acceptes.

6 Dices. In quibusdam religionibus militaribus statutum est, eam ad huiusmodi religiones inhabilem esse, qui prouocatus ad singulare certamen, abnuerit: Ergo etiam apud religiosos homines censetur ignominiosum, oblatum duellum non acceptare. Respondeo. Statutum illud, (cuius meminit Petrus Nauarra apud Sanchium) videtur relictum esse ex praua consuetudine, quæ olim viguit. Nunc autem eneruatum est per canones, qui huiusmodi duellum interdixerunt.

VI. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad defensionem bonorum temporalium, sit licitum?

1 DEfensio bonorum temporalium potest dupliciter contingere. Primò, quando coram Iudice mouetur lis seu controuersia inter reum & actorem, de bonis temporalibus, vt de hæreditate, testamento, legato, empto, vendito. Tunc non licet litem dirimere per duellum, vt dictum est quæst. 3. §. tertio. Secundò, Quando non mouetur controuersia, sed aliquis iniustè inuadit res meas; & nisi permittam, offert mihi duellum. Tunc quæritur, an possim illud acceptare, & sic res meas defendere? Ratio dubitandi

est, quia inuasor auferendo res meas, facit mihi iniuriam. Cùm ergo ius habeam propulsandi iniuriam, & res meas conseruandi, cur non liceat hoc facere per duellum? Et confirmatur, quia milites possunt ciuitatem, munitionem, & alias res externas bello defendere. Ergo à simili.

2 Sed communis sententia est, non esse licitum suscipere duellum pro sola defensione rerum externarum. Probatur ex duplici principio. Primò, quia in duello, vita vtriusque partis exponitur præsenti periculo, non ex necessitate, sed ex condicto. At non licet, ex condicto, vitam vtriusque exponere præsenti periculo, pro sola defensione rerum externarum, cùm vita vtriusque sit maioris momenti, quàm res externæ alterius. Secundò, quia sunt alia duo media aptiora ad hunc finem. Vnum per simplicem defensionem, extra duellum. Possum enim, non ex pacto, (vt in duello fit) sed ex bona occasione, si offertur, inuasorem repellere: Et si necesse sit, interficere, vt res meas mihi conseruem, præsertim si sint magni pretij. Alterum per viam iuris, quia si simplici defensioni non esset locus, ob periculum propriæ vitæ, (vt si inuasor esset fortior, quàm ego) possum illum accusare de iniuria, & per sententiam Iudicis compellere ad restitutionem. Ex his duobus mediis, alterum potest eligi. Nam si aduertam me fortiorem esse inuasore, possum vi illum repellere: Sin minus, ad sententiam Iudicis recurrendum est. Vtrobique cessat periculum propriæ vitæ. At in duello tam mea, quàm inuasoris vita, periculo exposita est.

3 Dices, Sicut in simplici defensione cessat periculum propriæ vitæ, quando aduerto me fortiorem esse; sic etiam in duello. Respondeo. Non ita est. Nam in simplici defensione potest contingere, vt sim fortior, quia melius armatus & instructus sum, quàm aduersarius. At in duello, paribus armis, & æquali conditione pugnandum

dum est. Hic igitur plus periculi est, quàm ibi.

4 Quod obiiciebatur de militibus, non est simile. Primò, propter causam illatam, quia milites, qui pugnant in bello, non tenentur paribus armis & æquali conditione pugnare cum hoste; sed possunt maiori numero, meliori loci conditione, & potioribus armis confligere: vel si illa non suppetunt, à pugna tantisper abstinere. Ac proinde minori periculo expositi sunt, quàm qui pugnant in duello. Secundò, quia milites, etiamsi aliquando cogantur vitam suam exponere præsenti periculo; non tamen id faciunt pro priuato bono, sed pro publico: Quod laudabile est.

VII. QVÆSTIO.

An duellum, quod suscipitur ad defensionem propriæ vitæ, sit licitum?

1 HIc etiam adhibenda est distinctio, vt suprà monui. Dupliciter enim potest defendi propria vita per duellum. Primò, quando præter duellum, supereſt alius defendendi modus. Et tunc non est licitum defendere per duellum, quia nemo sine necessitate debet vitam propriam & alienam exponere præsenti periculo. Nulla autem est necessitas, si præter duellum supereſt alius defendendi modus. Secundò, quando non supereſt alia defendendi ratio, nisi per duellum. Tunc licitum est per duellum defendere. Nam in tali casu, vel certa mors subeunda est, vel periculum mortis. At licitum est, potius eligere periculum mortis cum spe vitæ, quàm certam mortem sine vlla spe euadendi.

2 Ex dictis sequitur, duellum, generatim loquendo, licitum esse in duplici casu. Primò, quando quis videt se iniustè occidendum, nisi acceptet duellum. Secundò, quando bonum commune id postulat, vt duobus exemplis ostensum est. Vno, q. 1. §. 3. Altero q. 4. §. 1.

3 Dices, Videtur esse tertius casus, in quo duellum

sit licitum, nempe ad euadendam iustam mortem, quam meritus es. quem casum sic propono. Si duo essent iustè condemnati ad mortem, & Iudex cogeret illos ad duellum, ea lege, vt qui vinceret, mortem euaderet; tunc vtrique liceret, cum spe euadendi mortem, acceptare duellum. Nam in eo casu quisque esset executor iustæ sententiæ in alterum. Respondeo. Aliqui admittunt hunc casum. Sed tria addenda sunt. Primò, Iudicem imprudenter facere, si reos legitimè damnatos, & ad mortem benè dispositos, subito ad duellum hortetur, & nouo peccandi periculo exponat, sine vlla causa vel necessitate. Secundò, reos non teneri acceptare huiusmodi duellum; quia nemo tenetur subterfugere iustam mortis sententiam, sine vrgente necessitate, quæ hîc nulla est. Tertiò, reos melius facturos, si sustineant iustam mortem sine periculo noui peccati; quàm si duellum admittant cum periculo iterum peccandi.

VIII. QVÆSTIO.

Quæ sint pœnæ constitutæ in eos, qui suscipiunt illicitum duellum?

1 ANtiquo iure pœna suspensionis statuta est in Clericos duellum exercentes, siue ipsi duellum obtulerint, siue acceptauerint. (cap. 1. de Clericis pugnantibus in duello) Disputant authores, an sit suspensio lata, an ferenda? Videatur Sanchius l. 2. cap. 36. n. 18.

2 Nouo iure variæ pœnæ constitutæ sunt, tum à Concil. Trid. sess. 25. c. 19. de reformatione: tum à variis Pontificibus, Pio quarto, Gregorio decimotertio, Clemente octauo. quas copiosè persequitur Sanchius loco citato. Summa eorum est hæc. 1. Excommunicantur omnes qui duellum exercent. 2. Excommunicantur Imperatores, Reges, Principes, qui concedunt locum pro duello exercendo. 3. Excommunicantur omnes, qui præbent consilium, fauorem, auxilium ad duel-

lum, & qui præsentes adstant vel intersunt. 4. Morientes in duello priuantur sepultura Ecclesiastica. 5. Clerici, præter excommunicationem, priuantur etiam dignitatibus, beneficiis & officiis Ecclesiasticis, si aliquo modo ad duellum cooperentur.

CAPVT XXVII.

De Scandalo.

1 SCandalum propriè significat hæc tria. 1. Offendiculum, quod in via obiicitur. 2. Offensionem pedis, qua quis impingit in huiusmodi offendiculum. 3. Lapsum seu ruinam ex tali offensione seu impactione consequentem. Metaphoricè significat hæc tria. 1. Dictum vel factum alterius quo proximus offenditur. 2. Ipsam proximi offensionem. 3. Lapsum seu peccatum proximi, quod sequitur ex tali offensione. Vide D. Hieron. in cap. 15. Matth. circa illa verba: *Scitis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt.* Et Valentiam q. 18. puncto 1.

2 Nos sumimus hîc primo & tertio modo, nempe pro offendiculo & pro lapsu. Et sic distinguitur à Theologis duplex scandalum. Vnum actiuum, nempe offendiculum, quod quis proximo suo ponit: alterum passiuum, nempe lapsus seu peccatum proximi, quod sequitur ex offendiculo posito. Quæres, quare non agimus etiam de scandalo secundo, modo sumpto, nempe de offensione? Respondeo, quia solùm agimus de scandalo, quatenus est peccatum. Offensio autem, qua quis offenditur alterius peccato, non est peccatum, nisi accedat lapsus. Nam multi boni viri offenduntur aliorum peccatis, & tamen non peccant.

3 His præmissis, quæritur 1. quid sit scandalum actiuum & passiuum. 2. An sit speciale peccatum. 3. An cadat in viros perfectos. 4. An suadere alteri minus peccatum, vt omittat maius, sit scandalum actiuum. 5. An

ad vitandum aliorum scandalum passiuum, debeamus aliquando omittere opera præcepti. 6. An ad eundem finem debeamus aliquando omittere opera, quæ non sunt præcepti. 7. An liceat petere mutuum ab vsurario, ita vt scandalum inde secutum, nobis non imputetur. 8. An similiter liceat petere Sacramenti administrationem ab excommunicato. 9. An liceat vendere res aliquas, quibus emptor abusurus est.

I. QVÆSTIO.

Quid sit scandalum actiuum, & passiuum?

1 SCandalum actiuum (quod tenet se ex parte scandalizantis) *est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem peccandi.* Ita D. Thomas quæst. 43. articulo 1. & alij passim. Dicitur primò, *dictum vel factum*, quia potest aliquis alteri, vel verbo vel facto, præbere occasionem peccandi: non autem interna cogitatione, quæ cum alteri incognita sit, non potest illi præbere occasionem peccandi. Secundò, dicitur *minus rectum*, id est, inordinatum, seu carens aliqua rectitudine: Vel quia per se malum est, vt blasphemia, detractio, furtum, homicidium: Vel quia speciem mali habet, vt si die prohibito comedas carnem cum dispensatione, vel aliquid aliud facias, quod tibi quidem liceat, sed alij nesciant tibi licere. De quo generatim loquitur Apostolus 1. Thessal. 5. 22. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Tertiò, dicitur, *præbens occasionem peccati*, vt distinguatur à dicto vel facto bono, quod non præbet alteri occasionem peccati, licet alter possit inde arripere occasionem, vt paulo post videbimus.

2 Scandalum passiuum est lapsus seu peccatum illius qui scandalizatur. Hoc scandalum latius patet quàm actiuum. Nam aliquando oritur ex scandalo actiuo, id est, ex alterius dicto vel facto inordinato: Aliquando ex bono opere alterius, non habente speciem mali.

Ita Diuus Thomas, art. 1. ad 4. Et quidem, si oritur ex scandalo actiuo, dicitur scandalum datum: si ex bono opere, scandalum acceptum. Nam qui inordinate aliquid dicit vel facit, dat alteri occasionem peccandi: qui autem benè operatur, non dat alteri occasionem peccandi, sed alter accipit.

3 Solet dupliciter diuidi scandalum passiuum. Primò, in scandalum datum & acceptum, vt iam dixi. Secundò, in scandalum Phariſæorum & pusillorum. quæ diuisio non eodem modo explicatur ab omnibus. Nam aliqui docent, scandalum datum esse idem, quod scandalum pusillorum, de quo Christus in Euangelio: *Quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis*, &c. Scandalum verò acceptum esse idem, quod scandalum Phariſæorum. (Sanchius libro 1. moralium, cap. 6. numero 1. & Valentia quæst. 18. puncto 1.) Si ita est, tunc scandalum pusillorum est, quod oritur ex opere alterius inordinato: Phariſæorum, quod ex bono opere, vel potius ex inuidia boni operis. Alij putant, vtrumque scandalum, tam pusillorum quàm Phariſæorum, nasci ex bono opere alterius, & in eo solùm differre, quod pusilli ex ignorantia aut infirmitate, Phariſæi ex malitia scandalizentur in bono alterius opere. (Vasquez in opusc. de scandalo, art. 1. notat 2.)

4 Fortasse erit clarior diuisio, si ex bimembri fiat trimembris, hoc modo. Aliud est scandalum ex malitia, aliud ex ignorantia, aliud ex infirmitate. Primum oritur ex opere bono: Secundò ex opere habente speciem mali, tertium ex opere malo. Nam mali homines, cuiusmodi erant Phariſæi, ex mera malitia, & potissimum ex inuidia vel odio scandalizantur, quando vident proximum aliquid boni facere. Pusilli ex ignorantia, quando vident aliquid fieri, quod habet speciem mali. Infirmi ex fragilitate, quando vident alios peccare. Et hoc, vt plurimum. Nam aliquando aliter fieri potest,

5 Ex dictis sequitur, aliquando dari scandalum actiuum sine passiuo; vt cum vnus inordinatè loquendo vel agendo, præbet alteri occasionem peccandi, & alter non peccat. Aliquando passiuum sine actiuo, vt cum Pharisæi scandalizantur in operibus bonis. Aliquando vtrumque simul, vt cum aliquis scandalizatur in alterius opere inordinato. D. Thomas art. 1. ad 4.

II. QVÆSTIO.

An vtrumque Scandalum sit peccatum speciale?

TRia quæri possunt. Primo, An vtrumque scandalum, tam actiuum, quàm passiuum, sit peccatum. Secundo, An vtrumque sit peccatum speciale. Tertio, An vtrumque sit mortale. De quibus D. Thomas art. 2. 3. & 4.

1 Prima Conclusio. Vtrumque scandalum, tam actiuum, quàm passiuum, semper est peccatum. Ita Diuus Thomas articulo 2. Et patet ex definitione vtriusque. Nam scandalum actiuum, *Est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem peccati.* Vbi notandæ sunt duæ illæ particulæ, *minus rectum*, &, *præbens occasionem peccati.* Quæ apertè insinuant, aliquam malitiam esse in scandalo actiuo. Similiter scandalum passiuum, vt dixi, nihil aliud est, quàm peccatum eius, qui scandalizatur.

2 Dices. Omne peccatum debet esse voluntarium: At scandalum non est voluntarium, sed necessarium, vt patet ex illo Matth. decimo octauo, versu 7. *Necesse est, vt veniant scandala.* Respondeo. Necesse est, non absolutè, sed considerata hominum peruersitate, qui à peccatis non abstinent, vt interpretatur D. Thomas articulo secundo ad 1. Sicut enim rectè dicimus: Necesse est venire bella, si homines non abstinent ab iniuriis; venire morbos, si non abstinent ab intemperantia; Sic

etiam, venire ſcandala, ſi non abſtinent à peccato. Vide alias interpretationes apud eundem.

3 Secunda Concluſio. Scandalum actiuum aliquando eſt ſpeciale peccatum, aliquando generale: Paſſiuum nunquam eſt ſpeciale. Ita Diuus Thomas articulo tertio. Priorem partem ſic explico. Scandalum actiuum tunc eſt peccatum ſpeciale, quando fit ex intenſione inducendi alterum ad peccatum, quatenus peccatum eſt: Tunc generale, quando non fit ex tali intenſione. (Diuus Thomas loco citato, Vaſquez in 1. 2. diſputatione centeſima ſecunda, cap. 4. num. 7. Sanchius numero 3. & alij ab eo citati.) Ratio eſt, quia illud eſt ſpeciale peccatum, quod habet ſpecialem finem, & opponitur ſpeciali virtuti: At ſcandalum, quando fit ex intentione inducendi alterum ad peccatum, habet ſpecialem finem, diſtinctum à fine furti, homicidij, & aliorum peccatorum ſpecialium; & opponitur ſpeciali virtuti, nempe correctioni fraternæ, cui non opponuntur alia peccata: Ergo tunc eſt ſpeciale peccatum. Quando verò non fit ex tali intentione, tunc non habet peculiarem finem, neque opponitur ſpeciali virtuti; ſed poteſt habere diuerſos fines, & opponi diuerſis virtutibus. Nam poteſt aliquis alteri dare ſcandalum, vel per furtum, vel per homicidium, vel per blaſphemiam, vel per quoduis aliud peccatum externum, coram aliis commiſſum. Et in tali caſu, ſi non habet expreſſam intentionem inducendi alterum ad peccatum, non cenſetur committere ſpeciale peccatum ſcandali, quod ſit in certa ſpecie contra certam virtutem, ſed generale, quod in quouis externo peccato reperiri poteſt.

4 Hinc ſequitur 1, ſcandalum ſpeciale vix vnquam committi ab homine, generale ſæpiſſimè. Nam ratio fit, vt aliquis, dum peccat, intendat alium inducere ad peccatum, ſub ratione peccati. Diabolus ſolet hoc

facere, non homo. Sæpissimè autem fit, vt dum aliquis peccat, præbeat alteri occasionem peccati. Vnde etiam Scriptura & Patres, quando loquuntur de scandalo, ferè semper loquuntur de scandalo generali, quod apud homines vsitatum est. (Valentia quæstione 18. puncto 1. Bannes quæstione 43. articulo 4. dubio 1. Sanchius num. 12.)

5 Porro in scandalo generali, de quo deinceps agendum est, duo spectari possunt. Primò, quod sit dictum vel factum minus rectum. Secundò, quod præbeat alteri occasionem peccandi. Vnde qui furando præbet alteri occasionem furti, duplicis furti reus est, proprij & alieni. Nam & ipse furtum committit, & alteri dat occasionem furandi. Itaque & proprium, & alienum furtum illi imputatur. (Sanchius numero 4. & alij ibidem.) Hoc interest, quod malitia proprij furti sit primaria in actu furandi, malitia autem alieni furti sit tantum circumstantia illius actus. Quæ tamen circumstantia necessario exprimenda est in confessione. (Sanchius numero 6. & alij.) Ratio est, quia illa circumstantia facit vt alienum peccatum illi imputetur. Hoc intellige, quando probabiliter putabat se suo exemplo effecturum vt alter etiam peccaret; Secus, si id probabiliter non timebat. Vnde, qui peccat coram viris perfectis, qui non solent scandalizari; vel etiam coram malis, qui alioqui ex se parati sunt ad peccandum, non censetur dare scandalum. (Nauarrus, & alij apud Sanchium num. 7.)

6 Posterior pars conclusionis est, quod scandalum passiuum nunquam sit peccatum speciale, quia qui ab alio accipit occasionem furti aut homicidij, non committit speciale peccatum contra fraternam correctionem, sed simplex furtum aut homicidium. Nisi fortè, sicut ipse ab alio accipit occasionem furti aut homicidij, sic vicissim alicui tertio præbeat occasionem eiusdem

peccati. Tunc enim & ſcandalizatur ab alio, & alium etiam ſcandalizat.

7 Tertia Concluſio. Vtrumque ſcandalum, tam actiuum quàm paſſiuum, aliquando eſt peccatum mortale, aliquando veniale. Tunc eſt mortale, quando quis alterum ſcandalizat per actum peccati mortalis: tunc veniale, quando per actum peccati venialis. Ita Diuus Thomas art. 5. quod ordinariè ſeu regulariter intelligendum eſt. Nam duplex poteſt fieri exceptio. Vna, ſi quis peccet mortaliter coram viris perfectis, qui non facile ſcandalizantur: vel etiam coram malis, qui alioqui per ſe parati ſunt peccare. Nam tunc ſcandalum non eſt mortale, licet peccatum, cui circunſtantia ſcandali annexa eſt, ſit mortale. Altera, ſi quis peccet venialiter coram talibus perſonis, quas probabile eſt accepturas occaſionem peccati mortalis. Tunc enim ſcandalum eſt mortale. Vt ſi Religioſus verbum iocoſum proferat coram fœminis, quæ inde poſſent arripere occaſionem alicuius peccati mortalis. Vel ſi adoleſcens verbum amatorium inſinuet mulieri coniugatæ, coram marito valde zelotypo, ex quo probabiliter ſequeretur magna diſſenſio inter maritum & vxorem. (Sanchius num. 11.)

III. QVÆSTIO.

An ſcandalum cadat etiam in viros perfectos?

1 Diuus Thomas art 5. & 6. docet, neque actiuum, neque paſſiuum ſcandalum cadere in viros perfectos. Non actiuum, quia illud conſiſtit in dicto vel facto inordinato. At viri perfecti nihil ſolent facere inordinatè, ex quo alij ſcandalizari poſſint. Nam illis dictum eſt 1. Cor. 14 40. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant.* Nec paſſiuum, quia viri perfecti firmiter adhærent Deo, qui eſt immutabilis bonitas, ac proinde tametſi videant alios inordinatè ſe gerere in dictis vel factis,

ipsi tamen à sua rectitudine non recedunt, iuxta illud Psal. 124.1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.* Vnde etiam non scandalizantur, Psal. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

2 Dices: Viri perfecti sæpe peccant venialiter, iuxta illud Prouerb. 24.16. *Septies cadet iustus, & resurget.* Et 1.Ioan.1.8. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Aliquando etiam mortaliter, vt constat de Dauide, qui erat vir secundum cor Dei, & tamen commisit homicidium & adulterium. Item de sanctissimo & sapientissimo Salomone, cuius cor deprauatum fuit per mulieres: Ergo possunt scandalizare alios, & vicissim ab aliis scandalizari. Respondeo. Hoc verum est, sed tamen ordinariè non fit. Et sic intelligendus est D. Thomas, vt notat Bannes articulo 5. & Valentia quæst.18.p.3.

IV. QVÆSTIO.

An sit scandalum actiuum suadere alicui minus malum, vt omittat maius?

1 VEl, vt alij proponunt, an liceat consulere minus malum, ad euitandum maius? Et speciatim, an Petro volenti committere adulterium, possim suadere fornicationem, eo animo, vt vitetur adulterium? Item, an volenti furari totum thesaurum, possim suadere, vt contentus sit aliqua illius parte?

2 Aliqui putant non licere, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, teste Apostolo, Rom.3. 8. vel quod idem est: Non licet assumere prauum medium ad obtinendum bonum finem: Non licet furari pecuniam, vt des inde eleemosynam: Non licet mentiri, vt alterum conuertas ad fidem Catholicam.

3 Alij contrà sentiunt, vt Dominicus Sotus, Syluester, Nauarrus, Adrianus, Ioannes Medina, apud Vasquez

in opuſculo de ſcandalo, art. 1. dub. 1. Et probatur primo ex Scriptura, quia Loth ſuaſit nefariis hominibus fornicationem, vt omitterent peccatum Sodomiticum, (Gen. 19. 7.) quod etiam fecit Leuites (Iudic. 19. 23.) Secundo ex Auguſtino, lib. 2. de adulterinis coniugiis, c. 15. vbi agens de quodam volente vxorem adulteram interficere, & aliam ducere, ne ſi priori viuente aliam duceret, adulterium committeret. Sic ſcribit: *Cum vtrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſiue adulteram occidere, ſiue illa viuente alteram ducere, ab vtroque abſtinendum eſt, non illicitum pro illicito faciendum. Si autem facturus eſt, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat.* Tertio ex Gregorio lib. 32. Moral. cap. 18. & 19. vbi ait, Apoſtolum concedere acceſſum ad propriam vxorem, ad vitandum adulterium, id eſt, concedere minus malum ad vitādum maius. quarto ex communi illo Theologorum axiomate: *Ex duobus malis minus eligendum eſt.* (c. *duo mala*, diſt. 13.) Si licet eligere, licet etiam ſuadere. Quinto, accedit ratio, quia licitum eſt ſuadere, vel conſulere Petro, ſi paratus eſt peccare, vt minus peccet, non aſſignando illi materiam minoris peccati: At ex hoc conſilio ſequitur, vt ſi paratus ſit committere adulterium, ſuadeatur illi, vt potius committat fornicationem.

4 Hæc poſterior ſententia ſic debet intelligi. Si viderem Petrum velle, & certo ſtatuiſſe adulterium committere ad explendam ſuam libidinem, & non poſſem aliter ab hoc propoſito illum reuocare, niſi ſuadendo fornicationem loco adulterij, tunc licitum eſſet ſuadere fornicationem: Non quatenus ipſa peccatum eſt, ſed quatenus impedit peccatum adulterij, quod aliàs ſecutum fuiſſet. Et hoc ſenſu loquitur Auguſtinus, cum ait: vtrumque malum eſſe, homicidium & adulterium, ſed tamen ſi quis paratus eſſet alterutrum

perpetrare, potius adulterium eligendum esse, quàm homicidium.

5 Idem dico de fure vel latrone, qui omnino decreuit totam auream supellectilem Petro furari. Nam si illum alio modo impedire non possem, nisi suadendo, vt contentus sit dimidia parte, licebit illi suadere minus furtum, vt abstineat à maiori. Ratio est, quia qui hoc suadet, non facit Petro iniuriam, sed præstat illi beneficium. Efficit enim vt Petrus conseruet dimidiam supellectilem, quam aliàs totam erat amissurus. Vide plura apud Vasquez loco citato.

6 Argumenta, quæ pro hac sententia allata sunt, indigent breui notatione. Primum sumitur ab exemplo Loth & Leuitæ. Hîc quæritur, an illi peccarint suadendo fornicationem ad euitandam Sodomiam? Cornelius in cap. 19. Gen. 11. 8. damnat factum Loth. Serarius in cap. 19. Iudic. q. 10. excusat factum Leuitæ. De quo alibi. Secundum sumitur ex Augustino, quod bene probat nostram sententiam. Tertium ex Gregorio, quod deficit in probatione. Nam Gregorius solum dicit, Apostolum id concessisse *secundum indulgentiam*, id est, secundum permissionem. At non est quæstio, an liceat permittere minus malum ad euitandum maius, quia certum est id licere, sed an liceat consulere, seu suadere minus malum, ad euitandum maius. Deinde Gregorius supponit, peccatum esse, accedere ad propriam vxorem, solum ad euitandam fornicationem. At multi Theologi id negant, asserentes matrimonium concessum esse, non tãtum ad procreationem prolis, sed etiam ad remedium libidinis. Quartum fundatur in illo axiomate. *Ex duobus malis minus eligendum est.* Quod fortasse hic locum non habet. Nam aliqui intelligunt hoc de duobus malis, quorum alterutrum necessario eligendum est. Vt si vxor petat debitum à viro, dubitante de valore matrimonij. In quo casu, vir alterutrum

debet eligere, vel reddere debitum, quod videtur esse contra castitatem; vel negare, quod videtur esse contra iustitiam. At nostra quæstio est de duobus malis, quorum vtrumque omitti potest ac debet, vt clarè insinuat Augustinus loco citato. Quintum, quod ex ratione sumitur, firmum est.

V. QVÆSTIO.

An ad vitandum aliorum scandalum passiuum, debeamus omittere opera præcepti?

1 SVppono, iure naturali nos obligatos esse ad vitandum aliorum scandalum. Sicut enim præceptum iuris naturalis est, *Non occides*, sic etiam, *Non scandalizabis*. Nunc ergo quæritur primò: An ad vitandum scandalum, quod iure naturali tenemur vitare, aliquando omittenda sint præcepta iuris naturalis, quæ continentur in Decalogo. Secundò, An præcepta iuris naturalis, quæ sunt extra Decalogum. Tertiò, An præcepta iurispositiui, siue sint diuina, siue humana. D. Thom. art. 7. absolutè affirmat, nullum penitus præceptum omittendum esse propter scandalum aliorum. Alij ponunt hanc regulam: Quando simul occurrunt duo præcepta, quæ ambo seruari non possunt, tunc illud seruandum est, quod magis obligat: Illud omittendum, quod minus obligat. Hinc tria inferunt. Primo, nunquam omittenda esse præcepta iuris naturalis, quæ sunt in Decalogo, quia illa magis obligant, quàm præceptum de vitando scandalo. Secundo, aliquando omittenda esse præcepta iuris naturalis, quæ sunt extra Decalogum, quia aliqua ex illis minus obligant, quàm præceptum de vitando scandalo. Tertio, præcepta iuris positiui semper omittenda esse, quando occurrit præceptum de vitando scandalo, quia cùm hoc sit naturale, magis obligat, quàm illa quæ sunt positiua. Ita Couarruuias in reg. *Peccatum*, 1. par. relect. num. 4. &

sequentibus. Cui fauent multi Canonistæ & Theologi, ac nominatim illi, qui asserunt, confessionem peccati, vel saltem circunstantiam peccati omittendam esse propter scandalum Confessarij, si alia via vitari non potest. Ratio illorum est, quam insinuaui, quia præceptum de vitando scandalo est naturale, præceptum autem confessionis est positiuum: Ergo hoc minus obligat, quàm illud, ac proinde omittendum est, si ambo seruari non possunt.

2 Nihilominus tenenda est doctrina D. Thomæ, quam sequitur Innocentius III. cap. 2. de noui operis nunciatione, vbi sic ait: *Illa opera, quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda; neque ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt.* Ergo ex mente Innocentij, nullum præceptum, neque affirmatiuum, neque negatiuum, omittendum est propter scandalum quod aliàs sine peccato omitti non potest.

3 Pro fundamento huius doctrinæ notanda est differentia inter præcepta naturalia. Nam aliqua simpliciter, & semper obligant, positis quibuscunque circunstantiis, ac proinde nunquam cessat eorum obligatio. Cuiusmodi sunt ea, quibus prohibetur mendacium, periurium, odium Dei, idololatria. Nunquam enim positis quibuscunque circunstantiis, licitum est mentiri, peierare, Deum odisse, idola colere. Alia non obligant simpliciter, sed sub certis circunstantiis, ideoque quamdiu manent tales circunstantiæ, tamdiu obligant: quando mutantur, non obligant. Huiusmodi est præceptum, quo prohibetur occisio hominis. Obligat enim cum his circunstantiis, vt non liceat hominem occidere priuata authoritate, & extra casum necessariæ ac iustæ defensionis. Si mutentur hæ circunstantiæ, non obligat. Similia sunt multa alia, vt dictum est tomo priori, cap. 3. de legibus, q. 4 §. 6.

4 Huiusmodi etiam est præceptum de vitando aliorum scandalo. Tametsi enim naturale sit, non tamen obligat absolute, sed cum certis circunstantiis. quod etiam fatetur Couarruuias asserens non obligare, quando occurrit aliud præceptum naturale, quod est maioris obligationis. Nos extendimus hanc circunstantiam, asserentes non obligare, quando occurrit aliud præceptum qualecunque, siue naturale, siue positiuum. Ratio est, quia vnusquisque tenetur magis habere curam propriæ, quàm alienæ salutis. Et consequenter, magis vitare proprium peccatum, quàm alienum, si vtrumque vitari non potest. Ergo præceptum, quod mihi impositum est ad vitandum proprium peccatum, potius seruare debeo, quàm præceptum quod mihi impositum est ad vitandum peccatum alienum. At præceptum de vitando scandalo proximi, solum mihi impositum est ad vitandum peccatum alienum: Ergo non est seruandum, quando occurrit aliud præceptum, quod mihi impositum est ad vitandum peccatum proprium. Hęc ratio locum habet quando passiuum aliorum scandalum oritur ex bono meo opere, quod ex præcepto teneor seruare (de quo hîc agimus.) Tunc enim non debeo transgredi hoc præceptum ad vitandum peccatum alienum. Secus est, quando passiuum aliorum scandalum oritur ex meo peccato. Tunc enim duplici titulo teneor abstinere: tum, ne ego peccem, tum ne alij meo peccato scandalizentur.

5 Dices 1. Præceptum naturale magis obligat, quàm positiuum: Ergo præceptum de vitando scandalo magis obligat, quàm præceptum confessionis, vel Baptismi, vel audiendi Sacrum. Hæc enim positiua sunt, illud naturale est. Respondeo. Antecedens verum est, cæteris paribus. Nam quando vtrumque præceptum, tam naturale, quàm positiuum, primatio refertur ad propriam meam salutem procurãdam, vel ad proprium

meum peccatum cauendum, tunc magis obligat naturale, quàm positiuum, respectu mei. Si autem naturale, primario refertur ad cauendum alienum peccatum, & positiuum ad cauendum proprium peccatum, tunc positiuum magis obligat, quàm naturale respectu mei. Hoc autem fit in proposito, vt ex dictis patet.

6 Dices 2. Ergo præceptum positiuum potest derogare præcepto naturali: verbi gratia. Præceptum Confessionis, quod est positiuum, potest derogare præcepto de vitando scandalo, quod est naturale. Respondeo. Non derogat, sed tollit quandam circunstantiam, quâ sublatâ, non obligat præceptum naturale. Sicut patet in simili. Præceptum naturale est, *Non occides*. Præceptum positiuum est, *Occide hunc malefactorem*. Si Deus vel legitimus Magistratus imponeret mihi hoc posterius præceptum, non derogaret priori præcepto naturali, sed tolleret circunstantiam, quâ sublatâ, non amplius obligaret præceptum naturale. Tolleret enim hanc circunstantiam. Non occides, *propria authoritate*. Idem est in nostro casu. Præceptum naturale est: Caue ab omni opere, quo possit proximus scandalizari. Positiuum est: Confitere peccata tua. Si ergo confessio mihi præcipitur, debeo eam perficere, etiamsi alius inde capiat occasionem peccandi.

7 Dices 3. Quando proximo meo imminet periculum vitæ corporalis, teneor illi succurrere, etiamsi omittendum esset præceptum de audienda Missa: Ergo idem teneor facere, quando imminet illi periculum vitæ spiritualis, quod fit per scandalum passiuum. Respondeo. Non sequitur. Nam in priori casu proximus est innocēs, & inuitus patitur mortem temporalem, ideoque recta ratio exigit, vt illi succurram. In posteriori est culpabilis, & sciens ac volens patitur mortem spiritualem, ac proinde propter illum non teneor omittere præceptum de audienda Missa. (Vasquez art.8.dub.1.n.13.)

8 Sed

8 Sed contrà: Si aliquis sciens ac volens vellet seipsum interficere corporaliter, deberem omittere præceptum audiendi Missam, vt mortem illius impedirem: Ergo si vellet se occidere spiritualiter per scandalum passiuum, deberem idem facere. Respondeo. Neque hoc sequitur. Nam in priori casu concurrunt duo præcepta, quæ primario me obligant: Vnum misericordiæ, quo teneor impedire mortem proximi: Alterum religionis, quo teneor audire sacrum. Et quia prius magis me obligat quàm posterius, iuxta illud Domini, Oseæ 6. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium:* Ideo prius seruandum est, & posterius omittendum. At in altero casu concurrunt duo præcepta, quorum alterum primario me obligat, alterum secundario. Primario quidem, præceptum audiendi sacrum. Secundario verò, præceptum vitandi scandalum proximi; quod magis proximum obligat, quàm me. Hoc igitur postponendum est. (Vasquez art. 8. dub. 1.)

VI. QVÆSTIO.

An ad vitandum aliorum scandalum passiuum, debeamus omittere opera, quæ non sunt in præcepto?

1 IN particulari solet adferri hoc exemplum: An mulier teneatur domi manere, ne si exeat, sequatur scandalum ex illius aspectu. Doctrina D. Thomæ artic. 7. & 8. consistit in his duabus regulis. Prior est: Ad vitandum scandalum alterius passiuum ex malitia, non tenemur omittere opus, quod neque est malum, neque habet speciem mali, & aliquo modo vtile est, siue spiritualiter, siue temporaliter. Ratio est, quia non tenemur cum nostro damno vel temporali, vel spirituali, consulere alterius malitiæ. Alioqui quilibet per suam malitiam posset nos impedire, ne faciamus aliquod opus externum, quod nobis vtile est.

2 Dices: Quilibet tenetur omittere opus consilij propter correctionem fraternam; vt, si putes te posse impedire peccatum proximi per priuatam correptionem, teneris id facere, etiamsi omittendum esset sacrum die prophano, quo non obligaris audire sacrum: Ergo similiter omittendum est opus consilij ne proximus scandalizetur. Est enim par ratio, si in vtroque casu ponamus proximum peccaturum ex malitia. Nam si malitia ipsius non obstat, quo minus omittat opus bonum, ratione correptionis; non debet etiam obstare, quo minus omittas, ratione vitandi scandali. Respondeo. Non est par ratio. Nam præceptum correptionis fraternæ, primario obligat me ad corripiendum fratrem. At præceptum vitandi scandalum alterius ex malitia, secundario me obligat, vt supra dixi. Vnde fit vt ratione prioris præcepti, debeam omittere opus bonum, quod præceptum non est: Ratione posterioris, non necessario debeam. (Vasquez loco citato, dubio 2.)

3 Posterior regula: Ad vitandum scandalum alterius passiuum ex infirmitate vel ignorantia, tenemur omittere opus vtile, quod neque est malum, neque habet speciem mali: Vel saltem differre, donec cesset scandalum, aut proximus moneatur, ne scandalizetur. Ratio est, quia tenemur aliquid condonare infirmitati & ignorantiæ proximi: neque nimium videri debet, si illi in tali casu succurramus, omittendo vel differendo aliquod opus, quod non est necessarium. Nam idem vellemus nobis fieri.

4 Hinc constat, quid dicẽdum sit ad casum propositum de muliere. Nam ad vitandũ scandalũ passiuum ex malitia alterius non tenetur domi manere, sed potest exire vel ad templum, vel ad negotia, vel honestæ recreationis causa. Ad vitandum autem scandalum, ex infirmitate vel ignorantia alterius, tenetur domi manere, nisi instet præceptum audiendi Missam, vel aliud simile. Pro maiori explicatione.

Nota 1. Si illa mulier incederet habitu meretricio, vel aliquâ aliâ ſpeciê mali præ ſe ferret in nutibus vel inceſſu; iam eſſet ſcãdalũ actiuũ ex illius parte, & peccaret. Si autem incederet habitu & motu decenti, vt ſupponitur in noſtro caſu, non eſſet ſcandalum actiuum, nec peccaret. Teneretur tamen, vt dixi, manere domi propter ſcandalum alterius paſſiuum ex infirmitate vel ignorantia, niſi vi alicuius præcepti teneretur exire.

Nota 2. In hoc & ſimilibus caſibus multum intereſt, an timeatur ſcandalum paſſiuum in genere, an vero in particulari, id eſt, an timeatur ſcandalum alicuius vel aliquorum in toto populo; an Petri vel Pauli ſigillatim. Nam ſi tantum timetur ſcandalum generatim, non ſunt omittenda opera vtilia, quæ non habent ſpeciem mali, propter huiuſmodi ſcandalum. Si autem timetur ſcandalum Petri vel Pauli, quia cognoſcitur eius infirmitas vel ignorantia, oportet omittere opera vtilia ad cauendum huiuſmodi ſcandalum. (Vaſquez loco citato.)

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS PRÆCIPVARVM MATERIARVM ET RERVM QVÆ IN HAC SECVNDA parte Summæ Theologiæ Scholasticæ continentur.

Notandum p. *paginam significare, & §. paragraphum.*

A

ACedia quid sit. p. 468. §. 6

Actus virtutis Spei qui sint. 397. 1

Alexãder Sextus Papa cur concessit Ferdinando Regi Hispaniæ, vt occuparet Insulas occidentales, & eas seruaret. 303. 3

Amicitia honesta duplex. 418. 3

Amicitiæ virtus valde necessaria Reipublicæ. 430. 14

Apostasia quid. 320. 1

Aprehensio quid. 284. 3

Ariani dicebant Christum non esse Deum. 147. 16

Articuli fidei sunt certi & infallibiles. 24. 1

Articuli fidei an sint clari & euidentes. 28. 1. articuli duo in quibus reliqui omnes continentur. 31. 1. articuli fidei multi expressè reuelati sunt in nouo Testamento qui non erant expressè reuelati in veteri. 34. 1

Articulos fidei quare Christiani credunt. 10. 3

Assensus Fidei nostræ pendet à voluntate. 19. 13

D. Augustinus cur Olympium Comitem exhortatur, vt Imperatoris leges in Donatistas hæreticos constitutas euulget. 377. 9

B

Baptismi & fidei susceptio spontanea, non cadit in detrimentum illius qui sponte fidē & baptismū suscipit. 298. 7

Baptismum petere à Lutheranis aut Caluinistis non licet. 232. 19

Baptismus fuit præfiguratus per circumcisionem & transitum maris rubri. 34. 2

Baptismus est quasi ianua reliquorū Sacramentorū. 368. 2

Bellare in die festo est licitum. 511 3

Belli gerendi præcepta, quæ Deus præscripsit Iudæis quænam fuerint. 477. 4.

Belli necessitas maior est, quàm priuati supplicij. 512. 6

Bellum indicendi iustæ causæ quæ. 472. & 473. est causa multarum cædium ac damnorum. 475. 9

Bellum quādo & quomodo inchoandum sit. 496. 1. in bello iusto, postquam inchoatum est, an liceat omnes hostes occidere, & eorum bona diripere? 499. 1

Bellum duplex est, defensiuum & offensiuum. 471. 1. bellum ex natura sua an sit licitum, & quæ conditiones requirantur vt sit licitum. 471. 1.

Bellum ex vtraq; parte an possit esse iustum? 489. 1. quando causa belli est dubia quid faciendum. 492. 1

Bellum gerere ob hæresim contra hæreticos quando est licitum. 485. 1

Bellum geritur, vt pax acquiratur. 475. 9

Bellū non solum permisit Deus in Veteri Testamento, sed etiam mandauit. 476. 2

Bellum Christianis an sit licitum. 478. 1

Beneficentia quid sit. 437. 1

Beneuolentia mutua potest esse inter Deū & hominē. 419. 6

Bezæ versionem S. Scripturæ multi authores damnāt. 79. 4

Blasphemia quid? 321. 1

Bona spiritualia sunt duplicia. 426. 3

C

Caluinistæ in Anglia, Gallia, Belgio, Polonia multas turbas excitarunt. 535. 6

Caluinistæ non habent veram Scripturam. 78. 1

Caluinistæ verum ac localem descensum Christi ad inferos negant. 152. 30

Canon quid sit. 41. 1

Canon Caluinistarū nunquam fuit ab Ecclesia approbatus. 78. 2

Castitatis votum sponte susceptum non cadit in detrimentum vouentis, sed in commodum. 298. 7

Catholici per triticum intelliguntur. 337. 12

Catholicus quando peccat, disputādo cum hæreticis. 342. 2

Charitas an sit forma omnium virtutum? 416. 1 dupliciter spectari potest. ibid. 2

Charitas an sit vera amicitia hominis erga Deum. 417. 1
Charitatis actus interni sunt duplices. 437. 1
Charitas an sit excellentissima inter omnes virtutes? 413. 1
Charitas an possit augeri in infinitum? 464. 1. charitas viæ an possit esse tam perfecta quàm charitas patriæ. 459. 1
Charitatis obiectū duplex, materiale & formale. 421. 1
Charitas viæ an possit minui aut corrumpi per peccatum. 464. 1.
Charitas an augeatur per solos actus intensiores. 455. 1
Charitatis præcepta duo sunt. 465. 1. vitia charitati opposita, quæ. 467. 1
Charitatis habitus an detur à Deo infusus? 452. 1. charitatis habitus an realiter augeri possit, & quomodo? 453. 1. charitatis augmentum physicè & effectiuè pendet à Deo, meritoriè ab homine. 454. 3
Charitatis augmentum est merces seu præmium boni operis. 454. 4
Charitatis actus externi sunt tres, Beneficentia, Eleemosyna, & correctio fraterna. 437. 1
Christiani bellū gerere possunt contra Turcas. 486. 5
Christiani in bello contra Christianos an possint in auxilium vocare Turcas aut infideles. ibid. 1
Christus præcipit Pharisæis, si velint mundari à peccatis, vt ex superfluis dent eleemosynam. 440. 7
Christi mors repræsentatur in sacrificio Missæ. 514. 2
Ciuitates & alia bona immobilia quæ eripiuntur hostibus tempore belli, ad quem spectent. 501. 8
Clerici ante conflictum possunt hortari militem ad fortiter pugnandum contra hostes fidei. 515. 4
Clerici in quibusdam casibus possunt bellare, non obstante prohibitione Ecclesiastica. 517. 8
Clericis prohibita est publica disputatio de fide. 344. 8
Communicatio duplex cum infidelibus, in matrimonio, cibo & potu. 294. 2
Communicare cum infidelibus an liceat. ibid. 2
Confessio est actus fidei. 217. 1
Confessio externa fidei est necessaria ad salutem. 120. 1
Coniunctio inter homines triplex. 434. 5
Constantinus Magnus damnatum Arium vnà cum Eusebio & Theognide in exilium misit. 373. 7
Constantinus Imperator iussit claudi omnia templa Paganorum. 298. 8
Contentio quid sit. 469. 9.
Correctio fraterna quid sit. 437. 1. 447. 24.
Correctio fraterna quo ordine fieri debeat. 449. 30. an ordo ille sit seruandus. 450. 31

D

Defensio bonorum temporalium an licita per duellum. 527. 1
Desperatio quid sit. 406. 1. quàm graue sit peccatum. 407. 1. spei opponitur. 406. 2.
Desperatio, peccatum mortale. est. 412. 3
Desperatio an semper, & in omni casu, sit peccatum? 409. 1
Deus remunerator vitæ æternæ. 285. 2
Deus in omnes homines plenã iurisdictionẽ habet. 299. 9
Deus mandat idololatras interfici. 303. 3
Deus aliquando per terrores compellit homines ad fidem. 299. 8
Deus vnam ciuitatem aut nationem punire solet per aliam. 308. 15
Deus visus & possessus est merces nostra. 393. 15
Deus quatenus est prima veritas reuelans, an sit formale obiectum fidei? 9. 1
Dilectione pari vita æterna optanda est. 433. 3
Discordia quid sit. 469. 8. cui opponitur. ibid.
Disputare cum hæreticis an liceat? 342. 1
Dissensio animorum vbi est publica, ibi pax publica esse non potest. 334. 6
Diuites obligantur superflua in eleemosynã erogare. 440. 7
Dominium infidelium transferri debet ad Ecclesiam Christianorum. 303. 2
Dubitatio duplex, negatiua & positiua. 316. 8
Duellum quid sit. 518. 1. ob varias causas duellum suscipi potest. ibidem. 2. quæ pœnæ sint constitutæ in eos qui suscipiunt iniustum duellum. 530. 1.
Duellum quod suscipitur ad ostentationem virium, aut voluptatem spectaculi an licitum sit. 519. 1.
Duellũ nõ potest esse aptum ad indagandã veritatem. 522. 3
Duellum quod suscipitur ad dirimendum bellum, an sit licitum? 524. 1. & ad defensionem honoris an sit etiam licitum. 525. 1
Duellum susceptum ad defensionem propriæ vitæ est licitum. 529. 1

E

Ecclesia columna & fundamentum veritatis. 286. 4
Ecclesia habet ius & potestatem prædicandi fidem per vniuersum orbem. 299. 10
Ecclesia visibilis non potest deficere vel errare in fide. 117. 1
Ecclesia visibilis est domus Dei. 118. 27
Ecclesia Christi in terris visibilis & conspicua est. 107. 1
Ecclesia an possit hæreticos excommunicare? 326. 1
Ecclesia an hæreticos punire possit? 323. 1
Eleemosyna debet esse gratuita donatio. 444. 15. ex qui

bus rebus liceat facere eleemosynam. ibidem. eleemosynã quinam facere possint. 445. 19
Eleemosyna quibus sit facienda. ibid. 20
Eleemosyna quo ordine sit facienda. 446. 22
Eleemosyna duplex, corporalis & spiritualis. 437. 2. opera eleemosynæ corporalis quæ sunt. ibidem. eleemosyna corporalis quam vim habeat. 438. 3. de danda eleemosyna corporali an sit aliquod præceptum. 439. 4
Episcopi suos subditos ab hæresi & excommunicatione absoluere possunt. 318. 6
Error superstitionis & idololatriæ in conuenticulis infidelium proponitur. 295. 5
Euangelij veritas in concionibus Catholicorum proponitur. ibid. 5
Euangelij status excellẽtior est statu legis. 459. 3
Eucharistia fuit præfigurata per panem & vinum Melchisedech. 34. 2
Exclusio pauperum peregrinorum ex suis ciuitatibus an sit licita. 447. 23
Excommunicatio est prima pœna iure canonico hæreticis irrogata. 326. 2. duplex est excommunicatio. 327. 4

F

FErdinandus Rex Hispaniæ, ante annos centum & aliquot, iussit omnes Iudæos ex Hispania, qui non conuerterentur, excedere. 298. 8
Fermentum mysticè significat Euangelium. 49. 4
Fideles, domestici fidei vocantur ab Apostolo. 434. 5
Fidei assensus habet aliquam perfectionem supernaturalem. 199. 1. Actus fidei quomodo resoluatur. 214. 1
Fidei assensus an sit realiter compositus? 199. 1
Fidei habitum supernaturalem nemo potest certò cognoscere. 259. 1
Fidem negare, ad vitanda n mortem, peccatum. 220. 1
Fidem datam hosti violare non licet. 510. 1
Fides necessaria ad salutem. 287. 2
Fides an maneat in beatis. 249. 1 an in damnatis. 251. 1
Fides non manet in hæreticis. 253. 1
Fides & Spes nihil prosunt sine Charitate. 414. 4
Fides alicuius alterius mysterij an sit medium necessarium ad salutem? 285. 1
Fides fundamentum est spei. 404. 1
Fides quatuor modis sumitur. 3. 1.
Fides hæreticis an seruanda sit, non obstante excommunicatione? 362. 1
Fides an sit maior in vno Catholico, quàm in alio? 256. 1
Fides hæreticis in bello an sit seruanda? 378. 1. an in saluo conductu. 380. 1
Fides an hæreticis sit seruanda

in promissione valida & obligandi vim habente, non obstante hęresi? 355. 1

H

HAbitus Spei qualis sit. 401. 1
Hęresis quid? 312. 1
Hęresis grauissimum est peccatum. 293. 5
Hęretici quinam habeantur. 286. 3
Hęretici duplici titulo sunt vitandi. 362. 2
Hęretici arcentur à Sacramentis, priuantur communibus Ecclesiæ suffragiis, & repelluntur à consortio piorum ac fidelium. 327. 3
Hęretici sunt extra Ecclesiam quoad internam vnionem, quæ fit per fidem, sunt tamen subiecti Ecclesiæ quoad iurisdictionem ratione baptismi. 296. 2
Hęretici qui propriè dicendi sunt. 313. 1
Hęretici per zizania intelliguntur. 339. 12
Hęretici an priuentur bonis tẽporalibus? 332. 1. an possint puniri pœna capitis propter hęresim? 333. 1
Hęretici agnoscunt Messiam venisse. 293. 4
Hęretici resipiscentes an sint ab Ecclesia recipiendi? 352. 1 in hęreticis duo spectanda sunt, peccatum hęresis, & humana natura. 353. 4
Hęretici, propter hęresim, an priuentur omni potestate spirituali? 328. 1. an etiam priuentur dominio & iurisdictione temporali? 330. 1
Hęreticis an sit seruanda fides in negotio libertatis Religionis? 371. 1
Hęreticus errori adhęret, Catholicus veritati. 33. 9
Hęreticus qui externo signo prodit suam hęresim, potest ab Ecclesia puniri. 324. 6
Hęreticus externus quando aliquis censendus sit. 325. 8
Homines iusti propriè sunt filij Dei per adoptionem, propriè sunt templa spiritualia, propriè sunt amici Dei per mutuam beneuolentiam supernaturalem. 418. 5
Homo an teneatur vnum proximum magis diligere quàm alterum? 433. 1
Homo iustus per quęuis actum charitatis meretur reale augmentum gratiæ & charitatis. 455. 2
Homo an teneatur magis diligere Deum quàm quemuis alium? 422. 1. an teneatur seipsum magis diligere quàm alium? 425. 1
Homo iustus quando dicitur cadere. 464. 3
Hussius asserebat Deum debere diabolo obedire. 384. 9
Hussij dogmata quæ. ibid. 9
Hussius Imperatori fidem violauit, non Imperator Hussio. 385. 10
Hussius iustè puniri potuit, nec ei violata fides fuit. 382. 7 fugam arripuit. 383. 8
Hussius hęreticus fuit, & doctri-

nam Vvicleſi pertinaciter defendit. 384. 9

I

IDololatras Deus interfici mandat. 303. 3
Ignorantia culpabilis ſeu voluntaria duplex. 318. 14
in Impiis duplex eſt diſſenſio. 436. 3
in Incarnationis myſterio tria includuntur. 279. 1
Incarnationis fides an ſit neceſſarium medium ad ſalutem. ibid. 1
Infideles ad prædicationem verbi Dei admittere licitum eſt, non tamen ad ſacrificium Miſſæ. 295. 4
Infideles armis infeſtare licitum eſt. 304. 5
Infideles Eccleſiæ ſubiecti non ſunt. 296. 3
Infideles cõtra fideles vocare in auxilium eſt illicitum. 488. 5. quibus de cauſis. ibid.
Infideles ad fidem compellere an liceat? 295. 1
Infidelibus an permitti poſſit dominium in Chriſtianos? 308. 1
Infidelis eſt, qui dubius eſt in fide. 315. 7
Infidelitas omnis an ſit peccatum? 287. 1
Infidelitas duplex, negatiua & contraria. ibid. 1
Infidelitas contraria in tres ſpecies diuiditur. 292. 2
Infidelitatis ſpecies quot. 287. 1
Infidelitatis peccati ſpecies quot ſint? 291. 1
Iniuriam vindicare licet per viam iuris aut belli vindicatiui, non per duellum. 521. 2
Innocentius Papa præcepit infideles puniri, qui contra Chriſtum blaſphemarent. 301. 2
Innocentes interficere in bello iuſto an liceat. 501. 1
Innocentes iuſto bello captos, an liceat in ſeruitutem redigere? 506. 1
Innocẽtium bona in bello iuſto an liceat diripere? 503. 1
Inſidiis in bello iuſto licitum eſt vti. 510. 1
Inuidia quid ſit. 469. 7
Iſraëlitæ Deo volente & approbante, vi & armis cur occuparunt terras infidelium. 304. 4
Iſraëlitæ cur in veteri Teſtamento occidebant mulieres & infantes. 501. 3
Iudæi Euangelium Chriſti ad ſe ſolos pertinere putabant, non ad Gentiles. 290. 13
Iudæi præter Scripturam habebant duplices Traditiones. 81. 2
Iudæi per Babylonios puniti fuerunt. 308. 15
Iudæi non agnoſcunt Meſſiam. 295. 4. agnoſcunt vetus Teſtamentum. ibid.
Iudæorum ritus cur facilius tolerantur, quàm Gentilium. 302. 4
Iudicis & Normæ diſtinctio. 143. 5
Iudicium quid. 284. 3
Iulianus Apoſtata cum Chriſtianorum Eccleſiam turbare,

ac pessundare voluit, libertatem ac varietatem doctrinarum introduxit. 335. 7
Iurisdictio Ecclesiastica duplex, interna & externa. 524. 3

L

LEuitæ in Veteri Testamento bellati sunt contra idololatras & à Mose laudati sunt. 516. 6
Libertas Religionis duobus modis in pactum venire potest. 371. 1
Libertas Religionis ac fidei planè illicita est, & contraria doctrinæ Christianæ. 372. 3
Libertas Religionis cur non debet præcipi, approbari aut introduci ab vllo Principe aut Magistratu Catholico. 373. 6
Libri Turcarum & Iudæorum cur melioris sunt conditionis, quàm hæreticorum. 351. 13
Libros hæreticorum an legere liceat? 346. 1
Ludos militares in die festo exercere licet multis de causis. 513. 7
Lutherani non habent veram Scripturam. 78. 1
Lutherus negat debere præliari contra Turcas. 484. 1. hunc errorem postea reuocauit. ibid. 2

M

MAcedoniani negabãt Spiritum Sãctũ esse Deum. 148. 17
Manichæi asserebant vetus Testamentum nouo esse contrarium. ibid. 18
Manichæi docuerunt bellum ex naturâ sua esse illicitũ. 472. 1
Martyrij actus dupliciter potest spectari. 414. 3
Massa, Ecclesiam significat vel orbem terrarũ in quo Euangelium prædicatur. 49. 4
Matathias Iudæũ interfecit, qui ad aram Gentilium sacrificaturus accesserat. 307. 12
Matrimonium contractum cum hæreticis, an sit validũ. 368. 1
Matrimonij vinculum indissolubile est. 369. 5
Matrimonij impedimenta quæ. 370. 6
in Matrimonij contractu an fides seruanda sit hæreticis. 368. 1
Mendacium quid sit. 8. 11
Milites durante bello, an possint prædari, seu spolia ab hostibus accipere 507. 1. militum & ducum peccata quænam esse soleant. 509. 1
Misericordia, dolor est de malo alterius inuoluntario. 436. 5 discrimen inter misericordiam & charitatem. ibid.
Mors Christi in sacrificio Missæ repræsentatur. 514. 2

N

NOuatores noſtri temporis nullam ſeruant Quadrageſimam. 352. 13

O

OBſeruatio præceptorũ Dei eſt medium ad ſalutem neceſſarium. 267. 5
Odium duplex eſt, abominationis & inimicitiæ. 467. 2

P

PAgani non agnoſcunt vetus Teſtamentum. 293. 4
Pauperes domeſtici peregrinis præferendi ſunt. 447. 23
Pax Chriſtiana duplex, Eccleſiaſtica, & politica. 336. 9
Pax non quæritur, vt bellum excitetur. 475. 9
Pœnæ hęreticorum quot ſunt. 326. 1
Pelagiani negabant peccatum originale. 149. 19
Pontifex poteſt indicere bellum & Ducem belli conſtituere, qui vice ipſius militiæ præſit, & bellum exerceat. 514. 3
Prædicatio Euangelij inchoata eſt ab Apoſtolis; & debuit ab eorum ſucceſſoribus perfici, & adhuc quotidie perficitur. 290. 13
Prælati Eccleſiæ, qui habent iuriſdictionem ſpiritalem, non poſſunt infideles compellere ad fidem vel baptiſmum ſuſcipiendum. 296. 2
Prælatis Eccleſiæ datur aſſiſtentia Spiritus ſancti, qua ipſi diriguntur in gubernatione Eccleſiæ & deciſione controuerſiarum fidei. 22. 5
Præſumptio quid ſit. 412. 1. duplex eſt. ibid.
Præteritũ pro futuro, more prophetico, ponitur. 290. 13
Princeps in propria Republica non poteſt occidere innocentem propter culpam alterius. 501. 2
Princeps inferior in tribus caſibus poteſt ſuſcipere bellum offenſiuum. 472. 3
Priſcillianiſtarum hæreſes refutantur, aſſerentes Deum non ſolùm poſſe mentiri, ſed reipſa etiam mentitũ eſſe. 8. 10
Princeps Chriſtianus abſolutè poteſt infidelibus ius habitandi negare in ſuis prouinciis. 297. 4

R

RAbbinorum libri contra Chriſtum & fidem Chriſtianam, ſunt comburendi. 302. 5
Rege mortuo, quando duo ſubditi contendunt de ſucceſſione quid faciendum. 495. 8
Reipublicæ pax ſine vnitate fidei conſeruari non poteſt. 334. 6
Reuelare quid ſit. 6. 6 tripliciter rem aliquam hominibus narrari aut reuelari poſſe. 7. 8
Reuelatio primæ veritatis, vt ſit formale obiectum Fidei, an

debeat esse obscura? 14. 1
Reuelatio dupliciter cognosci potest. 20. 16
Reuelatio publica quid sit. 21. 1 quid priuata. ibidem
Ritus infidelium tolerare an liceat? 301. 1
Ritus aut vestimenta infidelium an aliquando liceat vsurpare. 226. 1
Rixa quid sit & vnde dicatur. 470. 12
Rosarium qui publicè gestant, profitẽtur se Catholicos esse. 256. 27
Rustici qui sunt membra hostilis Reipublicæ, grauari non debent in bello. 504. 4

S

SAbelliani dicebant non esse tres personas Diuinas, sed vnam tantum, quæ tamen haberet tria nomina propter diuersa officia. 147. 16
Sacramenta noui Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem. 127. 46
Saluatur vnusquique, si faciat quod in se est. 290. 11
Sancti in cœlo pro nobis intercedunt, & multa impetrant quæ ad salutem sunt necessaria. 397. 3
Sanguinem & Corpus Christi realiter in Sacramento esse Caluinistæ negant. 232. 18
Saülem Regem & totum populum grauissimè puniuit Deus ob violatam fidem. 560. 13
Scandalum quid propriè significat. 531. 1
Scandalũ actiuum & passiuum quid sit. 532. 1. & 2. diuisio scandali passiui. ibid. 3. scandalum vtrumque an sit peccatum speciale. 534. 1
Schisma quid sit. 469. 10. ab hæresi differt. ibid.
Schismatici quinam propriè vocantur. 561. 10
Scripturæ libri qui sint Canonici 41. 1. Scripturæ versio legitima quæ sit. 43. 1. an quilibet Scripturæ locus admittat sensum literalem. 47. 1
Scripturæ obscuritatis quæ sit causa? 61. 1. Scripturam cur Deus voluerit esse obscuram. 74. 22
Seditio quid sit & vnde dicatur. 470. 13
Sensus literalis an sit obscurus? 55. 1
Sermo hæreticorum est instar morbi contagiosi qui alios inficit. 356. 3
Simulationem Iehu Deus approbauit. 227. 3
Sisebutus Rex Iudæos ad Baptismum compulit. 298. 8
Spei primarium obiectum quod sit? 389. 1. secundarium obiectum quod sit? 394. 1
Spei habitus an per actum desperationis corrũpatur. 411. 1
Sperare an aliquis possit in homine? 397. 1
Spes in quibus hominibus sit. 404. 1
Spes per desperationem corrumpitur. ibid. 1
Spes an sit necessaria ad salutem? 405. 1

Spes Christiana quatuor modis sumitur. 388. 1
Synagoga, tempore Christi defecit. 1. 7. 46
Synagogæ, ceremoniæ & Sacramenta vocantur ab Apostolo. ibid. 46
Traditio an sit aliqua admittenda præter Scripturam? 81. 1
Trinitatis fides an sit necessarium medium ad salutem? 283. 1
Turcæ & Iudæi aperti hostes Christianorum. 352. 13

T

TErras infidelium vi occupare an liceat? 303. 1
Theodosij & Valentiniani decreto combusti sunt libri Nestorij in Concilio Ephesino damnati. 349. 8
Timor honestus duplex, Servilis & Filialis. 406. 4
Tituli tres quibus licet aliquem punire. 304. 6

V

VEritas prima quid sit. 4. 2
Virtus fidelitatis ad quid homines obligat. 358. 8
Virtus Spei est Theologica. 393. 14
Vladislaus Poloniæ & Vngariæ Rex ob violatam fidem, equo excutitur & capite truncatur. 361. 6
Vnio Ecclesiæ duplex. 469 5.10

FINIS.